F. AMBR. CATH. POLITI SEN. IN DISPVTATIONEM PRO IMMACVLATA DEI GENITRICIS CONCEPTIONE

PRAEFATIO AD LECTOREM.

VETERATOR ILLE AC MIRE CALlidus antiquus Draco, Satan, Diabolus, vetus odium, ac rabidum liuorem in illam exercens, de qua in sententia maledictionis suæ audiuit ab ore Dei, Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semē tuum & semen illius, non cessat assiduè hanc circa rem (de qua propositus est nobis sermo) simplicium corda varijs imposturis auertere à veritate. *Gen.3.* Nam cū in hac quæstione, quam sanè ipse diu fouit, planè videat hac via disputationis magis ac magis illam, quam nos probamus, & quam ipse semper ac mirifice odio habuit, veritatem illustriorem reddi, alia via, pro more suo, nunc tandem aggreditur. Mutatus enim in Angelum lucis, quasi homo pacis & qui abhorreat à contentionibus: & his quæ non sunt solidæ pietatis, quæ autem sunt vnitatis & concordiæ diligat & exquirat, omnem huiusce rei disquisitionem vituperare incipit ac detestari. Adornat ergo buccinatores suos vt ferant in vulgus, hac de re disputationem non modo esse inutilem in Christiana repub. sed etiam valdè noxiam: vt potè, ex qua magnæ contentiones, & lites, & scandala excitentur ac foueantur. Quare perpetuo ac sempiterno illam obuoluendam ac sepeliendam esse silentio. *Eras. insolētia.* Erasmus enim, vnus ex his, quibus est vsus ad multa zizania in agro Domini interserenda, illo spiritu plenus, *1.ad Tim.1.* non est veritus effutire hanc esse vnam de Genealogijs illis interminatis, quas Apostolus præcipit deuitari. Hanc verò parabolam cum quidam in me obijcerent, primum vehementer admiratus sum, non valens conijcere quid simile haberet hæc disputatio cum Genealogijs illis interminatis: sed ignorabam magistrum, à quo id prouerbij didicissent: vt verò Erasmum comperi autorem, desij subitò admirari. Hoc tamen dolui vehementer ac doleo, quòd his Dæmonum

versutijs ita multi persuadentur, vt ni palam hæ detegantur atque ostentētur, omnē mihi viā disputatiōis præcludāt. Quid enim agas cum his qui semel persuasi sint, scire hæc Christiano homini operæpretium non esse, nec ad ædificationem pertinere, sed ad destructionem, ni prius hanc eorum ex animo falsam persuasionem auellas? Quamobrem hoc mihi necessarium esse facilè perspexi, ante quàm ipsius propositæ disputationis denuo tractatum aggrediar (Nam iamdudum idem argumentum tractaui) perspicuè ostendere huius rei sedulam retractationem non solum nō inutilem, aut seditiosam amantibus veritatem, verumetiam valde necessariam esse, atque ad sedanda scandala & schismata in Ecclesia Dei, vt idem dicamus omnes, nunc maximè necessariam. Itaque lector, si amicus es veritatis intende: scio certò, persuadeberis.

DISPVTATIONIS PRO IMMACVLATA CONCEPT. DIVAE VIRG.

LIBER PRIMVS.

De astu Diaboli quo semper usus est, ut nos auertat à consideratione dignitatis Christi Matris, & nostræ.

PRIMVM NOLO NESCIRE QVENQVAM, non esse nouum hunc serpentis astum, vt illas potissimum veritates quæ Dei charitatem & munificentiā & dona erga genus nostrum immensa ostendunt, maximopere supprimere curet ac sepelire. Nam in magnis illis turbis, quas malignus ille per Arrium egregium discipulum suum in orbe vniuerso cōmouit, postquàm Christi diuinitatem ea disceptatione in multorū mentibus, saltem dubiā cōstituit, cùm postmodò perspiceret maiore tractatu & perscrutatione atque indagine scripturarum, certiorem ac lucidiorem continuè reddi (qua luce incredibiliter cruciabatur) hanc rursum falsam pietatem, id est, pacis & concordiæ prætextū, ob oculos cœpit obijcere, & tanquàm canens receptui, suadere vt à contentione discederetur. Atque ita persuadebat malignus, vt plurimos alioqui religiosos ac pios viros, in eam sententiam traheret. Extat enim (quod vehementer sum admiratus) Constantini pij, principis Christianissimi,

Diabolicū artificiū tēpore Arrij.

ſimi,Epiſtola ad Alexandrum & Arrium,quam non dubito, malignum aliquem ſpiritum tenebrarum,verſum in angelum lucis,inſpiraſſe,vt mitterentur in errorem,ſi fieri poſſet,etiam electi. Alexander autem ille erat Epiſcopus Alexādrinus,qui primus Arrij blaſphemiam detexit,& deteſtatus eſt. Ambos ergo ille princeps his verbis adorſus eſt. Didici natam præſentis quæſtionis originem, quando tu,O Alexander,à præſbyteris requirebas,quid vnuſquiſq; eorum de quodam loco in lege conſcripto,magis autem pro vanæ cuiuſdam quæſtionis parte,ſentiret. Tuq;,ò Arri,(quod neq; principio cogitari debuerat,aut cogitatum taciturnitati tradi potius cōpetebat) illud improuidè protinus obieciſti,vnde diſcordia inter vos emergente myſteria contemnuntur. Sanctus verò populus in vtraq; diuiſus,communis corporis cōgruentia ſeparatur. Ergo vterque veſtrum ex æquo voluntatem præbens,in quo conſamulus veſter iuſtè monet,obediat. Hoc itaque neque requirere dignum eſt, neque de talibus reſpondere quærentibus. Huiuſmodi enim quæſtiones,quæ non alicuius legis neceſſitate requiruntur,inutilis quæſtionis vacationis tempus exquirunt. Et licet cauſa cuiuſpiam exercitij fiant,tamen debemus eas intra ſenſum claudere,& non promptè in conciliabula publica deportare: nec omnium auribus inconſultè committere. Quantus enim eſt vnuſquiſq; hominum,vt poſſit ita magnarum rerum,& valdè difficilium virtutem aut ad profectum inſpicere,aut interpretari dignè? aut ſi quis hoc facere,difficile tamen,poſſit,quantæ parti populi ſuadebit? Ergo in talibus fugiēda ſunt multiloquia,ne fortè dum infirmitate noſtræ naturæ,minime quod proponitur, explicatur, mentes diſcentium auditorum, pro tardiore intellectu ad perfectam quæſtionis perceptionem peruenire non valente,ad neceſſitatem blaſphemiæ aut ſchiſmatis populus adducatur &c. Et paulopoſt: Hoc ergo quod vobis inter alia contentionem excitauit,quoniam non attinet ad totius legis virtutem,ſeparationem quandam & ſeditionem inter vos non debet efficere &c. Hæc ille. Et abundius de ſuo ſpiritu eloquens,friuolas illas quæſtiones vocat: nec tanti eſſe,vt propterea ſcindere deberent eccleſiam. Vide ergo prudens lector quid inter friuolas quæſtiones aſſerebatur à tanto principe: nimirum,quod erat ſummum fidei noſtræ fundamentum,Chriſti diuinitas. Admirarer hoc etiam magis, niſi & hoc idem noſtris temporibus accidiſſet. Ille enim cœli cenſor ac terræ Eraſmus,in cauſa illa Arrianæ perfidiæ,eius partes miſericorditer deplorans,his verbis conqueritur. Expulſus eſt Arrius ob vnam voculam. Et vt intelligas id,ſuo iudicio,non prudenter fuiſſe factum,in hūc modum ſubdit: Ego ſi quid autoritatis habuiſſem

2. ad Cor. 11.

Matth. 24.

Conſtantini ad alexādrū & Arrium Epiſtola.

in illis synodis, in quibus de orbis concordia tractabatur, suasissem præstare, nescire quid sibi vellet Homusij verbum in personis diuinis, quàm tanto rerum tumultu vel tueri vel impugnare. Hæc ille. Quis autem crederet hæc de viro qui fereretur Christianus, nisi fidelibus oculis ea perspiceret? Non enim hîc (inquit) quod alio loco (quanquàm ineptè) dixerat, præstabat iacturam facere illius voculæ homusion, sed amplius etiam ait, præstabat nescire quid sibi vellet vox illa. Hoc verò non aliud est quàm dicere, præstabat nescire Christum esse Deum, & Patri suo consubstantialem. Et hoc, non aliud erat quàm Christi gloriam simul ac nostram obscurari, ac sepeliri in sempiternum. Quis igitur admiretur quòd etiam hic homo scripserit hanc de Genitrice Dei pulcherrimam sententiam, quòd esset sine labe peccati concepta, vnam esse de Genealogijs interminatis, quas Apostolus præstare lites magis quàm ædificationem aiebat? Nam & hoc spiritu plenus amabilem suam quandam Ecclesiæ concordiam meditatus est, in qua, magno Luciferi miraculo, si valeret, cum lupis oues & cum Christo Belial satagit componere. Hoc item spiritu Mauritius Imperator non est veritus Gregorium Pontificem tantæ sanctitatis ac doctrinæ virum, fatuum appellare: & eũdem arguere, quòd ille Ioannem Episcopum Constantinopolitanum idcircò increpauerit, quòd se Episcopum vniuersalem vocaret, eò quòd propterea videretur de re friuola contendens, ecclesiæ cõcordiam scindere: cui tamen tanta mansuetudine, & prudentia respondit Gregorius, vt quid contrà hisceret, non haberet. Rescripsit enim illi in hæc verba. Rogo vt imperialis pietas penset, quia aliqua sunt friuola valdè innoxia, alia vehementer nociua. Nunquid non cum se Antichristus veniens Deum dixerit valdè friuolum erit? sed tamen nimis perniciosum. Si quantitatem sermonis attẽdimus, duæ sunt syllabæ: si verò pondus iniquitatis, vniuersa pernicies. Hæc Gregorius ad illum. Hic insuper illusionis spiritus similiter multis imponit qui illam quæstionem, vtrum si Adam nõ peccasset Christus venisset in mundum, inutilẽ arbitrantur: minus considerantes, quòd huius quæstionis veritate comperta, multo maior de bonitate & prouidentia Dei, & excellentia Christi, notitia accipitur. Nã hoc articulo sanè perspecto, magnus aditus aperitur ad intelligentiam scripturarum, & ad amorem ipsius clementissimi patris excitandum, vrgentissima ratio rectè deputantibus ministratur. Hic itẽ spiritus malus nonnullorum corda nunc etiam exagitat, qui, malæ conciliabilis concordiæ gratia, vellet vt vox, & memoria meritorũ Deiparæ, ac Sanctorum Dei, in ecclesia sancta aboleretur, aduersus antiquissimum ac receptissimum omnium ecclesiarum catholicarũ ritum,

Erasmi impia pietas.

Mauritij imp. cõuiciũ in S. Greg.

Gregorij epist. modestiæ plena.

Dolus Dæmonis cõtra Christi eximiũ pred.

Spiritus malignus cõtra cultũ & merita sanctorum.

ritum, nec minus aduersum ipsorum sanctorum doctrinam, & contra sacrarum scripturarum inuictissima testimonia. Deniq; ad abolendam memoriam preciosorum donorum quæ Deus Opti. Maxi. contulit humano generi, vt essent in nobis; quanquàm non ex nobis. Sed de his alibi fusius. Hæc enim ideò huc attulimus, vt prudens lector agnoscat, non esse nouam hanc Diaboli technam ad deterrendum nos, prætextu concordiæ, ab ijs studijs, & notitia earum veritatum, quæ Christi gloriam ac simul totius generis humani dignitatem declarant: cui tam magna tamq; preciosa dona, saltem in eximijs membris, collata sunt. Quod vt in re proposita certissimis argumentis demonstrem, obsecro non desit hîc mihi mi bone frater æquitas tua, si diligis veritatem. Ego enim vnum me esse profiteor ex filijs Israël, de quibus scriptura testatur, quòd ad certandum processerunt mente pacifica.

Quòd hæc uestigatio & tractatio de immaculata genitricis conceptione, multis ac magnis de causis sit multæ utilitatis, & opportunißima in ecclesia Dei, ut decisionem perfectam accipiat.

SI, quòd hæc tractatio ac disputatio sit inutilis, ij solummodo iactitarent, qui manifeste sunt illiterati, nec verba ponderant quæ effutiunt, profecto nihil me mouerent vt effutito sermoni obsisterent. At quoniam qui hæc ferunt in vulgus, profitentur se magistros esse, & habere diuinarum scientiam literarum, vt possint etiam alios erudire & docere: & propterea tenentur satisfacere omni poscenti rationem de dicto suo, non pigebit in hos maximè dirigere sermonem meum, vt videam vtrum id ex iudicio proferant. Illos igitur adorior qui Erasmi parabolam in me obiectant, quòd intenderim quæstioni inutili, aut Genealogiæ interminatæ quam Apostolus præcipit deuitari. Si enim hoc verum est, cur ergo tot viri, tantæ scientiæ, tantæque sanctitatis & gloriæ, quòd longum esset enumerare, tantopere hac de re disquisiuerunt, ac pertractarunt, Diuus Thomas, Bonauent. Albertus, Alexander, Egidius, Scotus, Durandus, Quis non? Nobilium enim theologorum, & eorum quos vosmetipsi vestros profitemini autores, quis (rogo) ab huius quæstionis tractatione temperauit? ac tūc vel maxime quùm diuersæ scholæ magistrorum in varias cœperūt scindi sententias? Quid ergo? Nunquid illi inutiliter quoque, & ad scandalum? Equidem non molestè feram eiusdem me culpæ reum simul cum tantis viris insimulari. Respondebit forsan aliquis paulò argutior, Id illis olim licuisse

Refutatur Erasmi parabala de genealogijs. Ab autoritate sanctorū.

Obiectio.

quum nōdum eius inquisitionis vanitas & infelix exitus apparebat. Nunc verò postquàm iam satis superque satis disceptatum est, nec inde quicquam bonæ frugis, sed contrà, excitamenta potius ac fomenta contentionum, & schismatum exoriri videamus, velle etiam atque etiam in eodem insistere, &, (quod dicitur) idem saxum perpetuo voluere, pertinaciæ dandum esse. Ego verò contrà, Cur, si hoc est, hæc in me solum obijciuntur, qui immaculatam defendo cōceptionem syncærè & ex veritate? Ex veritate audeo dicere quàm confidentissimè, nec ad scandalum vllum, quòd ex me est, In eos verò qui illam asserūt in communi lapsu ac labe derelictam à Deo suo, & filio Christo, nihil mouentur? Quid dico nihil mouentur, cum insuper eos recipiant, legant, probent, terant manibus, seruent in bibliothecis ad instruendum nouitios, qui postmodò huiusmodi imbuantur doctrinis ac zelo? Ego enim fateor primo anno professionis meæ, cum paulò curiosior in huius rei disquisitione essem, incidi in huiusmodi quorundam tractatus, quos vt legi, facilè fateor, seductus sum, & ad eas partes tractus, quas nunc ab omni veritate prorsus destitui existimo. Nam pro illa quam sustinent opinione, tot ac tanta congesserant, vt eam, quam nunc arbitror veritatem, penè blasphemiam existimarem. Non enim tunc benè callebā argumenta sophistica, nec deprehenderam citationes falsas: denique totam disputationem ex contentione ac zelo magis tractatam, quàm syncærè & ad veritatis manifestationem, non sanè perspiciebam. Dent obsecro mihi veniam in gratiam veritatis, qui hæc molestè ferunt, non enim hæc sic assererem, teste Christo, nisi comperta haberem. & in promptu etiam cuiuis postulanti possem ostendere. Neque verò cùm hos accuso velim quisquam existimet, me cūctos alios, qui contrà dimicarunt putare vacasse à zelo & à spiritu contentionis, & non multa potius indignè & per calumniam commentos esse, atque obiecisse in nostros: Sed quia iustus est primum accusator sui ipsius in nosmetipsos potissimum calamum acuo. Etenim circa huius quæstionis tractatum, quid non iure posset obijci in Caietanū? Iterū præfamur hic veniam, si ferro veritatis vsquàm ad viuum penetro, idq; seco quod certè sanam carnem malo contagio valeret corrumpere. Ipse enim hac de re scribens atque decernens, primùm Roman. ecclesiæ, imò ipsi Spiritui sancto, os praecludere, ac modum statuendi præfigere non veretur. Non enim vult Romanum Pontificem, ac Synodum vniuersalem iure posse pro hac sententia determinare, nisi euidentissimè fieret verum ac indubitatum miraculum, expressè ad testificandū hoc esse verū. Quod dictū, quàm sit falsum, & derogatorium illius Apostolicæ sedis, & confe-

Dilutio.

Autor olim quo pacto deceptus.

†

Caietani audita.

cōsequenter ipsius Spiritus sancti, qui illam sedem semper & vario modo direxit, vt non fuerit necesse tentari Deum, viderint docti o res. Ego verò abunde in nouis, quas in eum recōcinnaui annotatio nibus id mihi videor ostendisse. Sed quid nōn est ausus in eo libello vir ille? Postquàm enim Romanæ Ecclesiæ normā dedit determinandi de hac re, omnes vniuersitates, quæ hoc iam olim ferè à cētum annis determinarunt, præsumptuosas vocat: cum tamē sint cla rissimæ toto orbe, ac tanto tempore per tot magistrorum successio nes in eadem determinatione perstiterint, Romana interim ecclesia tacente, ac per hoc tacitè consentiente & probante, quod illæ ad sedanda plurima scandala in populis, quæ foueri per improbas con tentiones & augeri assiduè videbātur, prudentissimè ac necessariò determinarunt: presertim cūm ipsa Rom. ecclesia eādē immaculatā conceptionem solenni ritu suscipiens, & sacris indulgentijs honorans, celebret ac veneretur. Quare admiratus sum valdè altitudinē cordis viri huius, & censuram tantam. Sed neque hîc finis. Nam & Basiliēse concilium, quòd idem quoque deteminarit, Synagogam Satanæ vocat, cum tamen cōcilium illud multæ catholicæ ecclesiæ ipsa etiam Romana tacente & consentiente, hac saltem parte, suscipiant, & venerentur. Et hic vnus homo tantum verbum cōtrà pro nuntiare tam audacter non dubitat. Quod nunquàm Romani Pō tifices ausi sunt, ad quos tamen eam vocem emittere, si conuenisset, pótius pertinebat. Quin ipsemet Eugenius. iiij. aduersus quem nonnulla in eo concilio tractata & acta sunt, illud concilium se venerabiliter suscipere, & eius acta. professus est. Similiter & Nicolaus quintus proprijs decretis & confirmatione, eius concilij acta comprobauit: quanquàm non omnia, id est, ea quæ contra Romanum Pontificem gesta sunt, quibus ipsi sunt aduersati. Et nunc huius quæstionis gratia tantum, quam tamen ij soli faciunt quæstionem (nisi enim illi se opponerent iam decisa esset, nec esset quæstio) audimus priuata sententia talem Synodum, Synagogam Satanæ pronunciari, Quātò modestius si dixisset, non se astringi huius con cilij autoritate, quàm appellando Synagogam Satanæ eos, quorum neminem tandem condemnauit ecclesia, sed pro catholicis semper habuit. Sed nec ista pronunciatiōe contentus, etiam Diuæ Birgittæ canonizationem vocauit in dubium: quæ tamen & in Constantiensi concilio decreta, & à Rom. Pontifice specialiter confirmata, & ab omni recepta Ecclesia, quauis ratione cōsiderata, non minorem debet habere vigorem & firmitatem, quàm quælibet alia, cuiusuis alterius sancti, canonizatio habeat. Vide ergo lector, quantum valeat zelus, & semel iactæ positionis pertinacia.

Consilium Basiliē.

Eugenius. pp.

Nicolaus.5.

Pro caniza. B. Birgittæ.

Adhæc

Pro signis & miraculis.

Adhæc ne putes & hic esse finem censuræ hominis huius, præter hæc enim cuncta miracula, & signa, quæ circunferuntur, & quibus viri probi attestantur diuinitus ædita sub hoc nomine conceptionis, literisque fidelium memoriæ prodita, & commendata, & in sacris aris depicta, tanquam conficta aut quasi ab ipso Satana ad illusionem composita confidenter asseruit. Reuelationes quoq;, quæ hanc circa rem etiam antiquis temporibus vsque ad hæc nostra tempora, etiam scriptis nonnullorum, traduntur venisse cœlitus, & de hac veritate instruxisse nonullos seruos & ancillas Christi, à sacra Synodo esse ablegandas & mulierculis relinquendas, tanquam certè falsas aut fictas, aut ab angelis Satanæ proculdubiò venientes, pariter secura assertione pronunciat. Pietas item illa, quæ in mentibus fidelium hanc sententiam, quam probamus tutã fidelemq; esse, & omni acceptione dignam, mirifica suasione confirmat, si hunc tantum censorem & iudicem audimus, non iam est vera pietas, sed error potius & phantasia: atq; idcircò offensiones piarum aurium, quæ vel primo auditu oppositæ opinionis in multorũ cordibus creantur, a zelo procedere non secundum scientiam, non à vera pietate. Scandala item quæ exoriuntur in populis à defensione & prædicatione cõtrariæ positionis, sunt scãdala (vt iste inquit) passiua, & insipientium, & Pharisæorum, declarata illis veritate: scilicet quemadmodum ipse declarauit: qui tamẽ ab ipsa veritate coactus, id quod tenemus nec repugnare scripturæ, nec rationibus conuelli: quin pium ac probablie esse fatetur, nisi aduersarentur illi dicta Sanctorum: Quasi verò Sanctorum sententijs, quæ nec scripturis roborentur, nec certa ratione suadeantur, id quod alioqui est ex se pium ac probabile, improbabile reddatur ac minus pium, cum locus ab autoritate sit omnium infirmissimus. Quanquam & quod de Sanctis iactitant præsertim antiquis quàm sit verum suo loco tractabitur. Communem autẽ tãdem doctorum cõcursum qui in hãc sententiam (his exceptis qui addicti sunt sectæ) magno consensu à pluribus annorum curriculis conuenerunt, facere quidem probabilitatem aliquam: sed vulgarem inquit: quoniam nõ verè docti sunt & sapientes qui eam probant. Opponit enim huic probabilitati, id quod sapientibus videtur, & si pauciores sint. Quo in loco vt planè cernis sapientes ab insipientibus suo iudicio, & hac nota discernit: quod ij demum sapiant, qui tenent Diuam Virginem sub peccato illo fuisse: Cæteros autem præ his minus sapere. Ritum verò celebrandi omnium ecclesiarum sub nomine Conceptionis, nam verè sub hoc nomine festum istud in vniuerso Christiano orbe ab omnibus celebratur ecclesijs, quẽ ritum & iam communiter omnes

ordines

ordines(vt par erat) receperunt, nostro duntaxat excepto, qui etiã in hoc diuisus est: nam in toto Christianissimo regno sub eo nomine absque vllo scrupulo fratres nostri eam celebrant solennitatem: hunc inquam tam communem ritum, hic noster minus rationabilem esse contendit. Quòd verò etiam Sancta Rom. ecclesia eum ritum certa sententia susceperit, & indulgentiarum fauore honorauerit, ac iam tot annis in eo perseuerauerit, ita despicit ac floccifacit, vt corã isto iudice in hac tantum causa nihil ponderis habeat. Hæc igitur quæ ab hoc viro sunt scripta, licet verius effutita dici deberent, quæso nunquid à vobis probantur, qui sanctificatis nobis silẽtium super hac re? Nunquid hoc ad sedanda scandala promouet, & ad pacem seruandam in grege Christi? scilicet coriphæum vestrum (Scio enim ad quos loquor, & ipsi me intelligũt) de Sanctorũ Canonizatione, de miraculis, de reuelationibus, de Concilijs, de vniuersitatibus, de doctis & sapientibus, de vera pietate, de solenni ritu omninm ecclesiarum, tanta confidentia, tam liberè atque expeditè, ac tam grauibus sententijs decernere? Sed neque hîc etiam quiescũt qui zelo malo aguntur. Est enim & ex vestris alius qui vsque adeò ausus est, vt non sit veritus in medio ecclesiæ etiam opusculis æditis, hanc (quam vniuersa ferè recepit ecclesia, ac sicut diximus, festiua celebritate, solennibus officijs, ac missis honorat) non iam vt opinionem, sed vt sententiam hæreticam esse asserere. An quæso ecclesiasticæ sapientiæ est, in diuinum cultum opiniones assumere? Nunquid in diuino cultu opiniones nostras an fidem potius, profitemur, vt doctè D. Thomas testatur? Ergo quòd etiam hæreticas opiniones Ecclesia Dei celebret tanta festiuitate, quis hominum ausit dicere, nisi qui phamatico & erroris spiritu agitetur? Et tamen hæc æduntur, publicantur, leguntur ad vestræ iuuentutis corruptelam & labem. Hinc enim zelus & contentio, & illa æmulatio praua quæ scindit ecclesiam ego sum Pauli. Ego sum Cephæ. Si sanctum est obuoluere hanc quæstionem silentio, & non præbere scandala: cur hæc non comprimuntur, quæ tam manifestè sunt scandalosa, & opprobrium obiectant in ecclesiam Dei? An id forsan vestra sanctificatione silentij intenditis ijs demum non licere loqui, qui illi fauent sententiæ, quæ dominam nostram semper immaculatam fuisse ab omni labe pronunciat? (Nam hos demum ad scandalum loqui & schisma) eos verò contrà, pacem alere, charitatem fouere, & ad ædificationem moliri, qui hanc dicunt opinionem hæreticam, & vniuersitates etiam præsumptuosas & concilia. ac decreta, quæ illam probarunt eiusque solennitatem commendarunt, fuisse Synagogam Satanæ, aut irrationabiliter decreuisse? At id quàm sit iniquum,

Opiniones à cultu diuino explodẽdas, fidemq; requiri.

1. Ad Cor. 1.

Propria obiectione retunditur aduersarius.

atque nimirum, ij(obsecro)cernant, qui non penitus ab affectione praua sunt excæcati: nec mihi quæso indignentur, quòd nimis aperte pronunciem veritatem. Scio enim quòd veritas odium parit. Sed absit vt potius hominem timeam, quàm spiritum Dei: quo proculdubiò impellor indicare veritatem his, qui velint esse ex veritate, & non ex contentione. Absit etiam(vestri causa hoc dixerim) vt in ea sitis tam iniqua sententia, vt idem factum quod in me reprehenditis, videlicet, hac de re disputare, quisquam vestrum commendet in alijs, aut in semetipso: cùm sit rationi maximè cõsentaneum, quod & ciuili lege sancitum est, vt quod quisque iuris in alium statuerit, ipse eodem iure vtatur. Nec velim quisquam existimet obscurari gloriam ordinis per hoc, quòd veritati studens non patior quicquam irrepere in ordinem, quod sit alienum à veritate, & ab ea veritate, quam vos agnoscere atque amplecti valdè opportunũ existimo. Verùm ne id, quod me rectè agere puto hac de re tractans ab exemplis aut factis aliorum vel defendam, vel excusem, claris & solidis & quæ viuum tangant rationibus ostendam super ista quæstione intendere ac differere non modò non esse inutile, sed opportunum admodum ac necessarium.

Regula iuris.

Argumenta probantia huius quæstionis uestigationem ac certam tandem eius resolutionem nedum utilem sed necessariam esse.

SVnt ex nostris qui asserant Diuũ Thomam diffinire hanc positionẽ quæ habet, ꝙ beata Virgo sit concepta sine peccato originali, esse erroneã, & cõtra scripturas, idq; ex mẽte Augustini & veterũ sanctorũ Patrũ. Si id ergo putãt esse verum, cur volunt taceri? Nunquid quod erroneũ est, id est, contra scripturas, prudẽter arbitrabuntur esse silentio prætereundum? Sin autem hoc Thomæ dictũ non probant, cur ipsimet etiã hoc iudiciũ tacent in præiudiciũ iuuentutis nostræ, quæ sic Thomæ sentẽtijs perpetuò addicitur ex zelo qui non est secundum scientiam, vt ad contentionem armetur volens ad literam quodcũq; defendere, quod ille protulerit? & hoc præsertim, quod in contentionem venit. Ergo id primùm ipsi expungant, & de eorum libellis cancellent quod scripserunt, videlicet quòd hæc sententia sit hæretica: & quòd qui eam probat(vt aiũt illi Augustinum dicere) detestandus hæreticus inuenitur, & doceãt nec Thomam nec Augustinũ, hoc vnquàm sensisse, sicut de Augu. nõ dubito: vel si fortè hoc senserint, deceptos in hac re fuisse vt homines, & deprehẽsum eorũ errorem iã fuisse, cũ nõ sit bonũ per eorũ errorẽ duci quoslibet ad putandũ tãtũ inopinabile, videlicet vniuersam

Nota.

uersam penè ecclesiam suscipere & venerari hæreticā opinionem. Sin fortè dubitant de Thomæ dicto, quomodo ergo possunt sustinere in re tā graui & necessaria irresolutionē huius pūcti, idest, An hæc res verè ad fidem pertineat, vt alteram quæstionis partem cogamur suscipere? Nam quæ sunt præcipuæ theologi partes, (quæso) nisi docere, quæ ex Dei reuelatione nos certa fide suscipere debeamus? Vide igitur vt iuxta hanc primam considerationem, quoquò se vertant, coacti sunt profiteri huius quæstionis resolutionem necessariam esse, si necessarium esse constituunt (vti debent) resolutos esse articulos, quibus assentiri ex fide Christianum hominem necesse sit.

Adhæc, constat eorum nouitios autores inter se maximè dissentire circa Thomæ sensum in hoc, quòd eorum quidā putant ex mēte ac verbis diui Thomæ haberi nostram hanc, quam tamen nos verissimam arbitramur, sententiam (vt diximus) esse erroneam, & hæreticā. Vt ille quem particulariter subnotauimus. Nā sic habent etiā libelli eorū quos (vt diximus) seruant in bibliothecis suis: licet hac parte sint à decreto summi pontificis condemnati. In hanc etiā sententiam venit Magister ord. Franciscus Ferrariensis videlicet quod ex doctrina. D. Thomæ clarè habetur quod hæc sententia sit erronea & iccircò pertinere ad fidem. Quanquàm ipse huic Thomæ sententiæ se non hærere sapienter protestetur, non sicut alius qui plenus stomacho effudit indè, quod habuit. Caietanus verò cōtrà, sedulò Thomistas monuerat & docuerat, nec reuera quæstionem hāc pertinere ad fidē, vt alterā partē necesse sit agnoscere tanquā ex scripturis probatā, quod & elicit ex doctrina Thome. Vnde & Thomistas admonet vt sint cauti, quum de Beatæ Virginis cōceptione aut tractant aut disputant, ne dicant in zelo non secundum scientiam erronea, quæ non sunt erronea. Cùm ergo hæc ita sint, & ipsimet qui contrarias fouent partes, videlicet contra immaculatā Virginis cōceptionem, secum diffideant per autores suos, tū de re ipsa, tum de Thomæ sensu: quomodo potest hoc in loco cū ratione suaderi silentium, nec indagari super his veritatem, sed ferri etiam inter se tantū schisma? Nā hi duo recentiores magistri cōtra Caietanū hac parte, etiā citatis verbis, senserunt & scripserūt. Quorū alter, quē ex nomine non appellaui (nam ipse vel hac nota quòd in Caietanum scripserit se nobilissimum fecit) etiā acerbissimè in illū iniectus est. Nos autē, vt nauci & nihili homines, omninò contēnendos, prætерijt: quod æquo etiam animo ferimus. Doleo quòd inuicē nequiuimus illū silētio præterire adeò terribiliter & insignitè loquitur, atq; adeò acutè, vt spinam esse facilè putare queas: sed mittēs iocos in re

Fräc. Ferrar. magist. ord.

Caiet. admonitio.

Nō eſſe ſilē tio præter-eūdū, quod à tantis eſt pertractatū

valdè ſeria, Si hac de re omnino cogitatum non fuiſſet, neque tractatum hactenus à theologis, poſſet aliqua ratione, noua de ea re quæſtio diſſuaderi, ne moueretur, ne pareret contentiones & ſchiſmata in Eccleſia. At verò cum iam mota ſit, cùm tot voluminibus pertractata, cùm iam ſciſſæ ſint in contrarias partes ſectæ, & quælibet ſe veritatem defendere quampertinaciſſimè aſſerat, & iam videamus tot per nouos ſcriptores ſata eſſe ſemina ad omnia ſcandala & ſchiſmata: quomodo creditur eſſe poſſibile iam ſeruari ſilentium? Audiam ego tantum eccleſiarum, & præſertim Romanæ, contemptum? Item in præclariſſimas vniuerſitates, in concilia, in canonizationes, in reuelationes, in miracula, denique in omnem Chriſtianum orbem cenſuram tanta autoritate indignè prolatam, & potero conticere? Non potero: Catulus enim Domini ſum: vnde & me mordacem vocant amici mei, itaque proteſtor, ni mihi clauſerit os quam violentiſſimè, qui ſolus poteſt, clamabo & fortè etiam mordebo, ſi ſagaci nare deprehendero beſtiam: & excitabo paſtores & patremfa. domus, ſi quando ab alijs curis auerſus, ad hæc dirigat oculos prouidentiæ ſuæ, vt vel catulum tandem compeſcat ſi fortè fallitur, vel certè lupos & beſtias malas, ſi nare certa deprehēderit atque oſtenderit feram.

Ad intellectū ſcripturarū facere huius q. reſolutionem.

Adhæc, cum ſcrutari nunc ſacras literas plurimi velint, & intellectum verum earum aſſequi, & incidant neceſſe ſit in loca multa, quæ de hoc peccato loquuntur, cum inde quælibet harum partium afferat ad ſuam ſententiam comprobandam, nonnulli Diuam Virginem ſub peccato conſtitui, quidam verò contrà: Et ferè paſſim hæc occurrant, & nunc præſertim (vt dixi) cum ſcripturæ verſantur in meditatione hominum, quis poteſt continere legentem ab huius quæſtionis conſideratione, quæ ſeſe offert & ingerit, velimus nolimus. Quis ergo inde non in aliquam partem magis inclinet, in quam ipſa ſcriptura vel innuere, vel certo argumento impellere videatur? cuius rei exempla videbimus in diſputatiōis proceſſu. Quis igitur poſſit ab huius rei cogitatione auerti, & adhuc, ne quod ſentiat, proferat, niſi ſemel prorſus determinet de ſcripturarum vero intellectu eccleſia ſancta, & imperet vt idipſum dicamus omnes, &

1. Ad Cor. 1. non ſint inter nos ſchiſmata? Ergo cum ex harum ſcripturarum dilucidiore excuſſione verus ipſarum reſultet ſenſus, & conſequenter quæſtionis huius: quo modo poteſt, vt inutilis, hic tractatus prohiberi?

Adhæc ex Thomæ & ſectatorum doctrina habetur quod hæc ſententia, quam probamus, derogat Chriſto: & id nobis obijciunt, qui negant Virginis conceptionem immaculatam, eò quòd conſequenter

quenter negemus Christum eius redemptorem, conciliatorem, saluatorem, medicum, & huiusmodi: Si hoc verum sit, nunquid est bonum eos tacere, & ferre tantam diminutionē in Christo? Quod si illud multò sit verius quod audacter asserimus, adeò hanc sententiam nostrâm non derogare Christo, quod ipsi in nos obiectant, vt etiam illi plurimum arroget, Nunquid est bonum silere, & calumniam manifestam non depellere: ac manifestare his, qui non videât illam? Absit vt cordatus homo consentiat.

Adhæc, persuadetur prima facie multis, quod etiam in eorum argumentis ij habent, quòd si conceditur Diua Virgo sine originali peccato, iuxta nostram sententiam: iam æquatur illa Christo. Nunquid ergo si hoc verum ipsi arbitrantur, possunt salua conscientia silere, & nos qui certo perspicimus id esse falsum, & hac stante sententia, illam longo interuallo relinqui post Christum, imò & magnificari ipsum Christum præ illa est bonum silere hoc, & non eorum nouitijs, qui tam falsis eorum argumentis imbuuntur, prospicere ne rapiantur in zelum non secundùm scientiam & facilè procedant in contentiones?

Adhæc, ista quæstione contenditur, an Beata Virgo fuerit sub originali concepta nec ne? & consequententer an aliquando maculata & subiecta peccato necne: & consequenter an quandoq; sub ira Dei & sub potestate ac dominio diaboli nec ne: hæccine igitur sunt inutilia, ac nullius momenti vt inquirantur de Matre Dei? *Quæ inquirantur de b. Virgine*

Adhec cum econuerso præter scripturas & rationes multas pro hac nostra sententia, producantur miracula & signa de cælo: & contradicentes tanquàm conficta esse, aut falsa citra vllam cognitionē tam expeditè iudicent, nunquid etiam circa hoc rectè iubetur silentium? siue sint vera miracula (vt putamus) cum non sit tacendum, quòd Deus etiam miraculis probare dignatur vt etiam colatur, siue sint falsa, cum falsa miracula non sint adeò temerè inculcanda pro veris: & quod valdè perniciosum est etiam ad testificandum pro re vel inutili vel falsa vel (vt asserunt qui supra modū audent) etiā heretica? & quod de miraculis dixi, etiam de reuelationibus dici potest. Si enim reuelationes quæ circunferuntur veræ sint, nónne eas etiā patêre bonum est, vt agnoscamus quas, nobis Deus reuelans, vult coli veritates? Ad hoc enim quippe reuelat: Et scriptum est: Reuelare & confiteri opera domini honorificum est. Quod si hæ reuelationes aut falsæ, siue fictæ aut commentitie contenduntur, Nónne valdè noxium in agro Dominico eas recipi pro veris & tanquàm cælitus allatis? præsertim cum asserātur esse seruorum Dei &, ancillarum Christi, & earum, quas in Sanctarum catalogo connumerauit *Thob.12.*

ecclesia sancta: vt de Sancta Birgitta asseritur? Et nunquid (quæso) etiam id nullius momenti est in ecclesia, vt eius canonizatio huius quæstionis gratia vertatur in dubium? O tempora cæca & adhuc sanctificatur silentium. Mitto & alias, quas secum trahit magni præiudicij quæstiones, hec questio (videlicet) de conciliorum decretis & ipsius adeò Pontificis, de ritu ecclesiarum de determinationibus vniuersitatum: de pietate vera vel falsa: denique de cultu diuino, in quo subesse falsum aliquod & mēdaciū, idq; per ecclesiā Dei, quod esset si concederemus hanc sententiam esse falsam, valdè perniciosum est, & ad scandalum fidei maximè faciens. Nam hæc omnia per istos accidunt, qui pertinaces in opinionem, tandem coguntur ea pernegare absurda esse, à quibus tamen Sanctus Thomas (quem ipsi præcipuum autorem habent) vehementer abhorruisset. Ita me ipse Thomas amet obsecro, & adsit mihi: cuius etiam deuotè imploro auxilium & patrocinium in causa ista, vt hæc ex eius mēte profero, & ex eiusdem syncærissima doctrina.

B. Virginē non debere honorū titulis propter falsam pacē priuari.

EX dictis arbitror iam satis patere, non solùm huius rei tractationem non esse inutilem, uerùm etiam multis de causis oppidò necessariam, quòd & multas & magnas, ac magni ponderis secum ferat animaduersiones. Quare illud vanum, & friuolum, & meræ fallaciæ est ad imponendum simplicibus, quod obijciunt quidam videlicet superfluè nouos honorum titulos inquiri ad collaudandā Virginem, quando satis ei sint illi multi, quibus ab antiquis Patribus est ornata, & commendata, vel hic solus quòd dicitur Mater Dei, hinc exclament: Quantò prudentius, si Pauli exemplo, nihil aliud nos scire profiteremur quàm Iesum Christum & hunc quidem crucifixum. At nos exaduerso dicimus, Nunquid ergò detrahenda est illi laus hæc si vera sit, quòd alijs pluribus abundet? Nonne peccatum est homini, si cuipiam detrahat vel in vno, quàmuis in cæteris etiam laudet? aut (quod multò est iniquius) iccircò in alijs laudet, vt fidem aucupetur in quo vituperet? At simili argutia negari posset, & Dei mater, sicut olim quidam, & dicere: Quenam tandem superstitio hæc vt cogamur eam dicere Matrem Dei? An fortè desunt aliæ præclaræ Mariæ laudes? Ecce profitemur illam virginem & fœcunditatis gloria singularem, prædicamus eam humilitate præstantem, innocentia puram, illustrem fide, spe sublimem, charitate flagrantem, omni insuper gratia & virtute ornatam atque refertam: denique Christi matrem. Quid igitur etiam super hæc negotium nobis facitis, vt Dei quoque matrem illam confiteamur, quasi verò ipsam illa genuerit deitatem, quod horribile est vel dictu. O vulpes, vulpes.

1. Ad Corinth. 2.

Occasio ad periculū detrahendi B. Virgini sinō defēdatur absolute eius honor.

pes.sed inciderunt in laqueos,Et vicit Leo de tribu Iuda:& datus est honor suus matri,& insonuit vniuersa ecclesia ore consono, Maria mater Dei,non solum mater Christi.Atque ita perijt memoria impiorũ cũ sonitu,,vt iã pro meritis viuãt in pœnã/&cõtumeliã. Quod si & nunc similiter Deo placet,vt certè placet vt ex hoc admirabili conceptionis eius priuilegio maternus hic honor agnoscatur ab omnibus atque probetur:qui sumus nos miseri,qui eius voluntati posse resistere speremus? Nam quòd insuper adijciunt parum ad laudem Dominæ attinere hoc,quod illi ascribimus,priuilegium,prorsus inopinabile est.An quæso parum mali existimant peccati fœditatem,Dei iram,atque inimicitiam: Diaboli seruitutem,etiam si quis paruo momento his tantis malis teneatur? At non ita censent qui spiritualibus oculis rem perspiciunt. Quare ab hac adeò misera conditione singulari bono seruatam fuisse,magnum esse arbitrantur:sicut & illa exultans in spiritu professa est quia fecit mihi magna qui potens est. Quòd si parum etiam ex se hoc donum profiteremur,magnum tamen profectò fieret tum præstantia donatoris,tum etiam singularitate eius,cui soli donatum sit. Nam vt quidam egregiè dixit: A magnis principibus,etiam minutulis donis,honestari,magnum & fauorabile censetur. Deniq; si vir ille spiritualium rerum diligens examinator,atque æstimator prudens Augustinus,carnem Mariæ iam demortuam,pro quouis temporis puncto obnoxiam corruptioni non poterat sine horrore cogitare (vt ipsemet testatur) quantò hoc certè minus de sacratissima anima illa cogitandum, quòd peccato corrupta, quòd Diaboli potestati subiecta,quòd Deo tandem inimica,etiam pro quouis momento, verè dici potuerit? Sed quid vlterius moror cum & hoc in loco isti ex diametro cum sententia beatæ Thomæ depugnent. Nam quod ipsi adeo paruifaciunt, Thomas ipse contrà adeò magnifacit vt idcircò neget Mariæ conuenire, quod nimis excelsum videbatur,eò quòd per illud æquari videretur Christo. Nos tamen vt suis locis declarabimus & magnum esse fatemur,nec tamen adeò magnum vt ad Christi maiestatem ascendat. Quare friuolum est penitus quod addebant,satis esse eam vt Dei matrẽ celebrari,id que solũm loco omnis laudis. Nam hac ipsa ratione concluderent,ne laudetur vt virgo,ne colatur vt sanctificata,taceatur & assumptio eius gloriosa:& alij prærogatiuarum tituli quibus abũdat. Adhæc dum ipse mecum animo & cogitatione contemplor,quàm grande ac magnificũ sit esse excelsam Dei genitricẽ:tum quàm vile & indignũ computari sub macula & fœtore peccati,& sub ira omnipotentis,magna profectò dissonãtia offendor.

Apoc.5.

Ad laudem Mariæ maxime attinere præseruatã esse à labe peccati.

Luc.1.

Plinius in epist.

Ex August. argumẽtũ à minori ad maius.

Non decere matrẽ Dei, Deo inimicã & Diabolo subditã fuisse.

Piæ

Piæ enim aures cacophoniam istam facilè sentiunt, cùm hinc matrem Dei, inde illam ipsam sub ira Dei audiunt. Hinc rursum matrē Dei, inde sub fece ac fœtore peccati. Neque verò dubito, si sectarū affectione semota, etiam vos ipsi (o amantissimi fratres) in cordibus vestris rem eam tranquillius tractaretis, proculdubiò hanc absurdā dissonantiam sentiretis. At quia nunc magistrorum traditionibus addicti, atque iccircò male affecti sunt quidam, nihil mirum, si à re quantumuis absona, non patiuntur. Nam quid est illud quæso quod obijciunt, non iudicaui me aliud scire nisi Iesum Christum, & hunc quidem crucifixum? Hoc enim in catholicos Faustus Manichæus obijciens responsum accepit ab Augustino præclarum: quo & ego nunc in proposito vtar. Multa enim (inquit ille) sub hac Iesu Christi crucifixi sententia continentur, Ego verò in hoc ipso crucifixi libro hoc eximium Mariæ priuilegium lego & agnosco: quia nobilissimo modo eam redimi decebat, de qua caro illa accepta est, quæ meruit redemptionem. Quòd si fortè non ita beati quorundam oculi, vt hæc videant, saltem ne sint nequam, vt his qui vident, inuideant. Nam vt etiam aliquid in spiritu meo audeam, cō fidenter assero, qui Iesum Christum, & illum præsertim crucifixum, à Maria disiungit, hic profectò & Christum scindit, & mysteria salutis non integrè capit. Est enim ab æterno prædestinatus Iesus, at cum Maria: dictum est pro illo, Adorent eum omnes angeli eius: at non sine illa quæ audiuit & lætata est, eò quòd & ipsa super eos est exaltata (vt confidenter canit ecclesia) ad cælestia regna. Venit angelus à Deo Patre de cœlo vt euangelizet in terris verbum bonum. At quis dignus audire mysterium, nisi sola hæc Virgo, quæ vt prius illud in mente conceperat, ita audito verbo & præstito pro se, & humano vniuerso genere, consensu, subitò concepit in ventre? Incarnatus ergo est ipse, & natus ex tempore: sed de Maria, Reclinatus est in præsepio, sed ab illa, Adoratus est ibi à militia cœlestis exercitus, sed primū ac potissimū à Maria. Illa enim cū ineffabili charitate excepit in gremiū miro feruore, mundissimis pannis inuoluit, incredibili lætitia ad materna vbera applicuit. Inuenitur à pastoribus mysticis muneribus, à sanctis magis recognoscitur, semper tamē adest Maria, quæ conseruat omnia verba illa in corde suo. Implet legis munia, sed nō sine Mariæ secedit fugiēs herodianā rabiē infans in Ægyptū, sed indiuidua comes Maria. Prædicat turbis, cōtēdit audire Maria. Nā hinc verè beata, quia præ omnibus audijt verbū dei & custodiuit illud. Pendet in Cruce Iesus, sed prima iuxta crucem Maria: cæteri siue mares siue fœminæ vel fugisse, vel à longè seiunctos, aut stantes esse leguntur. Deponitur de cruce, & inuoluitur in

Addictus sectis non facile ueritatem cernit.

Importuna obiectio.

Aug. in Faustum.

Luc. 1. & 2.

B. Matris Dei cū filio aßidua coniunctio.

Matth. 2.

Ioan. 19.

in Syndone munda, hic elegans contemplator in syndone illa facilè agnoscit eam, quæ verè munda circūdedit virum. Sepelitur in sepulchro nouo quod excisum fuit in petra, in quo nullus alius anteà positus fuerat: hic æquè licet beato oculo spectare Mariam, in qua verè reconditus est Iesus & seruatus. Ipsa enim excisa proculdubiò in Petra: Petra autem erat Christus. Nullus autem anteà quisquam positus fuit in ea: quia nullus ibi locus Diabolo vnquam fuit, cū esset ab initio sacrarium spiritus sancti, & mox gazophilatium æternæ virtutis, ac sapientiæ. Resurgens apparuit mulieribus ac discipulis, sed vt multò est credibilius primò Mariæ. Ascēdit in cœlum Iesus, sed vt prima, & electissima, & purissima dona accipiat in Maria, & ineffabilia, quæ non licet homini loqui, cōmunicet. Mittit spiritū sanctum, sed assistente & orante Maria. Sedet filius ad dexterā Dei Patris, sed consedere facit & matrem, vt dignissimā reginam in gloria consummata, in vestitu deaurato, circumamictam varietate. Deniq; venturus speratur ad iudicandum: Quis non etiam cū illo venientem, atq; etiam assistentem eius lateri contempletur Mariam, sicut scriptum est, quòd prudentes virgines occurrerunt obuiā spōso & sponsæ? Vbi sunt ergo cōtēplatores isti, qui Iesum Christū prædicant & illum crucifixum, & tamen possunt ibi non spectare Mariam, quæ tunc maximè, vt præclarè meditatus est Augustinus, tunc inquā maximè à Christo respecta est, quùm caro illa (quam de ipsa trahere dignatus est) pro omnium salute pēdebat? quantò ergo magis pro eius salute, quæ causam salutis ædidit vniuersis? *Act. 1.* *Matth. 25.*

Quod item postremò de scandalis afferunt, nihil est. Etenim necesse est vt veniant scandala, sed væ homini per quem scandalum venit, At quisnam autorem scandali illum censeat, qui cum ecclesia loquatur gloriosa de matre Dei, quæ ad filij etiam maiorem gloriā faciunt. Quòd si quidam inde scandalum patiuntur, vnde & in fratrem suum odio excitentur, ipsi sibi testimonio sint necne verè seruos Dei sese declarent, qui à re pia offenduntur, neque satis (quod plus admonēt) obseruant cū ipsi non sint mansueti ad omnes. Neq; enim alij sunt qui hac de re scandalum patiātur, præter eos qui Magistrorum sectis afficiuntur, & qui ab his rumoribus prætextu pietatis subuertūtur. Cæteros verò doctrinā, ædificationē, exultationē in Domino potius capere: quod & tātò magis facerēt, quantò minus hæc veritas haberet impugnatores. Ipsi igitur magis scandalorū autores sunt, qui mētes pusillorū atq; simpliciū perturbant, & subuertunt gratis. Illud tamen certò constat, multos tanti consideratione mysterij in deuotionem ac gratiarū actiones, & deprecatiōes, vehementius excitari: Alios ad misericordiam & beneficentiā in Christi *Matth. 18.* *Studium piorum excitatum ardentius ad bona opera.*

pauperes conuerti: plurimos sub ea commemoratione salutares offerre hostias: nonnullos etiam sanitatum beneficia, & alia dona per huius rei fidem, ac professionem vt deuotè implorant, ita feliciter impetrare: quanquam hoc amici, isti nostri derideant. Adde, quòd sub hoc titulo nonnullæ institutæ sunt (quas vocant) fraternitates ad diuinas laudes, erecta etiam templa ac sacella, quæ latius patent. Quis igitur hæc, quæ huiusmodi sunt, scandala vocare possit, nisi cui & ipsa religio, & misericordia, & sacrificiī, & opera Dei, & eius honor & gloria in eius matre amplificata displiceant? Neq; tamen mirum, si non hæc sine contradictione procedant. Ita enim semper obseruatum est in rebus Dei, vt & gloriosior fiat ex contradictione victoria: vt ita quasi aurum in igne probata veritas, rutilantius elucescat. Debuit enim & mater filio, aut sponsa sponso assimilari, de quo prophetauit Simeon futurum illum signum cui contradicetur.

Nō sine conflictu perspici in rebus diuinis ueritatis splēdorem.

Vt igitur contra hos huius importuni silentij suasores, ac falsæ pacis & concordiæ sanctificatores, breuiter rem perstringam, te tandem alloquor prudens lector, & veritatis amator. Si huius rei & quæstionis inquisitio & indagatio talis est, de qua nullus nobilium Theologorum à trecentis annis lapsis, ad hunc diem non disputauerit: Si ab eius elucidatione multarum verior scripturarum sensus accipitur, ac longè illustrior (id quod putamus ex hac disputatione veritatis amantem posse agnoscere) si antiquorum sententias doctorum atque sanctorum sana interpretatione intellectas, non solum huic nostræ sententiæ non aduersari, verumetiam potius fauere, contra quod contradicentes arbitrantur, hîc manifestè ostenditur: Si hæc item aperta veritas non solum non derogat eminentiæ Christi, vt ipsi putant, verùm etiam seruat eam ac magis conspicuam facit, cùm non minus ad eius quàm ad matris gloriam amplificandam pertinere doceamus: Denique si huius sententiæ elucidatio est pietati conueniens: doctorum diffinitionibus, ritui ecclesiastico, sedatrix discordiarum, si recipiatur ab omnibus vt deberet (Nam hec omnia, non proteruis mentibus efficaciter hoc tractatu persuadentur) si hæc inquam ostendantur manifestissimè (vnde & retunditur nonnullorum insolentia, qui zelo perciti non secundum scientiam, multa indignè nec solum imperitè verumetiam vt ex parte ostendimus contumeliosè iactarunt) profectò opportunum est non silere, vt hæc tam pulchra veritas honoretur, & obseruetur in gloriam & laudem omnipotentis Dei, & Domini nostri Iesu Cxristi, ac sanctissimæ matris eius, Amen.

Summa eorū quæ inferius probantur.

Nostra

NOstra igitur positio pro qua ingenua & liberali disputatione certamus, & quam fidelem & omni acceptione dignam arbitramur, hæc est:

Diuam Virginem Domini Dei sui ac nostri matrem, ab illa communi labe quæ in omnes homines primorum parentum culpa processit, singulari prærogatiua, ob excellentissimam eiusdem filij sui gratiam ac merita pro illa, & ob singularem eius charitatẽ in illam, à Deo patre summo semper exceptam præseruatamq; fuisse.

Quoniam contra hoc adeò nobile priuilegium sacræ Virginis instruxerunt aciem aduersarij, duas nobis ordine turmas obijcientes, Primam, quæ continet rationes, quas de scripturis educere sibi videntur, Secundam, quæ sententias autorum complectitur, quæ hoc priuilegium Dominæ oppugnare videntur, opportunum censui primùm gladio veritatis his obuiam procedere, vt disiectis illis ac profligatis, confidenter tandem valeamus ostendere quot, & quantis, hæc pulcherrima veritas, & quidem inexpugnabilibus fulciatur præsidijs. *Ratio procedendi in hac disputatione.*

DISPVTATIONIS PRO IMMACVLATA B. VIRGINIS CONCEPTIONE.

LIBER SECVNDVS.

De prima contradicentium acie & turmis, à rationibus de scripturis collectis.

PRIMA IGITVR ADVERSANTIVM RAtio, & omnium aliarum principium & radix, qua cõtradicentes huic nostræ sententiæ aduersantur, illa est: Quicunque conceptus ex virili semine est Adæ filius, sub hoc peccato concluditur: non est autem dubium B. Virginem hoc pacto conceptam, fuisse Adæ filiam, Ergo &c. Nos autem respõdentes dicimus verum esse, quod *Præcipua cõtradicentiũ oppositio.* *Responsio.*

quicunq; est Adæ filius, ex vi huius generationis, debet sub hoc peccato concludi: quòd autem de facto concludatur, nihil necesse est. Quocirca qui diceret B. Virginem ex seipsa, & suo ipso iure ab hoc peccato exclusam esse, aberraret prorsus à veritate: Qui verò dicit quòd illa, licet ipso iure deberet hoc peccato teneri, ex priuilegio tamen & in gratiam filij sui, & propter eius merita, præseruata est ne vnquam illo coram oculis Dei implicaretur quod nos dicimus, profectò vniuersam aduersantiam machinam in ruinam mittit.

Obiectio.

Quomodo Christus sit B. Virg. saluator redẽptor &c.

COrruit enim primò id quod aiunt, Si beata Virgo non fuit sub hoc peccato, nõ fuit Christus eius redẽptor, & liberator, & saluator, aut iustificator, & medicus, & sanctificator. Nam ex hac sentẽtia nostra tãtũ abest vt id cõsequatur, vt oppositũ potius colligatur: videlicet, ergo fuit magis eius redẽptor & liberator &c. quàm oĩm aliorũ, quoniã cũ alioqui deberet in peccatũ ruere, & Diaboli faucibus dimitti, substẽtata est præseruatiõe ne rueret, & in Satanæ potestatẽ veniret: atq; iccircò longè excellẽtius quàm alij liberata & redẽpta. Nõ enim vt quis indigeat redimi ac redemptus dicatur, requiritur quòd fuerit de facto captiuus: sed satis est ꝙ ex se fuerit obnoxius captiuitati, & redimatur à captiuitate incurrenda ne incurrat. Quod genus redẽptiõis tãtò certè est dignius, quãtò etiã melius est (vt aiũt Iuriscõsulti) ante casum occurrere, quàm post causam vulneratã adhibere remediũ. Et quod dicimus de redẽptione, etiã de saluatione, iustificatiõe, liberatiõe, medela, & huiusmodi dictũ volumus. Quare & sanctus Dauid dixit, Qui redemisti Dauid seruum tuũ de gladio maligno, hic est enim punctus: & intelligitur de gladio Saulis, à quo tamen tactus non fuit. Et post hæc subdit: Erue me & libera me de manibus filiorum alienorũ: & tamẽ sub eorũ manibus non erat, à quibus petit erui & liberari: sed quia esse poterat, & peccata sua videbantur mereri, ideò acsi sub eis esset, petit erui ac liberari. Sed aiunt, Non est opus medico bene valentibus sed male habentibus, Benè, Sed nec sunt inter benè valentes computãdi, qui ex seipsis morbidi essent, nisi præseruans medela morbum propelleret. Quare & rectè circa hoc Augustinus Sicut sunt duo officia medicinæ: alterũ quo sanatur infirmitas, alterũ quo custoditur sanitas: sic & duo dona gratiæ, vnũ quod aufert carnis cupiditatẽ, alterũ quod facit animæ perseuerantem virtutẽ: ita vt vterq; indigeat medico, & qui est infirmus vt infirmitas sanetur, & qui potest infirmus fieri vt seruetur in sanitate. Hæc Augu. Bernar. etiam in suis cãticis magis audet, ita vt in ipsis angelis constituat redẽptionẽ: ait enim: Qui erexit lapsum hominẽ, statim dedit angelo ne laberetur: sicut illũ de captiuitate eruens, sic hũc à captiuitate defendẽs. Et hac ratiõe fuit Christus vtriq; redemptor,

Psal. 41.

Matth. 9.

Aug. de vera innocen. Duplex medicinæ genus.

Ex D. Bernardo Angelos redemptos.

ptor,soluẽs illũ,ac seruans istũ.Hierony.etiã angelos gratuita gratia saluatos dicit.Durãdus item,licet contrariã opinionẽ teneat contra Virginis conceptionẽ,non tamen ita durus fuit vt nõ hoc fateatur quod dicimus,etiã hominẽ indigere redemptiõe,qui in periculo sit captiuitatis:vnde si eruatur ne fiat captiuus,etiã verè dici redẽptũ. Quod similiter & Caieta.ingenue confessus est ijs verbis:Non solũ indigere redẽptiõe,qui actualiter captiuus est,sed etiã qui obnoxius esset captiuitati.Et adiecit,Et hæc benè notabis tu Thomista,ne nimio zelo nõ secundũ scientiã dicas erronea,quæ non sunt erronea, quum de beatissimæ Virginis cõceptione disputas aut prædicas.Nõ me latet quẽdã cõtra Caietanũ argumentatũ esse hoc pacto,Nullus (inquit)potest dici peccato obnoxius antequàm sit:Si igitur B.Virgo aliquãdo fuit peccato obnoxia,profectò fuit quãdo iã erat,& ita saltẽ primo instãti suæ cõceptiõis:Tũc autẽ quãdo erat obnoxia,nequaquam poterat dici præseruata & sine pctõ.Et nos dicimus quòd iste arguẽs nõ percepit Caietani mentẽ,& dictũ nostrũ.Non enim simpliciter cõtẽmur Mariã obnoxiã captiuitatis,sed ex se & suapte naturæ cõditione:Ille verò perinde accipit,acsi simpliciter diceremus eã aliquãdo obnoxiã captiuitati,errans ea fallacia,qua accipitur simpliciter pro eo quod est secundũ quid.Sed instãt & alij apud Capreolũ,negantes posse dici Mariã incurrisse peccatũ,ob id quod debuerit incurrere:sicut nec potest dici Iudam nõ prodidisse Dominũ,eò quòd debuit nõ prodere,sed nõ vident & ipsi fallaciã,quod idem verbum(debuit)aliter atq; aliter accipiunt.Nã quod dicimus, Maria debuit incurrere illud peccatum,nõ significat quod esset obligata actiuè ad cõmittendum delictum illud,sed passiuè ad suscipiẽdum:quoniam ex se non poterat non suscipere seu non incurrere: & ideò ex se dicitur incurrisse.At Iudas debuit non prodere actiuè, id est,debuit abstinere à proditiõe,quod quidẽ ex se facere poterat. Cũ igitur ex se prodiderit,rectè dicitur prodidisse,nõ autẽ nõ prodidisse:Quod tamẽ dici posset,si quãtũ in se erat nõ prodidisset,si fortè aliquo modo prodere potuisset nõ ex se,sed coactus & à causa extrinseca.Nã accipe hic exẽplũ benè cõgruũ,Abraam ex Dei iussu debuit nõ parcere filio suo sed occidere,scriptura dicit quod nõ pepercit ei cùm tamẽ nõ occiderit eũ de facto & ita pepercerit.Vide ergo ꝙ dicitur nõ pepercisse,quia quãtũ in se fuit nõ pepcit,sed ab extrinseca causa , id est, ab angelo iussus est parcere.Ita ergo rectè dicimus Mariã hoc peccatũ ex se incurrisse,quia ꝙ nõ incurrerit ab extrinseco factũ ẽ:ipsa aũt suo marte, aut quouis fctõ suo,vitare nõ potuisset.Quòd si pergãt negare,posse liberari quẽquã à malo nisi prius illud incurrerit:quæso respõdeãt qdnã illi orẽt in litanijs,quũ dicũt,

Vere dici redẽptũ & saluatũ qui ne incidat in periculũ retinetur.

Hierony.

Durandus.

Caietanus.

Frãc.Siluest. sup.Tho.cõtra gentiles.

Solutio loci apud Capreolũ.

De pditione Iudæ.

Exẽplũ ab Abrahã.

Gen.22.

Obiectionis dilutio.

Ab ira tua: ab improuisa morte: à pœnis inferni: à cæcitate cordis libera nos Domine. An (quæso) orauit vt prius veniant super se mala illa, & cæcitas cordis, & pœnæ inferni, & alia huiusmodi, vt sic dein de valeant liberari? Profectò, non existimo ita cæcos esse corde vt hoc orent, sed id potius vt Dei gratia præueniēs prohibeat illa mala ne veniant: ac per hoc potiore liberatione liberentur. Porrò de sanctificatione Virginis mirè paralogizant, qui sic arguunt: Maria fuit sanctificata, ergo subiacuit peccato. Quasi verò sanctificatio de se præsupponat peccatū. Christus ergo qui sanctificatum se profitetur, fuisset aliquādo in peccato. Quod horrendum est vel cogitare. Ergo vt declarat bene B. Tho. sanctificare est aliquid sanctum facere: fit autem per se aliquid ex opposito (vt ait Philosophus) vt album ex nō albo: Ex contrario autē, id est, ex nigro per accidēs ita sanctus fit quispiam per se ex non sancto: ex immundo autem & peccatore, per accidens. sicut lignum incendere, non est inde humores expellere nisi per accidens, si fortè insint: ita & sanctificare non est amouere peccatum nisi per accidens, si inueniatur. Quin imò etiam hi effectus distinguuntur à B. Paulo, qui ait: Sed abluti estis sed sanctificati estis: vt ablutio ad sordem peccati amouendam pertineat, sanctificatio ad gratiæ accessionem. Quod & planè declarat idem Thomas super cap. ij. ad Roma. Et Hieronymus super eam quæ ad Ephesios. Adhæc etiam illud addo, quòd tantò est dignior sanctificatio, quātò quod sanctificatum est abfuit à peccato, vt præcipua sanctificatio sit illa Christi: proxima verò illa matris. Sicut & incensio ligni erit facilior atq; efficacior, quæ inuenerit ipsum siccius, & ab omni humore alienius, qua de causa & illud patere potest quàm imperitè vulgus immaculatam sanctificationi conceptionem opponat, quasi repugnent. Et nos dicimus quòd tantò nobilior fuit sanctificatio Virginis, quantò illa fuit alienior à peccato, quod non oportuit amoueri. Idcircò B. Ioannes Chrysost. dixit B. Virginem sublimiori genere sanctificationis mundatam: non dixit copiosiore sanctificatione, vt isti volunt, sed sublimiore genere sanctificationis: quod certè fuit in Maria, quia non est sanctificata à peccato quod vnquam incurrerit, sicut alij omnes sumus. Sed rursum arguunt, B. Virgo non fuit sanctificata ante animationem, ergo post: & ita aliquo instanti inuēta est non sanctificata, ac per hoc sub peccato. Inefficax sane processus, quod & Caietanus ipse fatetur: Quid enim prohibet in eodem instanti, quo creata fuit anima illa benedicta, etiam fuisse sanctificatam? sicut & de Christo, imò & de Angelis & primis parentibus dicimus. Vnde & quod afferunt Exod. cap. vltimo: Postquàm perfecta sunt omnia, operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria Domini

B. Tho. 3. q. 34. ar. 1.

1. Cor. 6.

Thomas.

Hieron.

Sanctificationi immaculatam cōceptionē nō esse oppositā cōtra vulgi errorem.

Chrysosto.

Obiectio.

Caie. 3. q. 27. art. 2.

Tractatur locus Exodi de tabernaculo &c.

Domini impleuit illud.vt ex hoc tanquam ex figura colligant prius fuisse B.Virginem,quæ per tabernaculum significatur,quàm nube sanctificationis fuisset operta,Nihil est,tum quia figura illa est secundæ sanctificationis,quando concepit in vtero filium Dei,Tunc enim potissimum superuenit in eam spiritus sanctus & gloria Domini,hoc est,Christus impleuit eam.Similis est locus apud Ezech. ca.xliij.vbi legitur:Ecce impleuit gloria domini domū eius.Quē locum sic exponit & B.Thom.Tum verò quia nihil prohibet dici prius esse B.Virginem,quàm esse sanctificatam:prius autem,non tēpore,sed natura.Quamobrem iam vides,bone lector,hoc argumētum non solum non pugnare contra sententiam hanc,sed adiuuare illam magis,vt constituatur filius suæ amantissimæ matris,& sponsæ singularis,singularis etiam & eximius redemptor,& liberator,& sanctificator &c.

Luc.1.

Ezechiel.

COrruit & secundò quod aiunt:Si B.Virgo non fuit sub hoc peccato,derogatur Christo cuius hoc debuit esse singulare,sicut scriptum est:Virum de mille vnum reperi,mulierem ex omnibus non inueni.Et nos dicimus singularitatem,circa hoc,Christi sarctā tectam per nos manere.Singulare enim hoc fuit Christi,non solùm hoc peccato non teneri,sed ipso iure & ex vi conceptionis & natiuitatis suæ non teneri non autem ex priuilegio.At nos matrem ab hoc peccato ex priuilegio excipimus,non quidem ipso iure sed ob gratiam Christi & merita.Itaque tātum abest vt derogemus in hoc ipsi Christo,vt etiam contrà plurimum arrogemus:quem constituimus eximium redemptorem,& seruatorem suæ dilectissimæ matris: ac simul matri suam reddimus(quæ illi debetur præ alijs)prærogatiuam singularem.Desinant ergo obijcere manifestam calumniam, videlicet quod non amplius concedamus Christo:multum enim & omnifariam illi tribuimus.Christus enim nec liberatus est,nec indigens liberatione:Maria verò contrà,& liberatione indigens,& liberata.Et quo maior accedat gloria Christo per ipsum liberata & quidem modo eminentissimo: vt vtrique sua seruetur maiestas.Vt enim rectè docet B.Thomas hoc singulariter & proprium Christi fuit,habere talem plenitudinem vt redundaret in omnes vt dicitur, De eius plenitudine omnes accepimus:sed B.Virgo talem plenitudinem accepit,vt esset propinquissima autori gratiæ.Sit igitur ipse Christus per nos,& sententiam nostram primus autor gratiæ,non Maria:sed huius gratiæ sit illa particeps prima,& modo summo,vt sic fiat propinquissima Christo:alioqui non satis verificatur Thomæ doctrina pro matre Dei,si ab hoc loco & gradu gratiæ,qui est post Christum & Christo propinquissimus,exploderetur.Verè autem

Eccle.7.

Quomodo Virgo a peccato liberata ad maiorē filij gloriam.

Christi & Virginis in nascēdo discrimē.

3.q.27.ar.5.

Post christū B.Virginē primū gradum gratiæ obtinere.

autem est derogare Christo, non concedere eum meliorem pro matre sua redemptorem. Si enim est illi gloria & honor in redimendo, nõne in magis redimẽdo maior quoq; gloria illi, & honor accedat? Quare nec verum est quod quidam obiectant, nos æquare Annam Virgini. Anna enim non immunis fuit ab originali, at Virgo fuit: Anna matrem Dei concepit, Virgo ipsum Deum: Anna sterilis ex viro concepit Virginem, Virgo autem ex spiritu sancto redemptorem: Anna mater fuit eius, quæ natura subdebatur peccato, Virgo mater fuit eius, qui per omnia à peccato liber, omnium extinxit peccatum. Nunquid igitur hoc est æquare Virginem Christo? aut Annam Virgini? scilicet Redemptori redemptã, & præseruatæ nõ præseruatam? & hic habes etiam saluum testimonium scripturæ dicẽtis, virum de mille vnum reperi. Nam sicut rectè B. Thomas ipse exponit, hoc ibi viri singulare declaratur, id est, Christi: quòd ipse solus fuit salutis omnium autor, non vlla mulier. Cõuertatur ergo suum ipsorũm hoc telum in illos, & dicamus: Cum hæc nostra sententia manifestè attineat ad gloriam Christi (cuius gratiæ effectum amplificat in matre sua, & ita etiam ipsi Christo magis arrogat) certè fidelis sermo & omni acceptione dignus.

Annæ & Mariæ cõparatio.

Eccle. 7.

CORruit & tertiò quod obijciunt, Si Maria nõ fuit sub illo peccato cur igitur eius peccati pœnas luit, fomitem habens, dolorem subiens, & mortem? & si defuncta fuisset ante Christum, nõ intrasset in gloriam? Respondemus enim de fomite, primùm quæso ostendant nobis hoc ex scripturis, quòd illa fomitem habuerit, & satis erit. Nõ enim possunt hoc ostendere nisi ab effectu fomitis, quod est peccatum, sicut ait Paulus, Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Nũquid enim vllum actuale peccatum incurrit vnquam B. Virgo? Non profectò, vt iam omnis piorum ecclesia credit: & Augustinus, & Thomas manifestè asserunt. Quo pacto igitur fomes in ea cuius effectum non cernas? Ergo potius contra seipsos nobis præbent signum. Quòd enim fomitem non habuerit hoc suadet, quòd à peccato immunis fuit. Sed aiunt ligatum fuisse per spiritum sanctum fomitem, & ideò non peccasse: quanquam & quomodo, & quando, non satis inter se cõsentiant. At si spiritus sanctus nolebat fomitem suum effectum producere in illa Virgine, nonne expeditius erat illum penitus sufferre, quàm ligare? Certè has fomitis ligaturas & scripturæ ignorant, & dignitas tantæ Virginis, & gratiæ plenitudo iam melius nota ecclesiæ, non admittit. Nam illis qui eam peccato subdebant etiam fomitem in ea ponere erat necesse. At nunc iam cum prorsus immunem à peccato profiteamur per gratiam filij,

Rom. 7.

Augu. Tho.

Nota.

minimè

minimè opus est fomitem admittere, vt sit opus ligaturis istis. Neq; per hoc illam æquamus Christo, per cuius gratiam & meritum hæc illi obuenisse, non autem proprio iure, fatemur. Alioquin cur non dicũt æquare illam Christo eos, qui dicunt eam resurrexisse, & cum corpore glorioso beatam esse in cœlo, quod iam tacite probauit ecclesia? Sed vt ait B. Thomas, cùm hoc habuerit ex priuilegio, non ex debito cõformitatis ad Christum, minime propterea æquatur Christo: sicut nec Apostoli æquabantur Christo propter signa eadẽ, aut etiam interdum maiora, quæ faciebant: quia Christus propria virtute, illi autem per Christum ea faciebant. Denique tunc esset æquare eam Christo, quando quæ propriè conuenirent Christo, illi arrogaremus. Sed absit hoc à mente catholica. Nos autẽ vel ob hoc ipsum maximè inæqualem ostẽdimus, quòd quicquid habuit, & post Christum, ac propter ipsum, & per ipsum, illam habuisse contendimus.

Tho. in. 4.
Signorũ & miraculorũ Christi & sanctorum differentia.
Ioan. 14.

Obiectio.

AMplius arguunt quia non decebat (inquiunt) ante carnẽ Christi, vllam aliam carnem integritatem accipere. Respõdeo, si de perfecta integritate, quæ solum conuenit statui præmij, intelligunt, vera dicunt: vt est gloria corporis, & immortalitas. Et hãc ante Christum illam Virginem habuisse nemo ponit. At carere fomite, non constituit perfectè carnem integrã. Nam & in statu meriti, talis quilibet fuisset si Adam non peccasset. Adde quod tantò minus caro Mariæ erat in sua integritate quam nunc habet, quantò magis interim subiacebat innumeris infirmitatibus. Nec est absurdum quòd quæ non repugnant statui meriti, imò pertinent ad statum meriti, quia iuuant ad virtutes facilius adipiscendas, multi ante Christum secundum tempus acceperint: vt sunt gratia, & dona quælibet quæ faciant ad salutem. At ipsum præmium perfectum non decuit vllum gustare ante ipsum præmij autorem, vt sit ipse primogenitus mortuorũ, & princeps regum terræ. Alioqui si fateamur ante Christi carnem, non fuisse carnem Mariæ integram, iam ipsi derogant Christo quem ex carne non integra natum constituunt: quod est abominabile auditu. Nam quid egit Spiritus sanctus antea superueniens in illam? Nunquid non penitus potuit ligaturas illas absumere, & omnem fomitem extinguere? Vide bone lector vt concluduntur, qui huic tam pulchræ veritati repugnant: quoniam ipsimet iterum arguentes in nos, hoc fatentur, quòd Maria per superuenientiam Spiritus sancti omninò reddita est integræ carnis, & tamẽ oportuit esse hoc ante conceptionem filij, quia Spiritus sanctus præuenit eam. Nam pro hoc etiam Damascenum adducunt & contra nos, qui dixit quòd superuenit Spiritus sanctus in eam, purgans eã: & intelligunt à reliquijs illis fomitis. Quasi verò & Angeli iuxta

Nullus ante Christũ immortalitate donatus est.
Apoc. 1.
Pro integra carne Virg.
Damasc. de fide orthodoxa.

D Diony-

Dion. in cœlest. hierar. Dionysium) non dicantur assiduè purgari: non quidem ab vllo peccato, cum nullum habeant, sed vt fulgorem illius eximiæ maiestatis excipiant, quoniam nec luna splendet, nec stellæ mundæ sunt in conspectu eius. *Iob. 25.* Et secundum hoc similiter intelligendus est beatus Ambrosius, *Super Luc.* qui dixit, quòd Spiritus sanctus superueniens, eam ab omni vitiorum sorde castificauit: quoniam omnis creatura, præsertim mortalis, & si munda, tamen dici potest sordescere composita ad æternam illam, & inaccessibilem lucem. Propter quod & beatus Iob dicebat, *Iob. 9.* Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen in sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea. Nam hæc nostra lutea domus, & carnis infirmitas atque fragilitas, non potest non aliquantulum & quandoque à supernis retrahere animam, tametsi mundam, & omni gratia plenam, qualis erat sacratissimæ Virginis, nondum tamen Beata & gloriosa. Quare & elegantius hoc exprimens beatus Hieronymus dixit, *Hier. in ser. de Assump.* Ante ipsum conceptum, sane vterus Virginis quamuis mundus, quamuis impollutus & alienus à contagione peccati, quamuis sanctus, tamen adhuc vilitate humanitatis induitur (vt ita dicam) acsi lana mundissima, suoq; colore dealbata, ad quam sanè cum accessisset Spiritus sanctus, quasi & ipsa eadem lana cum inficitur conchilij sanguine, vel muricis, vertitur in purpuram, versa est & ipsa sine coitu in matrem: *Pulchra similitudo.* vt non sit iam à modo quæ fuerat, sed purpura mundissima ad indumentum & gloriam summi regis aptissimè dedicata, vt nulli deinceps vti ea liceat, nisi Deo: Quippe (vt ita loquar) beata Virgo & gloriosa Maria, quamuis dudum incomparabilis vniuersis quæ sub cœlo sunt virginibus, vt decenter posset suscipere in se diuinitatis admixtionem salua vtraque natura, tamen cùm gratia repletur, cùm Spiritu sancto perfunditur, cùm virtute altissimi obumbratur, fit præciosior meritis, celsis sublimior fastigijs, pulchrior sanctitate, gloriosior suorum prærogatiuis meritorum: ita vt nullis vsibus sit mancipanda nisi diuinis. Hæc beatus Hieronymus. Quæ certè verba omnem hanc nobis fomitis & ligaturarum commentitiam traditionem feliciter frangunt & dissipant, & in nihilum vertunt. Quare hactenus iam de fomite.

De morte ac doloribus Virg. solutio. Illud nunc de eius doloribus ac morte soluendum est: quoniam mors videtur esse pœna peccati illius: Iniustus autem constitueretur Deus infligens pœnam, vbi nullum fuisset peccatum. At dicant nobis quæso ij viri, Nónne baptismus aufert originale peccatum etiam quoad reatum? Cui dubium? Cur igitur adhuc manet pœna

peccati

peccati omnibus? Quicquid hic probabile dixerint vt soluant hoc, etiam nos vtemur ad dissoluendum eorum argumentum. Sed si volunt recipere, hæc est vera, ex Augustini doctrina, solutio, quòd quæ ante baptismum & remissionem peccati erant supplicia peccatorum, post remissionem facta sunt certamina & exercitationes iustorum. Et propterea similiter benè habet quòd beata Virgo non fuit præseruata à morte, licet fuerit à peccato, sicut cæteri qui mundantur à peccato illo, non tamen seruantur à morte, & alijs doloribus: quia non decebat vt sub capite spinoso membra esse delicata. Etenim si vllum membrum hoc non decebat, profectò minimè gētium decebat illud omnium sine controuersia honorabilissimum, id est, B. illam Virginem, quæ maxime debuit cōformari redemptori suo, vt adimpleret ea quæ deerant passionum Christi, pro corpore eius quod est ecclesia. Nam si de hoc Paulus Apostolus gloriatur, quantò magis debuit posse huius rei nomine gloriari B. Virgo, cuius animam pertransiuit gladius? Nunquid enim voluisset vnquam illa non mori, videns filium tam diræ morti subiacuisse? profectò si hunc agonem sustulisset Dominus, etiam meriti causam sustulisset, & consequenter coronæ ac præmij dignitatem. Quòd verò si Virgo illa obijsset ante Christum non intrasset in gloriam, nihil obstat huic præseruationi: Imò hoc ipsa præseruatio potius postulabat, quia decebat illam expectare eum, cui acceptam referre tenebatur gloriam suam. Non enim decebat sponsam ante sponsum intrare in regnum sponsi: & corpus ante caput, & saluatam ante salutis autorem: nec quenquam hominum consummari & ingredi portas cœli, ante consummatorem ipsum, & cœlorum clauigerum, imò Dominum, cui soli aperti sunt cœli, ita vt si nullus vnquàm mortalium peccasset & nihilominus Christus venisset (vt mihi probabilissimum semper est visum, nec beatus Thomas ausus est reprobare) tamen nullus ante ipsum Christum potitus fuisset gloria in cœlestibus, sed venisset ipse Christus ad glorificandum illos, quotquot inuenisset, & adducendum illos in dexteram Patris. Et hæc est ratio quare Ioannes Baptista sanctificatus in vtero & baptizatus à Christo, & omninò ab illo peccato purgatus, tamen ante Christi obitum & gloriam defunctus, expectauit cum cæteris patribus ipsum gloriæ Dominum, & saluatorem suum: vt verum fieret quod ipse erat primogenitus mortuorum & princeps regum terræ. Et hæc est vera huiusmodi solutio, & aliter dicere (ni fallor) non est soluere sed inuoluere. Vide ergo lector circa hoc alios, & confer, & elige quod volueris.

Nota Aug. verā sententiam.

Bernardi sententia.

Not. cōgruētiā Matris ad filium in tolerando.

Ad Colo. 1.

Luc. 2.

Apo. 1.

VErùm contra primam responsionem nostram instant quidam quoniam scripturæ videntur concludere sub illo originali peccato omnes, nòn solum secundum meritum, propter patrem Adã, quod nos fatemur, verumetiã de facto. Apostolus enim ad Ro.iij. dixit: Omnes in Adam peccauerunt. Sic enim citant locum illum quidam, quos & Caietanus in suo opusculo sequi videtur: Sed hîc primò falluntur: quoniam ibi non legitur, Omnes in Adam peccauerunt, sed absolutè omnes peccauerunt. Et locus ille, vel ipso Caietano teste in suis Commẽtarijs, de actualibus peccatis loquitur, sub quibus omnes concludit. Quod si verum est, iam inuenietur non tantum sub originali, sed etiam sub actualibus B. Virgo: & quidem sub grauissimis. Nam de huiusmodi, Iudæos præcausatus erat & Græcos, videlicet idololatriæ, superbiæ, auaritiæ, luxuriæ, sacrilegij, & aliorum pessimorum criminum: quod ibi latius patet. Quid igitur? nunquid sub huiusmodi criminibus constituent B. Virginem, à quibus etiam multi Sanctorum immunes fuerunt? Absit. Deo gratia est quòd vel ipsimet, qui B. Virginem ponunt sub originali, liberam tamẽ profitentur ab omni actuali, Ergo, missis alijs varijs interpretationibus, intellectus huius loci, iuxta doctrinam Augustini & Thomæ, hic est, quòd ideò nullus est iustus, & faciens bona, & omnes dicimur declinasse, & peccasse, quia ex se omnis homo talis est, ac talis esset, nisi ex Deo & eius gratia erigeretur ac seruaretur: Quare B. Augustinus ita dixit, hic est verior intellectus, vt nemo intelligatur fecisse bonitatem nisi ille monstrauerit, ita quòd de quolibet homine, quamuis iusto & sancto, verificetur quòd fuerit iniustus, corruptus, abominabilis, non intelligens Deum, non faciens bonum, & alia quæ ibi dicuntur: quia talis ex se fuisset, nisi Deus adiuuisset. Quòd nisi sic exponas, certè inextricabiles nodos incurres: quoniam per contrarium ipsæmet scripturæ multis, graue testimonium seruatæ legis ac iustitiæ, reddunt. Si ergo hic est verus sensus, quem vel ipsemet Caietanus tandem vidit, videlicet quòd nullus hominum præter solum Deum & Dominum Iesum Christum, iuxta suæ naturæ conditionem, & ex seipso iustus vnquam fuit, & faciens bonum. Sed quilibet ex se peccator, non solum originaliter sed etiam actualiter & mortaliter: quoniam talis fuisset nisi gratia Deí seruatus esset, nihil periculi est etiam gloriosam Virginem huic subdere conditioni (salua illi nihilominus hac prærogatiua) quòd ab omni labe sit præseruata. Nam & ipsa ex se & suæ conditione naturæ peccasset, sicut & qui de facto peccauerunt, nisi gratia Dei præueniens seruasset eam. Quapropter ipsa quoque sicut & alij multi iusti, cum cæteris

Caietanus.

Ad Rom. 1.

Aug. & th. sensus circa locũ Pauli.

Super psal. 13.

Caiet. in cõ. ad Paulum.

teris qui supramodum peccauerunt, connumeratur. Et hæc est via prima, ac pene sola ad huius solutionem quæstionis: qua & multæ huiusmodi scripturæ ac doctorum sententiæ rectius intelliguntur. Sic enim resolui oportet, & quod ex eadem epistola Pauli citant capitulo quinto: Sicut per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Et paulopòst concluditur: Igitur sicut per vnius peccatum in omnes homines in condemnationem, ita & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Nos enim absque cauillo respondentes, confitemur planè verum esse quod ait Paulus, Omnes in Adam peccasse: sed eo modo verum, quo & illud verum est, quod similiter ipse ait, omnes in Christo iustificatos. Hæc enim (vt patet) æqua lance ab Apostolo disponuntur. Sicut ergo de Christo, quòd in eo iustificati sint omnes secundum facti veritatem, manifestè falsum apparet, sed hoc intelligere oportet secundum rationem meriti ipsius Christi, ita planè intelligatur omnes in Adam iniustos, videlicet non secundum facti veritatem, sed inspecto merito ipsius Adæ. Cũ enim æqua lance parificentur & Christi iustitia, & Adæ peccatum (nam Adam typus erat Christi vt ibi docet Apostolus) cur cogimus Paulum vt dicat peccatũ Adæ damnasse omnes de facto, si iustitia Christi non saluauit omnes de facto? Ergo quod erat in meritis vtriusque, Adæ videlicet & Christi, expendebat ibi Apostolus. Nã quod erat secũdum facti veritatem mox subiecit mirabiliter, dicẽs: Sicut enim per vnius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obeditionem iusti cõstituẽtur multi. Vide ergo (acute lector) vt quum quod erat secundũ effectum declarauit Paul. nõ dixit omnes peccatores cõstitutos per Adã, sed multos: sicut nec per Christũ omnes iustos constituẽdos, sed multos. Hoc est ergo quod dicimus B. Virginem subiectam peccato secundum Adæ meritum: At simpliciter, id est, etiam secundum facti veritatem, nequaquam: quoniam præueniens Christi gratia pro illa, obex fuit peccato ne coinquinaretur ab illo. Si enim vel propria, vel parentum culpa obstare potest gratiæ Christi, quominus multi iustificentur per ipsum, quare non multò magis obstiterit ipsi peccato gratia Christi pro matre sua, ne sub illo comprehenderetur? cape hæc bone lector, & à cunctis liberaberis angustijs, vt facilè resoluas omnia quæ in contrarium adducuntur: Id verò quum contingit, magnum est profectò signum (teste Philosopho) compertæ veritatis. Nã & per hæc soluitur quod proferunt ex capitulo quinto. ij. ad Corinth. Si Christus mortuus est pro omnibus, ergo omnes mortui sunt: quod

Quomodo resoluendus Pauli locus ad Roma. 5

Ad Rom. 5.

Apost. inductio efficax.

ipsi exponunt de morte gratiæ, quanquàm reuera de morte peccati
Ad Ro.6. intelligi debet, cui omnes mortui sumus in morte Christi, in quo vetus homo simul crucifixus est: quod ibidem declarans Paulus subdit: Et pro omnibus mortuus est Christus, vt & qui viuunt, iam nō
Cap.3. sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est. Vnde & ad Collossenses dixit: Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo. Sed siue de morte gratiæ loquatur ibi Paulus, siue de morte peccati, similiter probatur quod in Adam omnes sumus mortui gratiæ, sed eo modo sicut omnes sumus mortui peccato in Christo, hoc est, secundum merita, non autem de facto. Hanc autem expositionem planè
2.cap. docet nos Paulus ad Ephes. cū dicit: Eramus omnes natura filij iræ. Non dixit simpliciter, Eramus, sed circunspectissimè loquutus adiecit, natura, vt ex eo loco duo hæc singularia nobis innueret, Alte-
Nota. rum pro Christo, qui nullo modo in hac sententia concluditur cū, nec natura fuerit filius iræ, qui erat filius Dei & non humano & naturali modo ex semine peccatorum conceptus, Alterum pro matre, quam non licet simpliciter dicere & intelligere iræ filiam, sed cum hoc adiuncto, natura, hoc est, suæ naturæ siue originis cōditione inspecta: vtpotè quæ, sicut aliæ, processit ex semine: non autem inspecta Christi filij sui præueniente gratia, secūdum quam (quod & mirabilius fuit) potuit etiam concipere sine semine. Vnde ex hac propositione, Maria fuit natura iræ filia: non licet inferre, ergo simpliciter fuit iræ filia. Et ob istam gratiam temperauit sermonem Paulus adijciens modum illum, natura, sicut ex illa propositione, Adam ab initio erat natura mortalis, non rectè colligis. Ergo erat omnino mortalis: cum dona & adminicula Dei prohibuissent ne mori posset. Vide ergo vt hic locus Apostoli, quem etiam in nos adducunt, mirè & opportunè retorquetur in illos. Hactenus de prima acie quæ scripturis & rationibus innitebatur.

De secunda contradicentium acie ac turmis à sententijs Catholicorum.

QVoniam ergo hanc primam eorum aciem iam olim profligatam cernunt, quæ in rationibus & scripturis innitebatur, Secundæ, quæ hominum opinionibus & autoritate fulcitur, pertinacissimè inhærent, magnificantes hunc locum, qui tamen (vt verè dicitur à philosophis) omnium est infirmissimus. Verùm quid illis supererit, si & ab hoc etiam propellentur? Sed nō credunt. Age experiamur: verum quo id commodius faciamus, illos, quos in nos obijciunt, autores in tres turmas diuidam. Prima da-

bitur

bitur antiquioribus vsque ad scholasticos, Secūda scholasticis prioribus, Tertia ijs qui recentiores fuerunt, & ferè nostro sæculo claruerunt.

Quantum ergo attinet ad primam turmam, cum nullus ex proposito hanc quæstionem tractauerit, quantum ex eorum scriptis licet animaduertere, nisi quòd obiter aliquid potuit circa hoc excidere contra Pelagianum dogma, idque præsertim Augustino, qui latius super ea quæstione disseruit: Idcirco ipsius Augustini sententias, quibus aduersarij maximè nituntur, paulò diligentius perscrutabimur, vt tandem agnoscant, qui noluit proteruire, Augustinum ita contra nostram sententiam nihil scripsisse, vt etiam contra illorū quàm maximè. Omnis Augustini doctrina quæ ad rem propositam affertur, tribus finitur cōclusionibus. Prima est, Omnes præter vnū Christū sub originali cōcepti sunt. Secunda, Omnes præter vnum Christū sub originali nati sunt. Tertia, Omnes præter vnū Christū actualiter peccauerunt. Has verò tres conclusiones contra Pelagianos, & scripturarum autoritate, & sacrorū Theologorū sententijs, ita probat, vt etiam in his nostræ fidei fundamenta consistere arbitretur. Pro his enim Ambr. Hierony. Hilarij, Cypria. Hirenei, Grego. Basilij, Olympij, Reticij & aliorum citat sententias. At contradicentes aduersum nos primam duntaxat conclusionem accipiunt, cum & ipsi duabus alijs vulnerentur, quando latè iam patet, & ipsi fateantur, quòd Maria nata est absq; peccato, & nullū etiam actuale commiserit: Et tamen B. Augustinus omnes ponit non solum conceptos, verum etiam natos, similiter sub peccato & actualiter peccasse, præter vnum Christum. Quamobrem quidam hunc nodum dissimulant: alij (quod & calumniosius fuit) non fideliter Augustini sententias interdum citant, sed vbi ille omnes natos sub peccato testatur, ipsi mutant, & scribunt, conceptos: Et quia id tandem latere nō poterat exposuerunt natiuitatē, id est, cōceptionē: quoniā conceptio quædā natiuitas est, iuxta illud: Quod in ea natū est &c. Verum quòd hæc expositio & cōtra verba Augustini, & cōtra mentem sit, facillimum est ostendere. Nam ipse postquam Ambro. contra Nouatianum produxit, qui ita scripserat omnes homines sub peccato nascuntur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum dicente Dauid, Ecce in iniquitatibus cōceptus sum, & in peccatis peperit me mater mea. Et super Lucam: Solus per omnia ex natis mulierum Dominus Iesus Christus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non sensit, & cœlesti maiestate depulit, statim subiecit concludens, Concipimur ergo in peccatis parentum, & in delictis eorum nascimur. Quòd si quis hîc

Aug. doctrina circa hāc materiam.

Nota hæc lector & noli proteruire.

Matth. 1.

Augu. cōtra Pelag. lib. 2. & de bapt. paruul.

Psal 50.

Ambro.

exponat

exponat nascimur, id est, concipimur, iam manifesta resultat nugatio. inuenitur enim idem bis dictum sic, concipimur in peccatis, & concipimur in peccatis. Adde & quod ibi expressius declaratur de partu, statim enim subditur: Sed & partus ipse habet contagia sua. Adhæc alibi idem Augustinus ita scribit: Solus sine peccato natus est, quem sine virili complexu, non concupiscentia carnis, sed obedientia mentis, virgo concepit: vbi similiter natiuitatem à conceptione distinguit. Et alibi etiam clarius exprimit inquiens, Nullus hominum, præter Christum, est sine peccato, infantilis ætatis exorsu, etiam si vnius diei sit super terram. Vnde & antiqui doctores illud Psal. ita producebant: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis peperit me mater mea. Et ita Hiero. secundum Hebraicam veritatem transtulit, quanquam alij aliter, quæ lectio etiam elegantior videtur, ne postquam dictum est, Ecce in iniquitatibus cõceptus sum, idem superfluò repetatur, dicendo: Et in peccatis concepit me mater mea. Alibi quoque Augu. Graue illud iugum, quod dixit Ecclesiastes, super filios Adam à die exitus de ventre matris, originale esse peccatum declarat. In quo (inquit) omnes nascimur. Quid hîc fingi potest, cum expressè dicat, à die exitus de vẽtre matris, & non ingressus in ventrem? Vnde & ex Mileuitano concilio vbi Pelagius damnatus est, ita legitur, Placuit vt quicunque paruulos recentes ab vteris matrum dicit nihil ex Adam contrahere originale, anathema sit. Ab vteris (inquit) ergo matrum recentes, non in vteris conceptos. Quin vt penitus ora contradicentium obstruãtur, ipsemet Augustinus hanc istorum cauillosam, calumniosamq́ interpretationem reijcit atq; damnat, ijs verbis ad Dardanum scribens: Hoc ergo excepto lapide angulari, non video quomodo ædificentur homines in domum Dei ad habendum in se habitantem Deum, nisi cum fuerint renati, quod nondum esse possunt antequã nati. Quòd si quisquam iam natum esse hominem, etiam cùm adhuc est in vtero matris, dicat, testimoniumq́; adhibet Euangelium, quia dictum est Ioseph, Quod in ea natum est, nunquid num huic natiuitati accedat secunda natiuitas? Alioqui iam non erit secunda, sed tertia. Dominus autem cum hoc loqueretur, Nisi quis renatus fuerit denuò, eam scilicet computãs natiuitatem quæ fit ex vtero, non quæ fit in vtero, (neque enim renatum dicimus hominem, quẽ mater peperit tanquam iterum natus sit, quia semel in vtero iam natus fuerit) sed illa natiuitate non computata, quæ grauidam facit natus dicitur homo partu, vt possit renasci ex aqua & Spiritu sancto, secundum quam ex matre natiuitatem, etiam ipse Dominus in Bethleem Iudæ nascitur. Hæc Augustinus ad literã vt clarè videas

quòd

Augu. cõtra Iulianum. — *Hypog. li. 5.* — *Eccle. 40.* — *Augusti. ad Darda.* — *Matth. 1.* — *Io. 3.*

quod hanc istorum glossam, qui natiuitatem pro conceptione positam ab Augustino contendunt, prius vidit ipse ac reprobauit quã isti facerent. Manent ergo Augustini & antiquorum sententiæ non minus contra illos, quàm cõtra nos, quando asserant omnes sub originali, etiam in natiuitate quæ ex vtero est, imò (vt dixi) etiam sub actuali præter vnum Christum. Nam in lib. v. contra Iulianum ita planè scribit: Nullus hominum præter Christum qui peccatum nõ fecerit grandioris ætatis accessu. Et ibidem: In carne sine peccato viuere solius est redemptoris. Et in libr. de S. Virg. Omnes baptizati orant dimitte nobis debita nostra: Præpositi & plebes, pastores & greges, à spiritualibus vsque ad carnales, ab Apostolis vsque ad pœnitentes, ideò neminem debere gloriari, tanquam ab omnibus peccatis sit in hac vita immunis. Et ad Marcellum: Teneamus ergo indeclinabilem fidei confessionem: solus vnus est qui sine peccato, inter aliena peccata vixit, sine peccato mortuus est propter aliena peccata, Et in libr. de fide, ad Petrum tria hæc simul perstringit, Solum Christum conceptum, natum, & mortuum, sine peccato, quod similiter & in concilio Florentino sub Eugenio quarto determinatũ est. Et super illo Psalm. uersu, factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber, ita ait, In his verbis maximè persona Domini apparet. Quis enim alius inter mortuos liber, nisi qui in similitudine carnis peccati, inter peccatores solus ipse sine peccato? Neque verò putes solum Augu. hæc dicere, bone lector, hæc est enim omnium antiquorum doctrina, Ambr. enim super Lucã, dixit: Ideò solus Christus à peccato abstinuit, quia solus ipse de Spiritu. s. natus Hilar. super psalmis illo uersu: Spreuisti omnes discedentes &c. ita scribit, si Deus peccatores sperneret, vtiq; omnes sperneret, quia sine peccato nullus est. Cypri. etiã dixit. Quisquis se inculpatum dixerit, aut stultus aut superbus est. Sed adhæc probanda & suadenda producebant ex scripturis innumera testimonia, vt ex psalm. Non est iustus quisquam nec vnus, Omnes declinauerunt, Omnis Homo mendax, si iniquitates obseruaueris Domine, &c. Non iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuẽs. Et ex Salomone, Quis gloriabitur castũ se habere cor, mundus sum à peccato? Non est qui faciat bonũ, & non peccet. Et Dominus in euãgelio de cunctis indifferenter si vos, cũ sitis mali, nostis bona dona dare filijs vestris Et iterum, Quid me dicis bonũ? solus Deus bonus. Et de seipso singulariter, quis uestrum arguet me de peccato? Et Petrus singulariter de illo: Qui peccatũ non fecit. Et Ioãnes: Si dixerimus quia peccatũ nõ habemus, ipsi nos seducimus. Et Paulus, Omnes peccauerunt & egẽt gloria Dei. Et Iacobus: In multis offendimus omnes. Si igitur hæc

Cõcil. Flor. Psal. 87. Ambr. Hilar. Psal. 118. Cyprianus. Ps. 13. Ps. 116. Ps. 129. Ps. 142. Pro. 20. Eccl. 2. Luc. 2. Matth. 19. Io. 8. 1. Pet. 2. 1. Io. 1. Ad Ro. 3. Iac. 3.

simpliciter, vt verba sonare videtur, accipiantur, profectò & B. Virgo inuenietur sub originali etiã in natiuitate, & sub actuali postmodò & in vita & in morte: quæ tamen, ipsi contradicentes nõ admittunt, nec tamen soluũt nodũ, eiusmodi: Nos verò iuxta expositam doctrinam, hæc omnia admittimus esse verissima secũdum naturæ cõditionẽ, quoniã solus Christus immunis ab omni pctõ fuit: cæteri aũt subiecti omni pctõ, etiã B. Virgo, scilicet ex se & inspecta natura, non autẽ gratia. Quòd verò hæc glossa non solũ necessaria sit iuxta mẽtẽ sacrarũ scripturarũ (vt superius latè ostẽsum est) verum etiã ipsos doctores sanctos hoc ipsum & respexisse, & sensisse, & declarasse, facilẽ est ex multis locis colligere. Aug. enim in Pelagianos disputãs, cũ à Pelagio multi iusti inducerẽtur, & cõmendati in scripturis, ita respõdit, Nõ attinere hoc ad quæstionẽ vtrũ fuerint, sed hoc tatũ se defendere protestatur, quod si fuerint, per gratiã Christi fuerint. Vnde & addit in illos, Vestrum dogma id persuadere conatur, velut inculpatæ prædicatiõe naturæ, & potẽtiæ liberi arbitrij, & legis siue naturalis siue Mosaicæ, vt & si sit opus, necesse tñ nõ sit ad Christũ pro æterna salute trãsire. Et alibi, De hac re cũ istis tota vertitur quæstio, ne gratiã Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro, peruersa naturæ defensione frustremus. Vnde & exclamãs ait, Pro Christi gratia clamo, sine qua nemo iustificatur. Et alibi, Qui dicunt esse posse in hac vita hominẽ sine peccato, non est eis continuò incauta temeritate resistẽdũ: Si enim esse posse negauerimus, & hominis arbitrio, qui hoc volẽdo appetit, & Dei misericordiæ, qui hoc adiuuãdo efficit, derogabimus. Et alibi: Piè & Christianè dubitari posse, vtrũ aliqui tãta gratia præditi fuerint, vt omninò à peccato immunes fuerint: sed si hoc fuit, per gratiã Christi fuit, Et alibi testatur se scire catholicos viros tenere, posse esse hominẽ in hac vita sine peccato per gratiã & adiutoriũ Dei, neq; audere se illos reprehẽdere: At eos qui Dei gratiã excludũt, omniũ ore anathematizandos. Et alibi, etiã si fuisse concedã homines in hac vita sine peccato, nullo tamẽ modo potuisse, vel posse confirmo, nisi iustificati gratia per Iesum Christum. Et addit, quid verius dici potest, & breuius, quàm possibilitatẽ non peccãdi, quantacunq; est, vel erit, non nisi à Deo debere reputari? Si hoc dicunt, id & nos dicimus: iungamus dexteras. Hæc August. & similia in lib. de perfecta iustitia, De natura & gratia, de. S. Virg. & contra Iulianum, & alijs locis. Satin ergo iam certi sunt, eam semper Augusti. mentem fuisse, cùm poneret omnes & eodem modo sub peccato, & originali, & actuali, & in conceptione, & in natiuitate, & in vita, & in morte, quòd hoc intellige-

Necessariũ esse ad sensum scripturarũ expositiõem de statu naturæ & gratiæ.

Aug. de nat. & gratia.

Nota Pelagianum dogma.

Ad Marcel. de bap. paruul.

Aug. de perfect. iust.

telligebat secundum conditionem naturæ lapsæ,& seclusa Christi gratia,pro qua clamare se ait,& cum illis dexteram iungere, qui Dei gratiam asserent:ergo tantò magis nobiscū dexteram iūgit:quàm cū illis Augustinus:quantò nos etiā magis,quàm ipsi,Christi gratiam erga matrē prædicamus,qua illam prorsus ab omni peccato cō seruatā profitemur, quod isti negant. Quòd autem ea sit Aug.doctrina,etiā Caiet.tandem negare non potuit: cuius hæc verba sunt, Est necessariū secūdū fidem credere,quòd omnis vtriusq; sexus ab Adā,secūdū seminalē rationē prouenies,ex ipsa sui generatione sit obnoxius peccato originali:& contra Pelagianos dicētes oppositū Aug.differit & diffinit.de solo autē Iesu Christo verū est,quòd lex ipsa sui generatione,nulli obnoxius est peccato,iuxta verbū angeli ad B.Vir.dicētis: Quod ex te nascetur sanctū,Hæc ille:& certè validū est ab aduersario testimoniū,quia illud nō alia res,quàm vis ipsa veritatis exculpit. Adde quòd si aliter prædictas Aug.sententias velint intelligere,videlicet quòd inspecta Christi gratia nullus fuerit præter ipsum solū immunis à peccato,vel originali,vel actuali,etiā in natiuitate,& in vita: & quòd aliter asserere sit euertere fundamēta fidei Christianæ,vt dicit expresse Augustinus in prædictis sententijs in lib.contra Iulianum,& in Epistola ad Optatum,& alibi multis locis,iam inueniretur ipsa quæ dicitur catholica & Apostolica ecclesia, & viri sancti,& totus penè Christianus orbis in hac hæresi detestanda , qua fidei fundamenta subuerterentur : quod non verentur quidam scribere arrogantissimè ac schismaticè,vnde & hoc monstrum ingens atque horrendum consequitur, videlicet quod Ecclesia Romana circa idem non solum contraria sentiat , verum etiam contraria statuat . Statuit enim iam olim (vt isti volunt) quod hæc assertio , quæ poneret Beatam Virginem esse ab originali immunem,est hæretica. Sic enim aiunt & zozimum & Innocentium Pontificem Romanum determinasse , Quamobrem proculdubiò hæretici putandi essent , quicunque illam tenerent . Et rursum Xisti decreto decisum est huius modi assertionem , quæ diceret, asserentes assertionem prædictam esse hæreticos , esse falsam , erroneam , & penitus à veritate alienam , cum Romana Ecclesia ipsius Diuæ Virginis immaculatam Conceptionem receperit celebrandam . Vide monstrum quod contigit ijs hominibus , vt fateri cogantur Ecclesiam vnam , quod iam semel vt hæreticum damnauit , iterum vt catholicum recepisse : & quæ olim destruxerat , denuo ædificasse , & inuenietur simul in eius

E ij sermone

Nota.

Caiet.super 1.2.q.81.

Luc.1.

Aug.multis in locis.

Nota periculū nō ferendum.

Xisti decretum.

sermone fidem nobis tradente, modo est, modo non est, & hodie unũ, & cras aliud. Sed quis vnquã hoc vidit in ecclesia Dei? & quomodo staret ita in seipsam diuisa? Sed vt etiam agnoscas, quòd hunc sensum omnes antiqui doctores viderunt ac penetrarunt, quoniam assueti erant in scrutatione scripturarum, Audi. Ambrosius in hunc modum scribit: Solus per omnia Dominus Iesus contagia corruptelæ, immaculati partus nouitate non sensit, & cælesti maiestate depulit. Quòd ergo ait, per omnia, quid est aliud, nisi quod dicimus, quòd neq; de facto, neq; ex merito vllo, idq; ob immaculati partus nouitatem, quia non humano more sed Spiritus sancti opere conceptus & natus est? Vnde & cælesti maiestate sua depellere potuit contagia hæc, etiam ab alijs, quantò ergo magis à sacerrima ista virgine, & sponsa sua, & matre? Vis etiam eundem Ambrosium expressius hoc dicentem? Audi, in lib. iij. de Trinitate, ita ostendit Spiritum. S. Deum, quia (inquit) sine peccato est, ideò creatura non est. Et statim subdit, Omnis enim creatura peccatorum capacitati obnoxia est, sola enim est à peccato immunis & immaculata sempiterna diuinitas. Quid hoc expressius testimonio? Vbi vides nec ipsos angelos excipi à peccato, & ob hoc tantum, quia ex seipsis, vt creaturæ sunt, peccatorum capaces sunt: quod & alibi dixit, Deus solus sine peccato. Vis & Greg. huic nostræ attestantem manifestæ sententiæ? Audi illum: Ipse enim tranctans illud Iob, Nõ adæquabitur ei Topatium de Æthiopia, ita scribit, Ne acceptis quisq; virtutibus extollatur, à Sancto viro nunc dicitur, Non adæquabitur ei Topatium de Æthiopia, acsi apertè dicat, Nullus Sanctorum, quibuslibet virtutibus plenus, ex ista tamen nigredine mundi collectus, se æquare potest ei de quo scriptum est, Quod enim ex te nascetur Sanctum. Nos quippe etsi sancti efficimur, non tamen nascimur, quia ipsa naturæ corruptibilis conditione restringimur, ut cum Propheta dicamus: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis peperit me mater mea. Hæc ille, licet & hunc locum contradicentium quidam falsò allegent, mutantes verba Gregorij, quia secũ ferebant verũ & syncærum intellectũ, & responsionem ad eorũ obiecta inania. Nota igitur verba lector acute, Nos (inquit. Grego.) etsi sancti efficimur, nõ tamen nascimur. Accipit ergo tanquam opposita hæc, effici sanctum, & nasci sanctum: quia ille verè nascitur sanctus, qui suapte natura ita nascitur: Maria autem, quia sancta egressa est ex vtero, sed nõ naturæ propriæ maiestate, ideo effecta est sancta, nõ nata: quod ut etiam abundius declararet. S. ille Pont. subdidit: Aliud est enim natos homines gratiã adoptiõis accipere, Aliud vnum singulariter per diuinitatis potentiã, Deum ex ipso conceptu prodijsse. Vide ut mirificè

In Ecclesia Dei semper eadem fides & non contrariæ circa fidem sententiæ.

Ambrosius.

Gregorius.

Iob. 28.

Luc. 1.

Psalm. 50.

Qui nuperrime scripserunt.

Nota egregiam distinctionem.

mirificè loquitur. Nō enim solum Christum in ipso cōceptu sanctū asserit, quod & de Virgine dici potest, sed ex ipso cōceptu, id est, ex ui, & modo cōceptionis, per potentiam diuinitatis, eximio. Vis nūc & Hieronymū audire super eo loco, Nō iustificabitur in conspectu eius omnis viuēs? & hæc sunt eius verba. Nō ait omnis hō, sed omnis viuens, id est, non Euangelista, nō Apostolus, nō Propheta: ad maiora cōscēdo, Nō Angeli, nō Throni, nō Dominationes, nō potestates cæteræq; virtutes: solus Deus, in quo non cadit peccatum, ab Apostolo solus iustus dicitur, & solus immortalis, nō quo angeli iniusti sint & mortales, sed quo ipse ita sit immortalis & iustus, cui collata vniuersa iustitia, iniquitas nō inuenitur. Hæc ille. Vis & Athanasiū? Audi illū. Christus (inquit) singulariter sanctus erat, & in hoc ab alijs sanctis in sanctitate dissimilis, quia sanctitatem simul cū natura suscepit. Nūquid nūc etiā alios desideras huius veritatis testes, post tam gloriosa lumina? Audi ergo, Nemo nescit hoc singulariter de Christo ab angelo assertū esse, Quod ex te nascetur sanctū, Quod tamē verū nō esset, nisi sic exponeretur quod ipse solus vi ipsa natiuitatis est sanctus. Ita eñ coactus à veritate, Caie. exponit. Ita et Albertus noster, qui contra istorū ineptam glossam, qui natū, id est, cōceptū exponunt, non penetrantes angelicum sensum etiam rectè disputat & concludit. Multa enim & alia de Christo dicuntur, siue in scripturis, siue in sententijs doctorū, tanquā singulari modo in illū competentia, id est, secundū naturam & essentialiter, quæ tamen ex gratia similiter alijs conceduntur. Ecce enim (sicut dixit angelus) quod ex te nascetur sanctū, ita dicit scriptura, Nō dabis sanctū tuū videre corruptionē: hoc de Christo singulariter dicēs, & nihilominus id etiā de Mariæ corpore recipit ecclesia quòd nō vidit corruptionē. Quid ita? si de Christo singulariter illud fuit dictū, nisi quia & singulariter de illo intelligitur quia de se & sui natura illud habuit. Quapropter & ecclesia hymno canit angelico tu solus sanctus, & tamē ipsa eadē multos & sanctos, & dños vocare nō ueretur. Ille filius Dei solus & vnigenitus vocatur, cū tamē multi filij Dei sint, videlicet ipsi angeli, & ad quos ipse sermo Dei factus est (vt ait scriptura) ille singulariter de se dicit: Quis vestrū arguet me de peccato? Et tamē Iob ait, Si fuero iudicatus, scio quòd iustus inueniar. Et Paulus, Quis accusabit aduersus electos dei? De ipso dicitur singulariter, quod in ore eius nō est inuētus dolus: & tamē ipsemet testimoniū dat Nathanaëli illud, ecce verè Israëlita in quo dolus nō est. Ipse etiā de se singulariter ait, Ego sum pastor bonus, & cui dubiū multos quoq; pastores fuisse bonos? Cur ergo solus ille pastor bonus, nisi quia ut Gre. ibi rectè exponit ipse solus essentialiter bonus? Nā de hoc verè

Hiero. sup. ps. 142.

1. Petri. 2.
1. ad Tim. 6.

Ath. super Lucā, ut in cathena au rea citatur.

Albertus super Lucam.

Quæ Christo cōueniūt naturaliter, pluribus ex gratia tribui.

Mariæ corpus corruptionis expers.

Io. 10.
Io. 8.
Iob. 13.
Ad Rom. 8.
1. Pe. 2. Is. 63
Io. 1.
Io. 10.
Greg. in homil.

& summè dicitur quòd bonus sit, qui scilicet essentialiter bonus est.
Matth.19. Vnde & ipse dixit, Solus Deus bonus, Quomõ solus Deus bonus,
Gen.1. cũ & scriptura dicat: Vidit Deus cuncta quæ fecerat & erant ualde
Exod.3. bona? Dicimus & solum ipsum esse, ut dicat, Ego sum qui sum. Et Dominus sæpius hoc de se prædicans dixit, Ego sum: Et tamẽ multa alia esse dicimus præter Deũ, ideo vt Aug. declarat eminẽter hæc
Aug. de perfec. iustitia. de solo Christo intelligũtur. De Christo etiam singulariter dicitur, quòd ei aperti sunt cœli: Et tamen omnibus qui in ipso inuenientur, aperientur. Ille solus singulariter, ex viuentibus in hoc mundo,
Matt.3. *Ioan.14.* fuit in quo princeps mũdi huius nihil iuris habuerit quouis mõ, quia
Psal.87. pei fectè ab illo immunis per seipsum. Ille solus inter mortuos liber:
Apoc.14. Et tamẽ scriptũ est: Beati mortui qui in dño moriũtur. Quomodo uerò Beati essent, nisi etiã liberi essent? Ergo hæc omnia ita intelligere oportet, & ita se intelligere profitentur charissimi doctorum, atque Sanctorũ, quòd Christo, propter naturam sui, singulariter ista conueniant, cæteris autem eius gratia. At quia isti amici nostri nolunt, aut nequeunt capere, ideò inter illos computãdi sunt, qui in-
Iob.38. uoluunt sententias. Augustinus enim circa illud Iacobi, Nemo po-
Iacob.3. test domare linguam suam. eleganter subnotat cõtra Pelagiũ quòd
Aug. de nat. & gratia. Apostolus non simpliciter dixit, Nullus potest domare linguã suã, sed nullus hominum, id est, iuxta humanam cõditionem: quia cum domatur, Dei misericordia, Dei adiutorio, Dei gratia domatur. Paulus quoq; postquam multa se fecisse commemorauit, non absq;
1.Cor.15. hoc intellectu adiecit, Non ego sed gratia Dei mecũ, aut, quæ est in me: vbi seipsum à semetipso separare videtur, eademq; fecisse ac nõ fecisse testari. Non fecisse quidẽ vt homo in puris naturalibus cõsi-
Rom.3. deratus, fecisse autẽ vt alius quam homo, id est, super hominẽ per su-
Augu. Hyp. li.3. peradditũ esse diuinæ gratiæ. Secundum hoc & illud dixit, Omnes peccauerũt & egent gloria Dei: ijs enim verbis ad literam idẽ Aug. hoc dictũ contra Pelagianos interpretatur. Quid est, inquit, egẽt? nisi nemo idoneus per se, eò quòd carnaliter nascitur, nemo operibus meritorũ vitã recipit perditam, alioquin multi tunc erãt in patria, quomodo ergo egebãt eo quod possidebãt? ò veritas quã potẽs es, quàm clara nõ habẽtibus obscuratã mẽtẽ, per sectas improbas & factiões. Possem autẽ sexcẽta huiusmodi cõgerere vt cõfirmarẽ: at si
Nota ad intelligẽtiã locorũ ex August. magni ponderis. hæc nõ sint satis, puto nec angelus de cœlo suffecerit ad psuadẽdũ. Quis enim persuadeat aut obstinato, aut prauè disposito? Supersunt tamẽ duo loca ex Aug. quæ & Capreolus & Caie. tãquã irrefragabilia proferũt, satis fatẽtes in reliquis sensum nostrũ. Nã exponẽs Aug. Psal. versiculũ. Ego autẽ cũ mihi molesti essent induebar ci-
Ps.34. licio, sic ait (vt ipsi adducũt) Adã mortuus est propter peccatũ, Ma-

ria

ria propter peccatum, Christus autē ad delendum illud: & nos dicimus quòd etiā falsò hunc locū adducūt. Nō enim absolutè ibi dicitur Maria mortua est prpter peccatum, sicut hoc dicit de Adam: sed propter peccatū Adæ, nec id obstat eius præseruatiōi à peccato, cùm valuerit imò etiā debuerit à peccato præseruari, nō autē à morte, vt cōformis fieret filio suo: Nā & nos cum fide & sacramento liberamur ab eo peccato, non tamen liberamur à morte: sicut satis superius diximus. Alter locus est ex Aug. in lib. super Gen. ad literā, vbi carnem Mariæ vocat carnem peccati, & qui hoc negat detestādus hæreticus inuenitur: quasi verò ex hoc ipso sequatur apud eruditos, quòd Maria de facto cōtraxerit peccatum originale. Esse enim carnē peccati, nō aliud significat, nisi esse propagatā naturaliter & ex peccatoribus, nō ex Spiritu. s. quod qui negat de virgine, verè detestandus hæreticus inuenitur: & nō significat peccatum actualiter esse in carne (vt indocti credunt) cum non caro, sed anima sit subiectum peccati: nec esse carnē peccati necessariò secum fert animā esse coinquinatā, cùm etiā per gratiā mundata, omnis caro adhuc dicatur caro peccati, vtpotè de peccatore propagata. Quòd autem hæc sit Aug. mens, manifestè declarat subijciēs: & quid incoinquinatius illo vtero virginis, cuius caro, & si de peccati propagine venit, non tamē de peccati propagine cōcepit. Et subdit: Proinde corpus Christi quāuis de carne fœminæ assumptū est, quæ de illa carnis propagine cōcepta fuerat, tñ quia nō sic in ea cōceptū est, quomodo fuerat illa cōcepta, nec ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati. Hæc ille: quibus quid potest esse euidētius, vt declararet carnē peccati dici quæ cōmuni mòdo cōcepta est ex peccatoribus? nec tamen ideò sequi, in carne ipsa reuera inueniri peccatū, sed solū peccati debitū, nisi per Christum inueniatur quouismodo solutum. Ideò caro Virginis nō æquatur in puritate carni Christi, quæ de Spi. sctō cōcepta fuit. Et hoc est quod ait Aug. quod q negat detestādus hæreticus inuenitur: sic enī seipsum declarat. Alioqn q potuisset verè dici detestādus hæreticus, q id diceret quod nūc etiā celebrat ecclesia? Hic incōstātiā Caie. demiror, q alias rectè docuit hāc positionē nō esse erroneā, & Aug. cōtra Pelagianos scribētē nihil cōtra eā asseruisse & diffiniuisse: Et hoc in loco producit ex Aug. sentētiā, quasi huic positiōi cōtrariā, quā qui negat detestādus hæreticus inuenitur. Ecce vidisti loca (lector) irrefragabilia. Accipe & alia: Producit Caie. quod ait Ambrosius, Venit Dominus in carne quæ peccato in Matre fuerat obnoxia. Sed & hic primùm non ex fide citant Ambrosi. verba. Quid autem fœdius quàm mutare verba doctorum, & illa post hæc in argumētum inducere? Quod cum tam sæpe faciant, satis

Lib. 5. c. 9.

Caieta.

indicant

indicant se non veritatem, sed victoriam, & illam falsam atq; sophisticam, quærere. Ego autem in alio libello, simpliciter esse adductū locum existimans, simpliciter quoque suscepi atq; dissolui ex data glossa. Postmodō verò ita se habere locum comperi, Solus est (ait de Christo Ambrosius) quem retia non inuoluerunt peccatorum, omnes intra retia erant, imò intra retia sumus, quia nemo sine peccato nisi solus Iesus, quem non cognoscentem peccatum, peccatū pro nobis fecit Pater: Et enim tradidit eum laqueis, tradidit eum retibus, mittens eum non in peccato, in quo erāt omnes homines, sed

Rom.8. in similitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne. Peccatum erat caro secundum illud, quia hæreditario erat damnata maledicto. Peccatum erat illecebra & ministra peccati, venit Iesus, & in carne peccato obnoxia militiam virtutis exercuit. Hæc ibi Ambr. Non ergo ait in carne quæ in matre fuerat peccato obnoxia (vt isti citant), sed ita, Venit Iesus, & in carne peccato obnoxia, militiam virtutis exercuit, Et manifestè de carne Christi loquitur, quam peccato obnoxiam vocauit, quia reatū peccati omnē in se contraxit: Vnde & Christum factum peccatum dixit, vt per passionem & mortem, illo absumpto etiam peccatum extingueretur. Quōd verò idem doctor omnes intra retia ponat præter solum Christum, manifestè iuxta naturæ conditionem intelligi oportet, cū & ipse declaret quōd hæreditario iure id perueniebat, quod est natura, vt sæpius declarauimus. Quare etiam dixit intra retia sumus, cum tamen per Christi gratiam ipse & alij multi retia euasissent. Igitur iuxta naturā, sequestrata gratia, omnes etiam intra retia sumus. Ex dictis igitur & iam disputatis, abundè patere potest antiquiores illos, & primæ classis doctores minimè pugnare pro illis aduersum nos: quōd verò potius econtrà in illos, & pro nobis irrefragabiliter pugnent, non erit difficile demonstrare, & potissimum de B. Aug. quare obsecro te lector, attende.

Loca ex Augustino pro eximia præseruatione B. Virgin. ab omni peccato.

Regula ex August. BEatus Aug. quasi regulam firmissimè statuit, quōd quicunque sub originali fuerunt, etiam sub actuali conclusi sunt. Si autem B. Virgo fuit sub originali, ergo etiam sub actuali ex data regula ab Augustino. Non autem sub actuali fuit, (vt planè fatetur ipse August.) ergo stante sua regula, nec sub originali. Augustinus enim cōtra Iulianum lib. quinto his penè verbis hanc regulam statuit: Propterea nullus est hominum, præter Christum, qui peccatum non fecerit.

fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exorsu. Hæc ille. Vnde & concedit quòd etiam Christus peccatum fecisset, si paruu lus habuisset. Quid hîc ergo dicant argutuli? Capreolus enim sentiens vim argumenti, & declinare volens, exponit peccatum fecisset, id est, fomitem habuisset: quasi verò habere fomitem sit facere peccatum, aut quasi necesse sit expectare grandiorem ætatem ad habendum fomitem, & ita peccatum. Quis non videat his glossis manifestè verborum clarissimum sensum violari? Quare Gregorius de Arimino fassus est argumentum concludere, vt penè propterea fateretur B. Virginem etiam sub actuali conclusam. At quantò satius erat, etiam excludere originale peccatum ab ea, cùm iam proculdubiò ab omni ecclesia & ex Thomæ doctrina, & Augustini, ipsam ab omni actuali seruatam fuisse recipiatur. Quòd verò hæc regula ab antiquis patribus esset profecta, etiam Ambrosius testari videtur ijs verbis: Seruatum est, vt ex viro & muliere conceptus nemo videatur expers delicti: & loquitur de actuali delicto manifestè cùm dicat, ideò abstinuit à peccato Christus, quia de Spiritu sancto conceptus est. Abstinere autem à peccato, non conuenit nisi respectu actualis. Hæc enim erat generalis doctorũ sentẽtia, vt quicunq; esset sub originali etiam actuale quandoq; cõmitteret grandioris ætatis factus. Vnde & Orig. super ea Simeonis prophetia, & tuã ipsius animam pertransibit gladius, ita scribit: Quis est iste gladius? Apertè scribitur quòd in tempore passionis omnes sint Apostoli scandalizati, ipso domino dicente: Omnes vos scandalizabimini in nocte hac, Ergo scandalilati sunt vniuersi, vt Petrus quoque tertiò denegarit, quid? Putamus quòd scandalizatis Apostolis, mater domini à scandalo fuerit immunis? si scandalum in Domini passione, nõ passa est, non est mortuus Iesus pro peccatis eius, si autem omnes peccauerunt & egent gloria Dei iustificati gratia eius & redempti, vtique & Maria illo tempore scandalizata est, hæc Origin. ibi. Et alibi etiam idem homo vult quòd Maria indiguerit purgatione à peccato atque idcircò ædito partu obseruauit legem purgationis: quæ nõ ob hoc adduxerim, quasi vera concludat, cũ hæc sint reprehẽsa, & ab omni ecclesia meritò iam explosa, quæ asserit B. V. nulla indiguisse purgatione, quum non suscepto semine conceperit. Lex autem, illam demum esse impuram & purgatione indigentem declarabat, quæ suscepto semine cõcepisset. Fatetur similiter ecclesia etiã solam ipsam beatam Virginem sine scandalo & constantissimè permansisse in fide, crucis tempore: & solam passionis Domini participem per gladium illum doloris, qui pertransiuit animam eius, quę

Nota diligẽter.

Ambrosius.

Origenes.

Luc. 2.

Marc. 14.

Rom. 3.

illi soli (puto) benè intelligunt. qui verè & perfectè diligunt Christū. Sed hæc adduxi, quoniā hæc erat antiquorū opinio, vt qui esset sub originali etiam ipsi actuali quandoque subesset. Quia ergo Origenes hoc accipiebat Mariam sub originali fuisse, ideò etiam cōcludebat eam sub actuali, quod à scandalo crucis declarabatur. Nos verò contrà, cùm iam expeditum sit illam sub actuali non fuisse, & nunquam scandalum passam super filio, consequenter ex accepta regula destruimus originale. Nec tamen putare te velim, bone lector, Origenem ea perpetuò asseuerasse de gloriosa Virgine, Sed vt secum in multis alijs inuenitur pugnans, ita & in hoc quod adduximus. Nam vide vt alibi de hac B. Virgine, quæ gloriosa sunt, prædicet. Tractans enim egregiè illud Matth. Ioseph cùm esset vir iustus & nollet eam traducere: postquam in immensum fermè extulit Virginem, vt eam Dei matrem diceret, dignam digni, immaculatam immaculati, sanctam sancti, vnam vnius, vnicam vnici, & alijs verbis & planè diuinis laudibus commendaret, introduxit & Angelum ita admonentem Ioseph: Accipe ergo eam sicut commendatum cælestem thesaurum, deitatis diuitias, sicut plenissimam sanctitatem sicut perfectam iustitiam: Accipe eam sicut vnigeniti mansionem, sicut honorabile templum, sicut domum Dei, sicut creatoris omnium propriam, sicut regis cælestis sponsi domum immaculatam. Hec ille. An hæc quæso videntur sonare in Maria vitium aut sordem, vt opus fuerit purgatione? Et (quod horreo dicere) An videatur admittere crucis scandalum, vt templum Dei sit scandalizatum? Absit, Absit, Absit à fidelium mente tam dira cogitatio, & indigna de sacrario illo Spiritus sancti. Quòd si quis vrgeat, quòd Augustinus. ibi statuit de solo Christo verum esse, quòd non fecerit peccatum quia nec paruulus habuit, quod & Ambro. clarè dixit. Primum respondemus, quod sic non tam contra nos arguunt, quàm contra communem etiam contradicentium & catholicorum sententiam, & communem omnium piorum conceptionem: imò ipsummet Augustinum, qui proculdubiò beatam Virginem omninò liberat ab actuali. Deinde ne secum illum in hoc pugnare fateamur, quod non est necesse, ab ipsomet Augustino instructi respondemus, quòd à plerisque, à quibus solus Christus excipitur, etiam ipsa beata Virgo in ipso Christo excepto excepta intelligitur. Verbi gratia de solo Christo specialiter dicitur, Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem & mors ab Adam ducta omnibus eius filijs dominetur, & maneat illud singulare in Domino, ita enim legitur in libro de dogm. eccle. Et tamen idem Augustinus. hoc extendit etiam in virginem.

Not. uim argumenti.

Origines de B. Virgine.

Matth. 1.

Ps. 15.

Ad Rom. 5.

In serm. de assumpt.

Quare

Quare? Quia Christus & B. Virgo vnum quodam modo erant, vnus spiritus, & vna caro: iuxta quod scriptum est, Qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo. Et iterum, Erunt duo in carnem vnā. Quāobrem & in Pelagianos, quia ponderabant quòd non dixerat Apostolus per duos homines, sed per vnum hominem peccatū ingressum in mūdum, vt ex hoc suaderent quòd non loqueretur Paulus ibi de peccato originali, quod chatolici dicebant, ipse ita argutè respondit Augustinus: Si cordis oculos non amisistis, attendite dictum esse, Iam non sunt duo, sed vna caro. Nam verè per vnum hominem dixit Apostolus, quia cum in viro suo mulier sit vna caro, in semine progenies imputatur. Hæc Aug. Idem notauit Hieronymus & Hilarius & alij multi: quod & ipsa scriptura satis indicat his verbis: Ad similitudinem Dei fecit illum masculum & fœminam creauit eos, vt per hoc quod dixit, Illum, ambos intelligeremus. Ad similitudinem enim Dei etiā fœmina creata est. Et sequitur: Et benedixit illis, & vocauit nomen eorum Adam in die qua creati sunt. Vide vt vno hoc nomine, Adam, ambo comprehenduntur. Quòd si illud in figura (Nam primus Adam fuit figura secundi) cur non & hoc in ipsa veritate fateamur?

1. ad Cor. 6. *Lib. Hypo.* *Gen. 1.* *Nota.*

EST & alia pro hac veritate grauissima Augustini sententia, quā vniuersa venerabiliter recepit Ecclesia, in hæc præclarissima verba: Excepta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, volo habere questionem, iā em̄ scimusq; ei plus gratiæ collatū fuit ad pc̄tm̄ oī parte vincēdū, quæ illū concipere & parere meruit quē cōstat nullū habuisse peccatū: hac inquā Virgine excepta, si oēs, illos Sanctos & Sanctas quos ille enumerat congregare possemus & interrogare vtrū essent sine peccato? Quid fuisse responsuros putamus? An quod Pelagius, an quod Ioānes dicit rogo vos? quātalibet fuerint in hoc corpore sanctitate, si de hoc interrogari potuissent, vna voce clamassent: Si dixerimus quia peccatū nō habemus nos ipsos seducimus &c. Hæc Aug. At cōtradicētes hāc sentētiā adeò pinguē, adeò magnificā pro perfectissima Virginis innocētia conati sunt angustare, vt de actualibus tm̄ peccatis nō de originali intelligatur: quod etiā suadere nitūtur.

Aug. de natu. & gratia. *1. Ioan. 1.*

Primò, quia, vt aiūt, de actualibus sermo erat cōtra Pelagiū, q induxerat B. V. & alios plures fuisse iustos, & p hoc absq; pc̄tō actuali.

Secundò quia non poterat dici de sanctis quòd haberent originale, à quo erant liberati.

Tertiò, verba illa, Scimus quòd ei plus gratiæ collatū fuit ad peccatum omni parte vincendum, arguunt quòd de actuali loquebatur. Non enim cum originali est pugna, vt vincatur.

Quarto, Quia illa sententia quam citat Augustinus, Si dixerimus &c. de actuali intelligitur, non de originali.

Quinto, Addunt & Magistrum sententiarum, qui vult eam Augustini sententiam intelligi veram ab eo tempore, quo Beata Virgo cœpit esse Christi mater. Tunc enim verè fuit ab omni peccato immunis. Hæc illi. At nos contrà quòd B. Augustinus de quouis genere peccatorū, imò præcipuè de originali ibi loquatur, confidentissimè asserimus. Nam hæc erat præcipua & principalis cum Pelagio controuersia: De actualibus enim incidenter disputabatur. Palagius enim, vt ibi recitat Augustinus, conabatur ostendere naturam hominis minimè vitiatam peccato: quod cum inter cætera argumenta probare sibi videbatur, ex eo quod scripturæ sanctæ multos iustitiæ nomine commendabat, quod non rectè fieret, vt arbitrabatur, si natura hominum illo peccato esset infecta. Vis enim argumenti eorum ut Iulianus declarabat in hoc maxime cōsistebat, quoniā (vt etiam catholici fatētur) necesse erat quemlibet hominē actualiter peccare, qui sub originali comprehenderetur. Quapropter nullus potuisset simpliciter dici iustus, si omnes illo peccato essent obnoxij: comemorabantur autem multi simpliciter iusti in scripturis sanctis. Quòd de gloriosa Virgine nō confiteri, impiū esse aiebat. Quamobrem & concludebat, credamus igitur quod legimus, & quod non legimus, credamus nephas astruere. Ad quod argumentum respondens Aug. primò negat eos, quos proferebat Pelagius iustos, ita iustos fuisse, vt nullo penitus peccato tenerētur, præter gloriosam. V. Deinde vt vim argumenti penitus frangeret, & dogma illius pessimum non probari, hoc exemplo, manifestaret, sed naturam etiam in. B. V. corruptam doceret, Adiecit quòd Maria excipiebatur, non ex vi naturæ, sed ex vi gratiæ excellentis, & propter honorem Christi. Vnde & contra Pelagij conclusionem opportunè conclusit in illum. ô Vtinā nihil uellet ille astruere, præter id quod in sacris litteris legitur: fideliter enim & obedientēr audiret, quòd scriptum est. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt, & nō infirmaret tanti medici gratiam dum fateri non vult naturam humanam esse vitiatam. ô vtinā sicut Christianus legeret, Præter Christum Iesum nullum esse nomen sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri, & non possibilitatem naturæ ita defenderet, vt homo per liberum arbitrium, etiam sine isto nomine saluus esse credatur. hæc Aug. & tandem, etiam circa alios sanctos & eorum iustitiam, quanta aut qualis fuerit, discedens à contentione, ita scripsit. Neque illud nimis curo, vtrum fuerint hîc aliqui

Vis argumēti Pelagij.

Responsio Aug. ad obiect. Pelagij

Rom. 5.

Act. 4.

Nota.

aliqui, vel sint, vel esse possint, qui perfectam (cui nihil addendum esset) habuerint, vel habeant, vel habituri sint charitatem: Ipsa enim est verissima, plenissima, perfectissima iustitia. quoniã quod volũtate hominis adiuta per gratiam Dei fieri possit, confiteor & defendo quando, vel vbi, vel quãdo, fiat, nimis certare nõ debeo. Hæc Aug. vt agnoscamus ex illius sensu, quòd non certaret in quenquam, qui quenlibet poneret in homine perfectam iustitiam, & ab omni peccato immunem, quantominus in eos qui hanc asserãt in Maria quam ille manifestè excipit? Sed pondera quæso te bone lector magnifica & amplissima Aug. verba pro absoluta innocentia B. V. Primò ait cùm de peccatis agitur, Non dixit cùm de actualibus agitur, sed simpliciter cum de peccatis agitur, Aiũt, Erat ibi quæstio solũ de actualibus, falsum imò de orig. maximè & propter illud de actualibus, vt originale excluderetur exclusis illis. Deinde adiecit, Nullam prorsus volo habere quæstionẽ, ò plenã circa hãc rẽ omni veritate sententiam: Non enim tantum absoluitur ab omni penitus peccato B. Virgo, sed omnis etiam quæstio circa hoc amputatur. Quæstio enim apud quosdã est, Vtrũ Maria actualiter peccauerit, reijcitur ab Augustino. Alia est, vtrum saltem originaliter, & hæc igitur reijcitur, Alia est de fomite qui ex peccato descendit, Et hæc pariter explóditur. Quare? Quia non debet esse quæstio super eo quod iam certò sciri debet. Audi quæso verba cõfidentiæ, iam enim scimus (inquit) quòd ei plus gratiæ collatũ fuit &c. Non dixit, credo, non dixit, opinor, aut quid tale formidinem indicans: neq; dixit, scio, quasi hæc illi soli adesset scientia, sed dixit: Scimus, vt hunc esse Catholicũ sensum innueret. Sed vnde hoc scire possumus ò Augustine? Audi & cape qui potes, Ex hoc (inquit) scimus, quod concipere & parere meruit illũ, quem constat nullum habuisse peccatum. Hic quæso attendat diligenter qui contradicit, & putat Aug. solum loqui de actualibus. Nam quæso quum de Christo ait, quem constat nullum habuisse peccatum an loquitur de actualibus tãtum? Absit. Hæc igitur ratio, quæ vtrunq; peccatum à Christo excludit, pariter militat vt vtrunq; à matre excludatur. Si enim immunis ideò dicitur ab actuali, quia ipsa eum meruit concipere & parere qui venit tollere actuale, cur non & ab origi. similiter immunis dicatur, cum eum meruerit concipere & parere, qui venit tollere etiam originale? imò ipsum maximè: Certè vrget ratio hæc, Tali enim argumento vtitur Aug. cum illam vendicat ab incineratione, & perfectam eius resurrectionem astruit. Ait enim, Decens fuit, vt esset integraliter viuens, quæ omnium integram perfectamq; genuit vitam. ita hoc in loco, decuit immunem esse ab omni prorsus peccato,

Nota & capitẽ o cõtra dictor sui.

Nota.

Ratio euidens.

Aug. in sermo. de assumptio.

quæ meruit illum cōcipere, qui nullum omnino habuit peccatum. Denique accipe totius huius sentētiæ radicē, Propter honorē Domini (inquit) nullam prorsus volo habere quæstionem. Quomodo ergo isti prætendunt honorem Domini, eò quòd illam statuunt sub peccato? Si hoc dicant ex proteruia, detestatione indigent non confutatione. Sin imperitè, misericordia, qui quod adeo perspicuum est, non vident. Quis enim non videat quòd si ad honorem saluatoris attinet saluare, & magis saluare etiam magis ad eius honorem attinebit, cum res digna maiore salute proponitur? Quis autem neget magis esse saluare, ab omni delicti genere constituere immunem quempiam, quàm si ab vno? Quis item neget matrem Dei dignam omni genere salutis, quæ ipsam veram sibi prius & maximè vitam & salutem effudit? Quod verò cōtradicentes aiūt, quòd de sanctis non poterat dici, quòd haberent peccatum originale cùm essent ab illo liberati per gratiam, ostendunt parum se considerasse scripturas, & Augustini, & aliorum veterum loquendi morem, qui reliquias eius peccati quæ & post gratiā manēt in sanctis, peccatum vocant. Vnde & illa scriptura, Si dixerimus quia peccatum non habemus, quæ proculdubiò complectitur omnes, vt vult Augustinus, etiam pueros, non de actualibus solū peccatis verificatur, sed & de originali: imò propter originalis reliquias illud est dictum. Nam sine actuali potest esse homo teste Augustino, & Thoma pro aliquo tempore: & ideò pro illo saltem tempore, posset dicere peccatū non habeo, & falsa esset illa sententia, & propterea eius veritas in orig. peccato saluatur. Neq; verum est quod non pugnetur aduersus hoc peccatū donec destruatur per gratiā Christi, imò aduersus illud continuò est colluctatio: quoniam propter illud maximè in nos ingruunt tentationes à multis miserijs. Porrò quod ait Magister sententiarum, videlicet quòd hæc Augustini sententia intelligitur vera ab eo tempore, quo illa filiū suum concepit, à B. Thoma non recipitur, nec est recipienda: quia violat literam & angustat Christi gratiā in illa, præsertim si de actualibus loquitur, vnde simpliciter est intelligenda nō solum respectu omnis temporis, vt fatetur D. Thomas, Bonauentura, & communiter omnis schola, verū etiam respectu omnis peccati, vt rectè sensit ipse Magister. Sunt & aliæ quæ sparsim ex Augustino sentētiæ proferūtur, quæ manifestè illā mundissimam & ab omni sorde peccati immunem constituūt, quas alio opusculo indicaui, & nunc breuitati studēs omitto. Attuli & ex Hieronymo sententias, Nam alicubi nubem dici declarat esse B. V. quoniam non fuit in tenebris, sed semper in luce: quod certè de nullo dici potest, qui aliquando sub tenebris peccati comprehen-

Notent qui aliter sapiūt

Ad Rom. 5.

1. Ioan. 1.

Hier. super ps. 77.

ſus eſt. Alibi confidenter aſſerit totam Chriſti plenitudinem refuſam fuiſſe in B. Vir. quãquã aliter: vt quod Chriſtus iure proprio habuit, B. Virgo, eius gratia & beneficio, acceperit. Comparatam etiã illam fuiſſe velleri declarat, quoniam vellus cum ſit de corpore neſcit coruptionem. Sic enim Maria, cum eſſet de corpore & maſſa illa peccati, quaſi vellus incorrupta per Chriſti gratiam eſt inuẽta. Alibi comparauit eam diei Dominico & illi quidem. S. Paſchæ, vt ſicut hic dies inter reliquos principatum obtinet, ita mater Domini inter reliquas mulieres: Et ſicut Sabbatum antiquum mutatum eſt in hunc diem, ita Heuæ eiectio in gloriam Mariæ, vt non deceat in ea vlla ſeruitus: & ſicut dies Dominicus eſt vnus è ſeptem, & extra ſeptem, ita Maria ſecundùm naturam inter reliquos homines computanda eſt, electione verò & gratia, extra alios & ſuper omnes: ſoli Deo dicata, & vſibus mancipata diuinis. Adhæc, cum illam ſuper omnes angelos exaltatam diceret (quod de nullo quouis ſanctorum fas eſt dicere) ne id incredibile videretur, adiecit, Hoc priuilegium non naturæ ſed gratiæ eſt B. Mariæ Virginis de qua natus ipſe Deus & homo, idcircò & ipſa plus meritis eſt, & non natura, quàm Virgo, & homo, Quod & Auguſtin. eodem ſpiritu dixit, cùm illam perfectè glorioſam mirificis argumentis in cœlis cum filio conſedere perſuaſit. Reliqua quæ & ipſe, & Ambro. & alij Sancti illi antiquiores de hac Virgine glorioſa, & eius prærogatiuis prædicant, ob quas inquiunt ſtupere cœlum, non afferam, alio libello pauca de multis perſtrinxi quæ certè ita poſſunt illi congruere (ſi quoduis unquam peccatum habuit) ſicut lux clariſſima conuenire cum tenebris. Quare ũna Hieronymi ſententia hunc locum concludam. Nulli dubium (inquit ille,) quin totum ad gloriam filij pertineat quicquid dignè genitrici ſuæ impenſum fuerit, ac ſolenniter attributum. Qui igitur verè ſtudebunt gloriæ filij, non dubitabunt hunc honorem matri eius impendere, ac ſolenniter attribuere, cùm hactenus antiquorum doctrinam videre poſſint non ſolum non obſtare, verum etiam huic ſententiæ maximè fauere. Igitur ad ſecundam aciem deſcendendum eorum ſcilicet, qui ſcholaſtici fuere, & abhinc circiter trecentis annis in Gymnaſijs literarum floruere.

In Serm. de aſſumpt.

In Serm. de Paſcha domini.

In ſerm. de aſſumpt.

Hie. ueneranda ſentẽtia.

Dilutiones autoritatum eorum qui de conceptione B. Virg. olim aliter ſenſerunt.

NOn eo inficias nobiliſſimos ſcholaſticorũ, quales fuere imprimis. B. Thom. Bonauentura, Albertus, Durandus, Egidius, & alij

alij complures præclaræ ac spectatæ doctrinæ, videri illam opinionem tenuisse, quibus addo S. B. Bernar. licet inter scholasticos nō sit ponendus. Neque hoc magnopere mirandum, tum quia tunc homines erant, & ipsi verè sub originalis peccati tenebris adhuc detenti, vt possent errare, Tum quòd non est nouum in ecclesia Dei, per temporum incrementa, nota fieri diuina mysteria, quæ tamen antea, etiam multos sanctos latuerant, vt hoc nunc nosse, sit beneficiū temporis: non quòd simus meliores nos, quàm patres nostri. Mirabitur fortè quispiam quod dixerim illos videri tenuisse illā opinionem, quasi reuera non tenuerint, Nemo quæso miretur, nam periculo meo audeo asserere, quòd verè non tenuerunt, quod paulò post polliceor me quàm euidentissime ostensurum. At interim cum ijs agens qui minus idonei sunt, vt persuadeātur, aliter, & multis modis respondebo.

Nota. Occurritur obiectioni.

PRimò quòd hic locus ab autoritate est infirmissimus, vt ait philosophus. Vnde & eleganter Augustinus dixit, ordo discendi est vt rationē præcedat autoritas: infirma enim ratio videri potest, quæ cum reddita fuerit, autoritatem postea perquam firmetur assumit. Econuerso enim est, vt infirmitatem autoritatis ratio confirmet. Secundo vt clauus clauo truditur, ita autoritas contraria autoritate explodiur. Non enim defuerunt magni & gloriosi doctores, qui nostræ sententiæ faueant: sicut de antiquioribus id ostendimus, de modernioribus autem non est dubium, cum nullus sit iam qui audeat aliam partem sustinere. At ipsi primò numerant autores suos & quidem ad ducentos circiter: Alij fermè etiam ad trecentos extendunt. Caietanus vltimò ad tredecim reduxit numerum, qui viderantur explicitius & irrefragabiliter illud probare. At quàm vere irrefragabiliter hîc ex parte, sed in nuper æditis annotationibus in eius commentaria abundè ac planè deteximus, Alij multos memorant infimæ classis, quos nesciamus vtrum aliquando hanc vitā vixerint: vt isto modo perfacilè fuerit complere numerum. Nonnullos etiam cogunt inuitos vt sibi astipulentur, qui vel non probant quod ipsi volunt, vel etiam contrarium potius docuere: Ita vt præter alios, quos alio opusculo indicaui, etiam Scotum ad se trahāt, vt ex hoc vno quid ausi fuerint de alijs facilè valeas conijcctare. Plurimi etiam sunt, qui zelo & contentione magis quàm ex iudicio & amore veritatis scripserunt. Quod vtinam nō indicassent plus satis. Nonnulli etiam fuerunt, qui (vt fieri solet) non exactè rē considerantes, secuti sunt potius alios quàm ipsi rem proprio iudicio comprobarint. Deniq; postquàm eò redacti sunt, vt nos nobis obijciant fumos numerando autores, respondebo de cuiusdam prudentia,

Ordo discēdi ex B. Au.

Clauū clauo trudere.

Caieta.

Nota aduersariorum ad probādū, angustiā & fluctuationem.

dentia, qui dixit Pauperis est numerare pecus. Nam qui ex aduerso in illos pro nobis stant, innumerabiles sunt: videlicet vniuersitates famosissimæ totius Christiani orbis, & gymnasia, præter plurimos magni nominis viros. Et, quod longè est validius, ij nostri, hanc quam defendimus positionem, non iam vt opinionem, sed vt quasi certæ ac exploratæ veritatis sententiam afferunt, sicut iam antiqua determinatione firmarunt: ita vt apud celeberrimam Parrhisiorum facultatem nemo dignus magistri titulo censeatur, qui in hunc articulum non se astrinxerit, etiam iurisiurandi religione. Quæ autem huius rei gratia euomuerit contra vniuersitates Caietanus, quas & præsumptuosas vocat, quia non nisi indignæ contumeliæ sunt, hîc nõ referam. Satis enim de hoc in Annotationibus nostris nuper æditis. Quod tamen ad rem pertinet, si quis dixerit ad vniuersitates huiusmodi non pertinere rem fidei determinare, fateor hoc regulariter. At nihilominus cum res ipsa postulat ad sedanda scandala, & schismata in regnis illis, & pro bono vnitatis & pacis, & præsertim Romana Ecclesia hæc tolerante ac propterea tacitè approbante, quando & ordo noster in eis locis consenserit, minimè fuit præsumptio eam quæstionem decidere in illis locis, sed fuit prudentia, & diuinum consilium nec sine spiritu Dei acceptum. Olim Episcopi, qui in Synodis cogebantur, similia sanciebant quæ ad pacem & vnionem Reip. Christianæ spectare perspiciebant: quia summus Pontifex vbique esse non potest, & multi eorum alijs fortè curis prohibentur. Nunc autem propter scientiæ claritatem hoc Episcoporum munus Doctorum vniuersitates sibi meritò vendicarunt, ipso Pontifice & sciente & volente. Sunt enim quædam satis certæ fidei apud doctos, Cur autem hæc declarare non pertineat ad illas, si res postulet? Et sunt quæ apud quasdam prouincias certiora facta sunt per miracula, & reuelationes Sanctorum, vt necessaria sint præsentanea remedia propter factiones, vt est constantissima fama hac de re, quæ reuelationibus & miraculis comperta est & illustrata. Quid ergo mali si vniuersitates, hac veritate ita cõperta, pro vnione & pace regnorum illud determinarunt, quod etiam ecclesia sancta suscepit? quo minus debuerunt argui vniuersitates istæ præsumptionis: imò in ea parte potius præsumptio est quæ id arguit quod Ecclesia probat. Quod ergo etiam addit idem Caietanus, quòd iste concursus & consensus vniuersitatum & populorum nihil habet probabilitatis, nisi apud indoctos, quid mereatur pro responso alij viderint. Hæc enim verba latè significant, quod vniuersitates, & quicunque in hanc sententiam conueniunt indocti sunt: Et illi soli sapiunt, qui contra tenent. Sed hoc, effutire est, non probare. At

Virg. in Buco.

Nota quid Parrhis. facultas p cõcep. agat.

Quomodo pertineat ad uniuersitates nonnũ quã de fidei dogmatibus decernere.

Episcoporũ antiqua in Synodis consuetudo.

Vniuersitates episcoporũ munus obire in dubijs.

Vera præsumptio.

aiunt quidam quòd cum aliquando florebat illa vniuersitas opp o-situm determinauit his verbis, vt ipsi citãt ex Alberto Magno, Esse sanctificatam Mariam ante animationem conclusum fuit hæresim esse in Parrhisiensi gymnasio, quia cõtraxit peccatũ originale. Sed certè apud Albertum verba hæc, Quia contraxit peccatum originale. non leguntur, sed addunt de suo. Quòd si illiberale penitus est per falsitatem defendere etiam veritatem, quantò magis defendere quod falsum est? Nos igitur fatemur non solum hereticum, verum etiam stultum esse ponere Mariæ sanctificationem ante eius animationem: quod nihil aliud esset, quam ponere esse Mariam antequam esset. Et hec satis ad numerum, & multitudinem quam obijciunt. Videntes igitur quod nec hoc in loco consistunt, videlicet in multitudine doctorum, cum hæc nostra sententia sit iam communis, nec sit opus de tertia turma, id est recentioribus Magistris facere quæstionem, cùm omnes nobiscum cõsentiant: hùc tandem confugiunt, quòd pro illis sunt qui sanctitate præstarunt: quasi verò desint & Sancti, & deuoti Virginis in parte nostra, sicut alio o pere ostendi: verùm propter infirmos, ne hoc prætextu fallantur, mitto quod non est necesse omnibus assentiri, quæ sanctis visa sunt vera. Non enim ita perfecta sanctitas in hac misera vita contingit, vt ab omni nescientia & errore sicut nec à peccato, penitus mortales liberet. Nam & ad Sanctos illud pertinet: Diminutæ sunt veritates à filijs hominum. Et quod Iacob Apost. dixit: In multis offendimus omnes. Docet Thomas non quæcunque dixerunt aut scripserunt Sancti, vera esse & à Spiritu. S. profecta. Augustinus præter caconicas scripturas alios ita legisse testatus est, vt quantalibet sanctitate vel doctrina pollerent, non idcircò verum esse putaret quòd illi dicerent: sed quia vel ratione, vel canonica autoritate quod dicerent etiam persuaderent. Hoc verò in loco & rationes, quibus mouebantur non cogere, & canonicam potius autoritatem vehementer oppositæ sententiæ fauere iam perspicuum est, nisi velimus nosmetipsos fallere. Denique res ipsa indicat in plurimis & grauibus quæstiõibus erratum esse ab his, quos meritò veneramur vt sanctos. Extat animosa Polycratis epistola ad Victorem papam vbi plures testatissimæ sanctitatis viros enumerat, qui contra morem Ro. ecclesiæ pascha sanctũ, Iudæorum more, celebrarunt: quorum freti autoritate Asiani Episcopi, Romano Pontifici restiterunt, sed anathemati cuncti traditi sunt. Cyprianus quantum contenderit pro rebaptizandis his qui ab hæreticis baptizati erant, contra Rom. ecclesie consuetudinem, cuius etiam sententiæ tot docti & sancti viri, etiam in concilijs subscripsere notissimum est.

Nota quid olim determinauit vniuersitas Parrhisien. ex Alber Mag sup. 3. sen.

Ps. 11.
Iacob. 3.
Th. in quodli. 12.
Aug.

Quid sanctis priscis contigerit olim.

Polycrates ad Victorẽ pp. uide Histo. eccl. & Hie. de Vir. illust.

Cyprianus.

est. Sed quid Augustin. de illo? Nota quaeso lector aurea verba, quibus etiam obiectam in se Cypriani autoritatem retundit. Ego (inquit) viri huius laudem assequi non valeo, eius multis literis mea scripta non comparo, eius ingenium diligo, eius laude delector, eius charitatem miror, eius martyrium veneror: hoc quod aliter sapuit, non accipio, quia ecclesia non accipit, pro qua ille sanguinem fudit. Haec Augustinus ita verè sicut humiliter, quod & maximè à nostris considerari velim. Ioannes quoque Damascenus & nonnulli qui in sanctorum numero habentur circa trinitatem mirificè aberrarunt dicētes Spiritum Sanctum à solo Patre procedere. Vnde clamat B. Hieronymus in suo contra Pelagium Dialogo, & ait: Quis mortalium aliquo errore nō tenetur? quem haereticorum & falsorum dogmatum venena non maculant? Idcircò omnes & timere, & humiliari, & confiteri debent, quòd omnis homo mendax. Si enim vertex ille Apostolorum Petrus post suae dilectionis ternam professionem, & post plenitudinem superuenientis Spiritus tamen non ambulare secundum Euangelij veritatem deprehenditur: nec ipse solum, sed & frater Domini Iacobus, & Bernabas, columnae ecclesiae sanctae, in eam imprudenter venerant simulationem: Quid mirum si & posteriores & inferiores alios error aliquis inuoluerit? O altitudo scientiae & sapientiae Dei. Quis nouit consilia eius, aut quis prior dedit illi & retribuetur? Nonne scriptum est, Diuisiones gratiarum sunt, & Spiritus sanctus est qui diuidit vnicuique prout vult? Placuit ergo Spiritui dare aliquid Paulo, quod Petro non dedit: praestantior enim Paulus praedicatione, Petrus potestate sublimior. Cyprianus martyrij gloria Augustinum praecellit, Augustinus acumine & scripturarum doctrina felicior. Thomas Augustino praestat virginitate, Ille pastorali praefectura insignior: & ne longius à re proposita diuager, hoc tandem persuasum esse velim, Non omnibus seculis omnia innotuisse. Ideò nec magnoperè mirādum, si hoc Reginae nostrae priuilegium Thomam latuit, aut Bernardū, aut Bonauenturam & alios: Satis enim superque satis accepit Thomas Aquinas, qui quasi sapientiae coelestis abyssus tantis salutaris doctrinae aquis exundat, vt penè dixerim cunctam solus ille valeat irrigare ecclesiam. Neque propterea detrahimus quicquam Thomae doctrinae, nec impugnamus eam (vt quidam imperitè putant) Nam pro eminenti eius scientia ego frequenter illud vsurpare soleo, Ille sciat se valdè profecisse cui Thomas valdè placebit. Recipimus & nos preclarissima summorum virorum testimonia de eius doctrina. Et quod quidam Pontifex de illo testatus est,

Hier. uerba pōderanda.

Psal. 115.

Ad Gala. 2.

Ad Ro. 11.

1. ad. cor. 12.

Gratiae sanctis diuisae.

Verissimum papae p Thomae doctrina testimonium.

G ij obser-

obseruatum esse, nullum vnquam eius impugnasse doctrinam, qui non fuerit de veritate suspectus, facilè comprobamus: certò tamen scientes, multos ignorare quid sit impugnare doctrinam Thom. Ille enim uerè Thom. doctrinā impugnat, qui in vniuersum, aut bona ex parte, quasi non valdè vtilem, improbat, & contemnit, aut (quod est horrendius,) quasi minus Catholicam, imò hæreticam, & tanquam unam ex phialis iræ Dei fuisse, blasphemant: id quod Lutherus, in ea responsione quam mihi & operi meo (quod in illius blasphemias ædideram Diabolico furore actus obiecit) nōn timuit pronunciare. Ille impugnat Thom. doctrinam, qui non cum reuerentia & formidine, sed parum sobriè & vt sectarum zelus aut propriæ arrogantiæ trahit impetus, de illa in vniuersum iudicat & obloquitur. At verò in vno aut altero, & vbi ratio postulat, aut aliorum etiam, præsertimq; Ecclesiæ autoritas mouet, saluis modestiæ finibus ab eo dissentire, quod magni & gloriosi viri fecerunt, etiam qui de huius sancti fontibus hauserunt, tantum abest vt hic impugnet doctrinam Thom. vt etiam magis saluam illam velit: quando ea demum sit vera doctrina, & ille verus doctor qui malit præhonorari veritatem. Ille igitur potius impugnat eius doctrinam, qui ita pertinaciter illi inhæret, vt velit ad vnum & minimum iota, pro illa contendere, & eius autoritatem æquare scripturis, & superiorem facere etiam Pontificum decretis: & ita præbere se doctis ludibrio, hæreticis occasionem porrigere blasphemandi in illam, æmulisq; indignandi causam in hoc nostrum supercilium tam immodestū. Ille Deniq; potius impugnat doctrinam Thom. qui fraternam violans charitatem, ideò fratrem suum odit, quia de B. Virginis conceptione aliter docet quàm aliquando Thom. senserit, cum vel ipse Thom. imprimis docuerit magis esse sequendam Ecclesiæ vocem quàm suam, quod in vltimo vitæ suæ spiritu (quando felix eius anima recedebat in cœlum) toto corde contestatus est, vt in Bulla canonizationis suæ non ab re exprimitur. Et quod de Thoma, etiam de Bonauentura, & Bernardo & alijs dictum puta, quorum quilibet magnis & peculiaribus donis honoratus à Domino fuit. Quocirca illud Aug. in re proposita libenter vsurpabo. homines sumus, & aliter sapere quàm se res habeat, humana tentatio est: nimis autē amando sententiam suam, vel inuidendo melioribus vsq; ad præscindendæ cōmunionis & condendi schismatis vel hæresis sacrilegium peruenire, Diabolica præsumptio est: in nullo autē aliter sapere quàm res habeat, angelica perfectio est. Quia itaq; homines sumus quandiu perfectionem angeli non habemus, præsumptionē Diaboli nō habeamus. Qui habet aures audiendi audiat.

Quid sit impugnare doctrinā Tho.

Lutheri uenenosa responsio.

Verā doctrinā ueritati cedere.

Nota.

Augustini præclara admonitio.

Quàm

Quàm uariè & inconstanter scripserint penè omnes de peccato originali & innocentia B.Virginis.

ADhæc sicut in illo collegi opusculo de conceptione Mariæ, & diligentius in tractatu alio de peccato originali, De quæstione hac & circa huiusmodi peccatum adeò variè & contrariè inuicem senserunt doctores, vt de nulla alia re magis: ita etiam obscurè & inuolutè (vt ait Magister sententiarum) vt vix intelligi possit quid ipsi senserint. Aug. etiam ipse nonnulla circa hæc ignorare ingenuè professus est. De B. Thom. etiam qui insignes Thomistæ habentur, Capreolus & Caiet. fatentur ingenuè, in nonnullis eum variè scripsisse: & posterius, quæ ante scripserat, retractasse. Quinetiam ipsos Thomistas in plerisque de Thomæ sensu, inter se disceptare. quinimò, (si uerum amamus) B. Thom. ex Anselmi sententia pro immaculata B. Virgin. conceptione, apertè pronunciauit ita scribens: Puritas intenditur per recessum à contrario: & ideò potest aliquid creatum inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati sit inquinatum, & talis fuit puritas B. Virginis quæ à peccato origi. & actuali immunis fuit: fuit tamen sub Deo, inquantum in ea erat potentia ad peccandum. Neq; verò quæ afferuntur à Thomistis glossæ ad hunc locum, recipiendæ sunt. Primò quidem, quia nec inter se conueniunt. Nam quidã dicunt (vt Capreolus) quod Thom. intellexit eam immunem ab orig. post primam sanctificationem quæ fuit in vtero: quidam verò à die secundæ sanctificationis, quando verbum Dei concepit. Deinde, quia Beatus Thomas simpliciter & absolutè prædicauit Virginem immunem ab originali, sine vlla temporis distinctione. Præterea, vox illa (immunis) perpetuam significat absolutionem ab ea re, à qua dicitur quis immunis, Vnde ipse B. Thomas, Virginitas hoc inquit importat, quòd persona cui inest, immunis sit ab omni concupiscentiæ adustione. Quæ certè diffinitio falsa esset, nisi illa voce, (immunis) perpetua significaretur immunitas. Adde quod & ualidius est quod S. Doctor copulat duo hæc origin. & actuale peccatum à quibus illam immunem dicit: sed de actuali, haud dubium quin perpetuam immunitatem dixerit B. Thom. cur ergo non pariter & de orig. cum hæc ambo, quo ad immunitatem, ita iungantur vt æquari videantur? quia ex regula ad rectè interpretandum ducente, vna determinatio quæ plura respicit determinabilia, debet ea pariformiter determinare: At verò monstrosè claudicaret sermo ille si ab actuali immunis perpetuò diceretur, ab originali verò à prima sanctificatione: vel quod absurdius esset, & à se

Obscura quæstio de pctõ orig.

Mag. sen.
Augu.

Thomæ sententia aliquãdo pro immaculata cõceptiõe in 1. dist. 45. art. 3. ad 3.

Nota incõstantiã aduersariorũ in exponendis Tho. uerbis.

Tho. 2.2. q. 152.

Regula ex iurecõsultis accepta.

cunda quando concepit filium. Adhæc, contra eos qui dicunt post primam demum sanctificationem fuisse illam immunem ab orig. specialiter arguitur, quoniam si habuit adhuc fomitem (vt volunt) non nituit ea puritate, qua nequit maior intelligi sub Deo: quod tamen ibi asserit Thom. Præterea puritas quæ non est perpetua, non potest dici maior omni puritate quæ sub Deo est, etiam per recessum à contrario (vt B. Thom. docet in expositione salutationis angelicæ. Postremò vt claudantur omnium ora, ibi declarat ipsemet sanctus Doctor, quomodo sub Deo intelligi debeat illa immunitas B.V. videlicet per recessum à contrario, idest, à peccato, quoniã ipse quidem Deus à peccato liber est, non secundum actum solum, verum etiam secundum potentiam: sub Deo ergo erit semper. B. Virginis puritas, si ponatur à peccato immunis secundum actum perpetuò, quia non ponitur per hoc immunis secũdum potentiam. Et hæc est puritas quam illi tribuit B. Thomas, cui satis fuit, vt esset sub Deo. Ex quibus arbitror non valdè proteruos persuaderi satis posse, quod B. Tho. hanc aliquando sententiam probauit, quod neque Capreolus omninò negare est ausus, neq; audet Caiet. sed aiũt, quæ scripsit in summis Tho. sunt eius vltimũ testamentum, cui standum est. Cur ergo Caiet. nonnunquam probat magis quæ super sententijs scripsit? Ego verò optima mihi videor coniectura colligere, S. Doctor eo lumine veritatis, quo interius afficiebatur, hoc aliquã do probauit, quod & nos sentimus. At quia tunc alia erat communis magistrorum doctrina, cui etiam antiquorum sententiæ astipulari prima facie videbantur, neque Dei Ecclesia quicquam interloquuta erat hac de re, ipse (vt erat verè humilis) maluit hoc spiritu impulsus, aliorum sensui cedere, quàm proprium retinere, vt sic magis placuerit Deo, non error ille, sed humilitas illa. Verum vtcunque res habeat, hic rem concludo, quòd cum tot viderimus varietates, titubationes, ignorantias, perplexitates, cõtradictiones horum doctorum in hac materia, & humana diuinaque iura testibus variè & cõtrariè loquentibus, aut inuolutè atq; obscurè, nec de propria sciẽtia testificantibus, haberi fidem prohibeant, idq; præsertim aduersus rem vllam piam: etiam nos iure optimo ac meritò, & cum bona horum doctorum pace & gratia (vt non dubito) eorum dicta & si sancti fuerint, tamen contra sanctissimæ virginis prærogatiuam hanc, non recipimus. &c. Nam cũ duorum alterum necesse sit nobis fateri, aut peccatum Virginis, si hos non errasse concesserim, aut eorum errorem, si potius illam ab omni peccato immunem defendam, profectò expedito consilio, ac sanè pio iudicio, magis eligã vt illos errasse ingenua cõfessione profitear, qui & potuerũt errare, & in multis etiam

Cur Thom. tãdẽ à uerio re opinione recesserit.

etiam errasse deprehēsi sunt, quàm vllā patiar gloriæ matris Dei indignam inuri maculam: vt clarè intelligant omnes, me non tā contra horū sanctitatem dicere, quàm meliorem sanctitatē tueri. Nullus enim sanctorum fuit, aut erit vnquam, qui sanctitatem suā ausit sanctitati tantæ virginis comparare, quam solam prælectam idcircò dicimus, quòd non est assignare vllum spatium quo in mente diuina toruo & irato oculo ab ipso Deo sit inspecta: quod de nullo alio sanctorum fas est dicere.

Quòd reuera omnes sancti tenuerunt hanc sententiam immaculatæ conceptionis B. Virginis.

SEd vt aliquando profligentur qui in hac eorū acie, iam ab omni parte concussa & debilitata cōfidūt, pro re certa statuere audeo, quòd omnes catholici, quanuis sancti, quanuis deuoti & docti, imò quātomagis docti, deuoti, & sancti, tātò qdē impēsius nostræ quàm cōtradicentiū accessere sentētiæ. Miraris fortè quod loquor: mirari desines lector, cū intelliges. Intelliges autē, si capere voles, Quippe hoc omniū catholicorū fuit, magis ecclesiæ Ro. sensum, præsertim in his quæ huiusmodi sunt, probare, quàm propriū. Quis autē nūc iā dubitet de ecclesiæ sensu, qꝙ tū verbo tū facto, immaculatā Dominæ cōceptionē recepit & celebrat, ac per hoc etiam tacitè approbat? Quod & inferius lucæ clarius demōstrabimus. Primùm verò quòd omnes sancti & docti, & ij maximè, quibus aduersarij fidūt, hoc docuerint, quòd in huiusmodi imitari ac sequi primā Ro. sedē, omniū aliarū ecclesiarū magistram debeamus, perfacilè est videre. Beatus enim Th. ita consuetudini Ecclesiæ innititur, vt non solum censeat faciendum esse quod ipsa facit, verumetiam (quod longè est maius) non faciendum quod ipsa non consueuit. quapropter cùm non baptizandos esse Iudæos inuitis parentibus defenderet, hoc maximi loco argumenti adduxit, his verbis: Dicendum est quòd maximam habet autoritatem ecclesiæ consuetudo, quæ est in omnibus æmulanda: quia & ipsa Catholicorum doctrina ab Ecclesia autoritatem habet, Vnde magis standum est autoritati Ecclesiæ quàm August. vel Hieronym. vel cuiuscunque doctrinæ. Hoc autem, ecclesiæ vsus nunquam habuit quòd Iudæorum filij inuitis parentibus baptizentur. Hæc Thomas. Vbi aduerte, quòd non in his loquitur quæ ecclesia expressè determinat & mandat, sed in his quæ absq; determinatione in vsum recipit: imò (quod multo est mirabilius) in his quæ non recipit, ob quam certè gratiam timuerunt eo tempore viri Dei hanc B.V. conceptionem admittere, quia tunc Ecclesia Roma. non admitte-

Pro sensu S. Ro. Eccle. nota & cape.

Th. 2. q. 68. et. 2.2. q. 10. art. 12.

Nota quare olim uiri S. & timorati non recipiebāt immaculatam conceptionem.

admittebat: vt hinc planè accipias, quòd si admisisset, & ipsi ambobus pedibus, & certè hilariter, secuti essent. Quòd autem hoc sit verissimum, Audi quæso. Cùm pro immaculata B. Virg. conceptione arguens Thom. assumeret, quòd de re non sancta non debeat celebrari festum, simulq; induceret cõsuetudinẽ quarũdã Ecclesiarum quæ festum conceptionis huius celebrabant, Respondit his verbis, Licet Rom. Ecclesia non celebret, quia tamen tolerat alias Ecclesias ita celebrantes, talis celebratio non est totaliter reprobanda. Vide quanti faciat Roma. Ecclesiæ autoritatem, vt non solum quod probat recipiendum sit, verumetiam quod scienter tolerat, etiam tolerandum. Et posthæc, vt accommodaret eam celebrationem Ecclesiarum illarum, sensui quem putabat esse Roma. Ecclesiæ, interpretatur illius festi celebrationem, sanctificationis esse potius, quàm conceptionis, dictam tamen conceptionis, quia mox vt concepta fuit, etiam sanctificata fuit. At iam nunc quando certissimum est ecclesiam Roma. recepisse festum & officium conceptionis in sensu claro, videlicet non vt exponebat Thom. referendo ad sanctificationem, sed planè respiciendo ad ipsam sanctam & immaculatam Conceptionem (vt patet ex ipsa extrauaganti) quis dubitet quòd nec ipse Tho. suum sensum iam vlterius contra sensum ecclesiæ defenderet: cum ideò illo modo sensisset, quia sic ecclesiam sentire putabat, Nec se vellet à quoquam defendi: quoniam nõ tam defenditur isto modo eius doctrina, quàm impugnatur, cum semper & verbo & facto docuerit non sibi in huiusmodi, sed magis illi ecclesiæ credendum esse. Nam audi quæso orationem, quam consultò & ex certa scientia recepit iam olim ecclesia: & agnosce quàm perspicuè declaret, quod dicimus. Deus qui per immaculatã Virgi. conceptionem dignum filio tuo habitaculum præparasti, concede quæsumus, vt sicut ex morte filij sui præuisa, eam ab omni labe præseruasti, ita nos quoque mundos eius intercessione, ad te peruenire concedas. hæc est oratio prima, & similia in Secreta dicuntur. Quæ certè oratio si mendacium contineret etiam diram precationem haberet, videlicet vt ita nos mundi accedamus ad Deum, sicut illa conceptio sine labe: sed illa non sine labe (vt volunt), ergo id præcatur Ecclesia ea die, vt ipsa immunda perueniat ad Regnum, quod est blasphemia, cum nihil coinquinatum intrare possit. Quis enim ferat (vt in Concilio Mileuitano dixit Ponti. decernens contra Pelagium) orãtẽ ad Deum mentiri? quantò autem horribilius orantem dira peccari, aut blasphemare? Sed hoc noui magistri nostri temulentissimè blasphemantes concedunt, videlicet quòd ecclesia Sancta celebrat rem non solum falsam: uerum etiam hæreticã

Th. 3. q. 27. art. 2.

Nota Thomista.

B. Thomam ecclesiæ non propriũ sequi sensum.

Oratio quã recepit ecclesia p conceptiõe immaculata B. Virginis.

Apoc. 21.

Intolerabile est in ecclesia orantem ad Deũ mẽtiri.

& cum

& cum celebrat blasphemiam dicit, quibus iam nihil respondebo, Respondeat S. Synodus. Tu verò pie lector audi etiam in extrauag. Graue nimis de reliq. & ueneratione Sanctorum, quàm explicite hanc, quàm receperat, solennitatem, & officium immaculatæ conceptionis, & quàm confidenter confirmet. Ait enim, cum sacrosancta Rom. ecclesia de intemeratæ semperq; Virginis conceptione publicè festum, ac solenniter celebret, & speciale ac proprium super hoc officium ordinauerit, nonnulli (vt accepimus) prædicatores in suis sermonibus ad populum publicè, per diuersas ciuitates & terras affirmare non erubuerunt, & quotidie prædicare non cessant, omnes illos qui tenent aut asserunt eandem gloriosam & immaculatam Dei genitricem, absque orig. peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse hæreticos, eiusdemq; immaculatæ conceptionis officium celebrantes, & audientes sermones illorum, qui eam sine huiusmodi macula conceptam affirmant, peccare grauiter, sed & præfatis prædicationibus non contenti, confectos super his assertionibus libros in publicum ædiderint, & infra, Nos igitur huiusmodi temerariis ausibus ac peruersis assertionibus ac scandalosis, quantum nobis conceditur, obuiare volentes, motu proprio & cæt. huiusmodi assertiones prædicatorum eorūdem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent, eos qui crederent aut tenerent eandem Dei genitricem ab orig. peccati macula in sua conceptione præseruatam fuisse, propterea alicuius hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare: aut huiusmodi officium celebrantes, seu huiusmodi sermones audientes alicuius peccati reatum incurrere, vt pote falsas & erroneas & à veritate penitus alienas, æditosq; desuper libros prædictos id continentes, quo ad hoc autoritate Apostolica tenore præsentium reprobamus & damnamus. En quàm manifestè declarat quale officium conceptionis ipsa celebret ecclesia, nimirum proprium & speciale scilicet conceptionis immaculatæ, in qua sicut explicitè habet oratio ab omni labe peccati est præseruata. Cùm igitur iam latè pateat ecclesiam Ro. & iā cæteras omnes sub hoc titulo, & in hoc sensu, immaculatam celebrare conceptionem: quis ambigat de mente S. Doctoris Thomæ, quòd libentissimè in hanc sententiam conueniret, cùm semper in obsequiū sedis illius promptus fuerit captiuare intellectum? Nam audi quæso Caietanum, qui cùm de irregularitate commentaretur. B. Thomæ dictum, contra quod postmodo Pontificis sanctione declaratū fuit, sic rectè annotat, Si ea Decretalis fuisset tempore Thomæ, Thomas non scripsisset illud: Quinetiam audi opportunius ad rem propositam, cum B. Thom. clarè docuisset Papam super voto religio- Tho. 2.2.q. 64. art. 7.

religionis dispensare non posse,& hoc nosset Caiet.tamen ita contrà scripsit ad verbum. Teneo quòd apud.S.Thom:potest ecclesia dispensare in voto religionis & ordinis,quod autem hoc sit de mēte.S.Thom.manifeste potest concipi ex initio & fundamento positionis suæ in contrarium in secunda secundæ:siquidem ibi concludere volens,quòd Papa non posset dispensare cum religioso,pro radice positionis assumit autoritatem decretalium, dicens,sed quia decretalis,cum ad monasterium manifestè dicit & c.& deinde vt cōformaret se decretali,adinuenit illam adaptationem de consecratione,vt ibi patet, Ex quibus omnibus,passione semota,quilibet perspicacis ingenij elicere potest,quòd si tempore suo summus Pont.dixisset oppositum verbo vel facto(vt postmodum fecit)quòd ipsi quoq; accommodasset rationem in obedientiam sedis Apostolicæ: & propterea illa opinio non est sua,nisi pro quanto sustentatur ab illa decretali.Hæc ille,per quæ voluit concludere quòd probādum sumpserat, videlicet illam opinionem non esse suam,id est ipsius Thom.quia per illam Decretalem iuxta veriorem sensum non sustentebatur.Cur igitur in re proposita non mihi liceat eodem argumentò ac prudentia coniectare,quòd opinio B.Thomæ contra immaculatam Dominæ conceptionem,pro tanto est sua,pro quanto sustentari videbatur à sensu ecclesiæ,quæ tunc ignorabat hoc Virg. priuilegium?At nunc quando seipsam apertè Ecclesia declarauit,asserens,celebrare se talem conceptionem, videlicet immaculatam, iam planum resultat quòd ea est verè B.Thom.sententia, quæ iam cōspicitur esse ipsius ecclesiæ,& non quæ olim Thomæ videbatur. Nam huc omnes Catholici doctores semper,fidei oculo respiciebant,videlicet quid Ecclesia illa sentiret,quod ex eius facto indagabant vnde sanctus Bonauent.cùm de hac solennitate,quæ tunc in diuersis Ecclesijs pullulare incipiebat,tractaret,nec satis eam probaret,adiecit rationem:quia(inquit) S.Patres,qui alias solennitates Virg.spiritu sancto docente statuerunt,nō docuerunt celebrare cōceptionē.Intelligebat autē per Sanctos patres ipsos Pōt.ad quos id negotij principaliter attinebat: acsi expressè dixisset,vtiq; se probaturū fuisse,quādocunq; id ab ecclesia receptū videret.Ioānes etiā de Neapoli,Egidius,Capreolus,& alij multi. cū illud obiectaretur in eos quod B.Ansel.dixisse ferebatur,nō esse amatorē B.Vir.qui eius conceptionē colere recusaret,ita respōdere solebāt.Ro.ecclesia supponitur vera amatrix B.Virginis,quæ tamen hanc solennitatē non celebrat.Hāc nunc responsionē abstulit à nobis Deus fratres,ne valeamus excusare celebrationē.B.Ioānes Dominicus Florētinus nostri ordinis &.S.Antonini nostri magister ita scripsit.Libenter hoc

Mariæ

Caietanus 1. quolib.q. 11.

Nota p sensu doctorū sanctorum.

Vide Capreolum si placet.

B.Io.Dominicus præceptor.S.Antonini.

Mariæ concederem,si ecclesiæ nō repugnaret. Quin ipsemet Scotus non sine formidine hanc nostram probauit sententiam,hæc verba adiungēs: Nisi scripturæ & ecclesiæ obstet autoritas. vt appareat quòd tūc non satis exploratū erat de ecclesiæ autoritate,quæ magis videbatur obstare, eo solo quòd eā celebritatē nō susceperat. Quo in loco obiter adnotanda est Caie. falsa citatio,qui citat Scotū quasi dixerit, Nisi sanctorum autoritates obstarent,quum verè dixerit, de autoritate ecclesiæ & scripturarum,non autem sanctorum. Sed afferunt contradicentes Bernardum,quem hoc in loco in cœlū efferunt,vt sanctum,vt Deuotū Virgini. Gaudeo prorsus quum audio tantopere extolli sanctos,siue in veritate siue per occasionem: Gauderem tamen magis,si quæ sunt verè deuotionis & spiritus ad formanda corda,fide,spe,charitate,humilitate,paupertate,castitate obedientia,disceremus ab illo viro,æmulatores existentes eius perfectionis. Non hæc dico quòd eius autoritatem etiam in dogmatis non admittam: Nam & nos vel hoc in loco (& quàmmaxime) recipimus Bernardum, Obsecro te hîc lector intende,persuadeberis nisi proteruus sis. Quid quæso agit Bernardus? Obiurgat (inquiunt) canonicos Lugdunen. qui ceperunt hanc B. Virg. conceptionem celebrare,ac festum ipsum vituperat. Sed quare obiurgat illos? Et quare solennitatem illam vituperat? Audiamus virum suis verbis loquentem: Miramur (inquit) satis quòd visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum,voluisse mutare colorem optimum,nouam introducendo celebritatem,quam ritus ecclesiæ nescit &c. Ecce primum quidnam vituperat,& cur obiurgat,nempe à rei nouitate permotus,& simplicitatem putabat eorū qui sic inconsultò (vt illi videbatur) nouam celebritatem admisissent. & cum honor Virginis illi obijceretur,respondit honorandam virginem cum iudicio: Iudicium autem declarans,ab his quæ celebranda iam recepit ecclesia sumendum cēset. Vnde subdit honora integritatem carnis,vitæ sanctitatem, Mirare fœcūditatem in virgine,prolem venerare diuinam: extolle nescientem vel in concipiendo concupiscentiam,vel in pariendo,dolorem: Prædica reuerendam angelis,desideratam gentibus,patriarchis,prophetisq́; precognitam,electam ex omnibus,prælatam omnibus: Magnificā gratiæ inuentricem,mediatricē salutis,restauratricem sæculorum: Exalta denique exaltatam super choros angelorum ad cœlestia regna. Hæc mihi de illa cantat ecclesia,& me eadem docuit decantare. Ego verò quod ab illa accepi, securus & teneo & trado: quod non, scrupulosius (fateor) admiserim: hæc ille. Vide ergo cādide lector. Vnde se fuisse permotū declarat contra illam celebritatem,videlicet à nouitate rei, quòd ab

Scotus. | Bernard. ad cano. Lugd. | Nota uerba Bernar. omnino.

Ecclesia non acciperet authoritatem? Nondum enim tale quid traditum erat ab ea. Nunc verò id locum non habet: iam enim quod aliquot seculis seruatũ fuit, ac semper in ecclesijs creuit, ipsa quoque sedes Apostolica suscepit & probat. Ego verò inquit B. Bernardus, quod ab ecclesia accepi, securus & teneo & trado. Cur tu ergo, mi frater, qui mihi Bernardum obiectas, quod iam vbique & tantopere cauit ecclesia adhuc trepidas recipere, cum sit Bernardus securus? Quomodo ergo consentis cum Bernardo, si in quo ille securus est, tu trepidas adhuc? Et quod ille absque scrupulo iam traderet & doceret, tu econuerso adeò durus obsistis? nec solum non recipis absque scrupulo, verumetiam qui recipiunt damnas. Vnde tibi tanta fiducia hæc? Nam audi etiam continenter Bernardum ipsum, qui & adiecit. Nam si sic videbatur consulenda erat prius Apostolicæ sedis autoritas, & non ita præcipitanter atque inconsultè, paucorum sequenda simplicitas imperitorum. Hæc ille. Ecce igitur iam olim consulta Apostolica sedes hanc celebritatem recepit, & dono indulgentiarum honorauit, & quidem motu proprio & ex certa sciẽtia: Quod factum cum ab ijs (quos etiam nomine præsumptionis ipsa accusat,) reprehenderetur, denuò confirmauit, obstruens etiam ora ipsorum qui temerè & imperitè, ex aduerso obloquebantur Nunquid ergo etiam resistere ausus esset hæc videns Bernardus? Quid dico resistere? Imò nunquid ausus esset iam certus de Ecclesiæ sensu, non idem & sapere, & tradere, & docere? iam verba sua quæ exposita sunt planè indicant: quòd & si verba non indicarent, vita tamen ipsa & sancti mores persuaderent. Tu verò siquid etiam amplius desideras, audi illum adhuc, Postquam enim satis de proprio sensu, zelo sancto permotus contra eam celebritatem inuectus est, spiritu Dei proculdubiò tandem impellente, vt ijs quæ non secundum scientiam & veritatem effuderat, efficaciam omnem ac neruum adimeret, Hæc verba sapienter adiecit.

Bernard. p iudicio Ro. Ecclesiæ. Quæ autem dixi absque præiudicio sanè dicta sint sanius sapientis, Romanæ præsertim Ecclesiæ autoritati atque examini totum hoc, sicut & cætera quæ huiusmodi sunt vniuersa, reseruo: ipsius, siquid aliter sapio, paratus iudicio emendare. Hæc ille, & Catholicè quidem & piè, imò etiam doctè. Totum hoc, (inquit) & cætera quæ huiusmodi sunt, Roman. autoritati & examini reseruo: Sciebat enim posse quidem Ecclesiam illam errare in multis, quæ ad rem priuatorum attinent, & particularia facta respiciunt, (vt sanè docet Thomas) At verò in ijs quæ huiusmodi sunt, id est in cultu Dei, vbi maximè fidei nostræ versatur professio & protestatio, impossibile est illam errare, cum diuina regatur prouidentia per Spiritum

In quibus labi possit ecclesia.

Th. quodli. 9. art. 16.

ritum sanctũ, qui illi sedi singulariter ore Domini promissus fuit, iuxta B.Thomæ sanam claramq; doctrinam. Quis ergo ausit post hac Bernardum producere aduersus celebritatem hanc, quãdo ipse iam maximè illam suis verbis confirmet? cum per derogatoriã clausulam appareat eũ emẽdasse quicquid ab ipsius Ecclesiæ & Ro.sedis iudicio discreparit. Sed aiunt quidam: Non sumus hæretici si non sequimur in hoc sensum ecclesiæ, Cautum est enim ne quis nos hæresis nomine damnet si aliter sapiamus quàm illa receperit, Non nego. Sed illa, vt pia & suauissima mater, non consueuit repentè vinculis præceptorum filios astringere, ne fortè ad contumaciam ac rebellionem prouocaret. Sic enim (vt Aug. eleganter dixit) multitudinibus per schismata & hæreses pereuntibus plerunq; subuenire solet: piorum autem filiorum non est, in omnibus expectare præceptum, & interim eius indulgentia & benignitate abuti, idq; ad elationis suæ malum conuertere, quod ipsa tolerat, propter pacis bonum. Satis ergo hactenus fuit piè matri facto & exemplo suo monstrare quid & nos facere debeamus, ad quos attinet æmulari illam, vt magistram & matrem: sicut & se facere profitebatur Ambr, quod & innumera pene decreta Pontificum docent. S. enim Calixtus primus, admonuit his verbis, Non decet à capite membra discedere, sed iuxta scripturæ testimonium, omnia membra caput sequantur. Nulli verò dubium est quin Apostolica sedes sit mater omnium ecclesiarũ. S. quoq; Pius primus quum mandat S. Pascha celebrari die Dominico, vt omnes concorditer id agant illud similiter inducit, decere membra corporis caput sequi. Innocentius primus, Decentio Episcopo respondẽs ad informationem vel reformationem suæ ecclesiæ circa ritus Ecclesiasticos seruandos, satis esse censuit, quòd ille venisset ad vrbem, & quemadmodum ibi seruarentur, perspexisset. Quæ certè etiam latius patere deberent. Sed aiunt nonnulli Pont. ille qui illud officium conceptionis admisit erat ordi. Minorum, vt non sit mirũ si voluit fauere partibus suis: Profectò in his quæ huiusmodi sunt ad cultum Dei & fidei protestationem pertinentia, si ita liceat excusare nihil iã firmũ haberemus, & cuncta penè Pon. placita & Decreta in dubium reuocarẽtur. Canonizatio enim diuæ Catharinæ Senen. suspecta dici posset, vt impiè dixit Erasmus qui in gratiam vrbis & ordinis canonizatam fuisse scripsit: Similiter B. Bonauenturæ sanctitas in dubium vocaretur, quoniam probata fuit à Xisto illius. ord. Ecclesia Orientalis multa iam damnata rursum excitare posset, si huic excusationi daretur locus, videlicet quia Occidentalis Pont. illa decreuerit: ita Græca contra Latinã, & de alijs similiter vt & nunc hæretici faciunt, qui Ro. Ecclesiã floc-

August. pulchra sentẽt. in Donatistas.

Calixtus. 1. Hec in decretis habẽtur.

Pius. 1.

Innoc. 1.

Nota cõtra imperitas exceptiones.

In Erasmũ.

ci faciunt sub huiusmodi, secundum carnem, prætextibus. Sed anathema sit qui talia blatterat, & confusionem perturbationemq; in ecclesiam inuehit his coloribus. Erat quidem Xistus ordi. Minorum, Et Caiphas erat extremæ vir impietatis, & tamen, quia pontifex, in re attinente ad Deū, & prophetat. Cur igitur & Xistus, non à spiritu. S. similiter directus sit in re præsertim spectante ad Ecclesiam vniuersalem? Cur Pontifices nostri ordi. non secus statuerunt aliquando, aut alij quicunque, quos iactant, oppositam probare sententiam? Cur ij qui post Xistum venerunt non reuocarunt Decreta à Xisto, si rem detestabilem continebant? quæ tamen nouem iam succedētibus Pontificibus durat? Certè quid detestabilius quàm in Dei Ecclesia celebrari cultu Diuino mendacia? Sed quibusdam nihil est absurdi, mendacia in Ecclesia celebrari: & hæc nobis exhibēt signum sanè præclarum, quòd sunt egregij veritatis zelatores, vt planè videri volunt. Quamobrem tandem magno hūc locum & constanti animo concludam, quòd omnes Sancti & Deuoti, & docti viri in rei ueritate & secundum interiorem spiritum, Christi fide illuminatum, concorditer hanc nostram, quam esse sanctæ Dei ecclesiæ sententiā ostendimus, magis probarunt quàm suam vllam exterius ab eis de proprio sensu prolatam opinionem: cum planè omnes semper testati sint se uelle illud sequi, quod ecclesia sequeretur. Tunc non sequebatur illud quod non agnouerat, ideo & ipsi probabili coniectura, non sunt ausi afferre, sed magis deprimere. Nunc postquam id agnouit Ecclesia, quis dubitet homo prudens quòd idipsum illi etiam si viuerent toto Spiritu amplecterentur? Quod si quis contentiosus sit, quid aliud durius in eum obiectare potest Apostolica sedes nisi, Nos hunc morem non habemus, neque ecclesiæ Dei? Palam enim est (ait Augustin.) quod in re dubia ad fidem & certitudinem valeat autoritas ecclesiæ catholicæ, quæ àb ipsis fundatissimis Apostolorum sedibus vsque in hodiernum diem, succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot populorum consensione firmatur. Et certè nullus vnquam aut contendisse aut secessisse ab ea sede in historijs legitur, qui non sibi ipsi fregerit caput, Quadantenus enim æmulatorem esse paternarum traditionum humana quædam tentatio est, sed non eo vsquequo in stimulum calcitretur.

Nota exemplum. 1. Ioan. 11.

Cōclusio uerissima.

1. ad Cor. 11.

Aug. sententia uerissima.

Disputa-

DISPVTATIONIS PRO IMMACVLATA B. VIRGINIS CONCEPTIONE

LIBER TERTIVS.

POSTQVAM SVPERIORE LIBRO ITA contradicentium obiecta resoluimus, vt etiam in illos illa militare perspicuè ostenderimus, superest nūc vt pro hoc Dominæ priuilegio eius iterum inuocato præsidio differamus. Mittam verò doctorum autoritates, nam sola illa Augustini tam pulchra sententia. de qua supra satis egimus, potis esset, quam contra omnes opponeremus, quia enim hic locus infirmior est, & alio libro satis tractatus, procedam ad fortiora.

Est igitur secundo loco pro testimonio veritatis huius, determinatio Vniuersitatum, quod certè tantò est grauius, quantò collectus animorum consensus multò validior est, quàm dispersus: & quantò præstat aliquid determinatè asserere iudicando, quàm simpliciter de suo sensu testari enunciando. Adde & temporis diuturnitatem, qua perdurauit semper statutum hoc, vt in Gallijs iam nō sit memoria in contrarium. Dixit autem verè sicut & eleganter orator egregius: Veritas est filia temporis. Vnde & Gamalielis dictum prudens iam locum habuisset, si hæc ex Deo non esset: iamdudum enim non stetisset. Hoc verò non considerant qui ad pauca respicientes temerè iudicant, tanquam nulla sit Dei prouidentia in ecclesia sua.

Nota hæc. *Cic.* *Act. Apo. 5.*

Tertiò attestatur Basiliensis concilij determinatio. Quòd enim Caietanus vocarit illud congregationem Satanæ quod nullus Pōtificum ausus est, quàm iniuria dictum fuerit censeant sapientes, nos de hoc satis diximus à principio. *Lib. 1. c. 1.*

Attestatur & quarto populorum concursus atque consensus, vt piorum aures vix quod obijcitur ex aduerso valeant sustinere. Sapienter autem philosophus dixit, non posse omninò veritate carere, quod quasi vna mente populorum vox intonat. Quid autem etiam adhoc respondeat Caietanus, & superius diximus, & alibi satis reprehendimus.

Adijcitur & quintum testimonium Ecclesiarum vniuersi Christiani orbis, quæ tanto tempore, & annorum serie, hanc celebritatem *In li. Anno.*

tem

tem seruarunt, Sunt enim penè quingenti anni ex quo hoc festum cœpit alicubi celebrari, qui mos creuit semper, vt & Romana Ecclesia circiter annos octoginta eam celebrationem magno cum fauore atque indulgentiarum honore recepit, cuius certè sola autoritas persuadere deberet. siquidem & particulares aliquæ ecclesiæ tantæ sunt autoritatis, vt & maiorum clarorumq; doctorum

Sup. 3. p. 74. art. 3.

sententijs earum consuetudines præferantur vel ipso Caietano teste, cuius verba hæc sunt. Ad quæ fundamenta (quorundam enim sacrorum doctorum opiniones præmiserat) si liberè respexerimus nullum cogentem inuenitur habere rationem: nisi vltimum (id est aliquarum consuetudo ecclesiarum) propter autoritatem Spiritus sancti gubernantis ecclesiam: Nam ob similes particulares consuetudines venerabiliter sustinent Theologi plures sacerdotes consecrare eandem hostiam. Si ergo alibi Thomæ autoritas, & aliorum plurium aduersus paucarum ecclesiarum ritus reijcitur, quia preferenda est Spiritus sancti autoritas gubernantis ecclesiam, Cur hoc non similiter in re proposita pro Christi Matre non recipitur? cum omnes tãdem ecclesiæ, & quæ est omnium aliorum mater & magistra hoc ipsum ore apertissimo celebret? Nolo tamen latere quenquam, & si nostri celebrent in Italia de sanctificatione, nihil tamen contrarium veritati eos celebrare: quod multi nesciunt. Non enim repugnat Conceptioni immaculatæ sanctificatio, quæ tantò melior in ea fuit quantò fuit Conceptio mundior, vt superius declaratum est. Verum est tamen, quòd celebritas conceptionis magis exprimit præseruationis prærogatiuam, cum sanctam fuisse conceptionem illam significet & sine peccato, eò quòd ab Ecclesia corã Deo non celebretur nisi res sancta, vt B. Thomas & alij rectè testantur Hoc autem non exprimit vox ipsa Sanctificationis, licet nec repugnet: quod & valde notandum est, ne quis putet ab ordine nostro in Italia celebrari mendacium, & contrarium celebrationi

Celebrationem sanctificationis nihil falsi continere.

3. 3. q. 93. ar. 1.

conceptionis, Quod si esset, minime esset ferendum: nec Spiritus sanctus hoc permitteret in cultu Dei. vnde rectè B. Tho. docuit ecclesiarum consuetudines in cultu diuino in nullo repugnare veritati, & ideò seruandas esse, quas præterire etiam illicitum esse ostendit. Superfluè tamen sanctificatio B. Virginis celebraretur, nisi sublimius quidpiam haberet quàm illa Io. Baptistæ. Nam in ipsa celebratione Natiuitatis eius subintelligeretur, vt antiqui Doctores sapienter interpretabantur, quando non erat festum sanctificationis, quod satis recens est.

Sextum testimonium è cœlo est. Nonnulli enim exploratæ sanctitatis viri, & mulieres ancillæ Christi, id se diuinitus reuelatum

accepisse

accepisse testati sunt. De qua re etiam veterum, quæ ego legi, extant monumenta. De B. autem Birgitta nemo dubitat: Siquidem in eius reuelationibus id planè legitur. Caiet. autem ad hoc. B. Birgittæ testimonium respondens, eius canonizationem in dubium reuocare audet, eò quòd in concilio Constan. à Benedicto. ix. in sua obedientia canonizata est, dum schisma esset, Et non vidit primò quòd si quæ dicit vera sunt multa illius concilij acta, quæ totus orbis suscipit ac veneratur, verterentur in dubium: nec sanè cõsiderauit, quod illius. S. viduæ canonizatio non solum plausibiliter toto orbe recepta est, Verumetiam specialiter à Martino qui in eo concilio Pont. legitimè electus fuit, probata est, & ita probata vt indignationem Dei & Apostolorum suorum Petri & Pauli comminetur ijs qui talem Decreti sententiam conarentur infringire. Quoad alias etiam reuelationes, quæ plurimæ afferuntur idem Caietan. ijs verbis respondet quòd tales reuelationes Angelum Satanæ in Angelum lucis transformatum, aut phantasias, vel etiam figmenta sapientibus ingerere videntur. hæc ille, sed non ex consilio eius qui dixit, Prophetias nolite spernere, omnia probate: quod bonum est tenete. At iste citra vllam cognitionem clausis oculis reprobat quæ non cognouit, nihil formidans, ne tunc fortè illud ipsi verè contingeret quod in alios obiectauit, videlicet quòd aut phantasticè, aut angelo Satanæ illi inspirante talia effutiuerit. Nam quod inter sapientes proprio testimonio se componat, admodum suspectam reddit nobis hanc sapientiam, quæ sibi adeò placet, vt spernat cæteros: verendum est enim ne sit illa de qua dixit Dominus: Perdam sapientiam sapientum, nec enim ab re dixit Paulus: Quæ stulta mundi elegit Deus vt confundat sapientes. Quis autem ausit B. Birgittæ reuelationes aut esse phantasticas, aut ab angelo Satanæ inspiratas obijcere? quæ tamen in Constan. concilio, etiam in iudicio contradictionis, probatæ sunt & commendatæ? Quantò autem & cautius, & modestius B. Bonauen. qui eo tempore cùm noua esset illa celebritas & incerti autores, & solùm rumor esset quidam, quòd hoc inceptum de cælo venisset, & prudenter timuit credere, cùm autentica nondum essent quæ ferebantur, & cautè non audet reprehendere, cum vera esse possent. Hæc enim huius. B. viri verba sunt, Non audeo reprehendere: quia (vt quidam dicunt) hæc solennitas non cœpit humana inuentione, sed Diuina reuelatione celebrari: quod si verum est, sine dubio bonum est in eius conceptione solennizare, sed quia hoc autenticum non est, non compellimur credere: quia etiam contra fidem rectam non est, non compellimur negare. Hæc olim ille. Non enim indicat quæ nescit, Sciens & obseruans

B. Birgitta.

Nota quid audeat tandem.

Martinus. pp.

Paulus. 1. ad Thessalo. 5.

1. ad Cor. 1.

Bonauen. in 3.

Matth. 7. dictum, Nolite iudicare ne iudicemini, sed prudenter tūc dubitauit ob dictas causas. At nūc iam manifestata hac veritate, & ab ecclesijs testificata in cultu diuino, cui dubium quòd. S. ille huiusmodi sanctorum reuelationes cælitus fuisse demissas prorsus crederet? si, cùm in dubio est animus, paulò momento huc illuc impellitur, quantò magis tot ac tantis momentis? Sed hic instant quòd B. Catharina ex reuelatione habuit oppositum, quod tamen nullibi inuenitur. Nam B. memoriæ vir Raimūdus magister ord. eius confessionis auditor & comes assiduus vitam illius virginis diffusissimè scripsit, & eius reuelationes diligentissimè collegit, de hac re penitus verbū nullū. Similiter & alij plures, qui illius sanctissimæ mulieris gesta conscripsere, vt. B. vir Stephanus Carthusiēsis eius perpetuus comes, & frater Thomas Senēsis, alter eius confessionis auditor nihil huiusmodi penitus memorant. B. etiam Antoninus in Chronicis suis, dum vitam eius perstringeret, nihil eius rei meminit, nisi quòd in vita. S. Birgittæ, id quod ferebatur à nostris de B. Catharina, opposuit contra Birgittæ illas assertas reuelationes de immaculata conceptione, nihil tamen producens præter rumorem. Credo enim zelatores quosdam, vt haberēt quod. B. Birgittæ testimonio opponerēt, de. B. Catharina, id confinxisse: vnde vehementer suspicor illorum quempiam in calce cuiusdam orationis, quæ illi inscribitur, istam coronidem addidisse, nōn tamen quasi reuelatam, nec in modum orantis expressam, sed quasi disputantis cum Deo, ac persuadere illi conantis quòd ita esset, etiam ratione adiecta, at quàm friuola, pudet pigetq; referre. Qui velit videat. Hoc satis nunc nobis, quòd id quod asserunt nullibi legitur: sed fama malum, quo non aliud velocius vllū, mobilitate viget viresq; acquirit eundo, id mendacij nobis attulit impellente zelo. Vir. Ænei. 4

Septimum æquè de cælo testimoniū sequitur, quòd dignatus est Dominus Deus hanc veritatem etiam multis miraculis manifestare. Caietan. autem, sub eadem censura vt vidēmus, reuelationes & miracula inuoluens, pro mulierculis esse asserit non pro. S. Synodo & indigna censet de quibus verba fiant, nec tamen vllam suæ huiusmodi censuræ rationem profert, aut quòd miracula fortè comperta sint nō vera sed ficta, aut quòd huius famæ autores sint vel obscuri, vel alioquin indigni quibus habeatur fides, aut quòd quæ afferūtur non sint verè miracula, sed apparentia: aut tandem quòd esse nequaquam potuerint, eò quòd constantissimū sit in ecclesia id quod illi tenent, ac per hoc dominū non posse signis vllis nostro attestari mēdacio. Si enim horū quodlibet, aut plura, aut omnia attulisset atque probasset, iustè potuisset tanta censura circa hanc rem contemnere Nota.

reuela-

reuelationes atque miracula. At cùm nihil horum proferat, vt certè proferre non poterat, rectè possumus in eum intorquere, quòd hæc ita incõsideratè effusa (nequid durius dicam) verè nõ sunt pro sacra synodo, vbi non satis est effutire pro sensu proprio, sed oportet persuadere rationum momentis, & luce veritatis. Non satis est, alios appellare mulierculas & se sapientes, & aures quæ piæ à summo Pon. in decretis appellantur, vocare insipientes: & vocare Pharisæos aut indoctos, quicunque ab his dictis adeò insolentibus offenduntur, & præsumptionis nomine Vniuersitates tam gloriosas reprehendere, ac sanctæ viduæ canonizationem, in concilio probatam legitimè, confirmatam robustè à Ponti. summo, receptam nullo refragante ab omnibus populis, in dubium reuocare. Denique sine ratione proprioque sensu incõsultò, & indifferenter omnes circa hanc rem reuelationes, & signa omnia quæ circunferuntur reprobare. Hæc certè existimo non esse pro sacra Synodo, nisi ad persuadendũ magis hãc veritatem, cui non potest nisi meris verbis. & cordis duritia, & indignissimis cõtumeliis resisti. Non me latet fuisse alios, qui alia via hîc occurrentes benignius responderunt, non esse mirum si ex fide simplicium vehementi illa signa euenerint: sicut legitur (inquiunt) de latrone illo, qui credebatur Martyr, & à paganis pro Christi fide occisus, ad cuius sepulchrum infirmi concurrebant & sanabantur. Cũ autem B. Martinus illuc semel aduentasset vidissetque altare constructum plenum vndique votis & imaginibus &c. Hæc isti ex historia B. Martini referunt, vt hac instantia interimant argumentum, quod à signis & miraculis pro hac re afferebatur. Nec hoc etiam puduit historiam illam his fœdare falsitatibus. Nam de miraculis sanitatum, aut aliis vllis signis, & de votis & imaginibus nullũ penitus ibi verbũ, nulla mentio. Nam si fuissent vera signa, profecto attestata fuissent sanctitati & martyrio. Itaque si in nomine huius rei, & ad probandam B. Virg. immaculatam conceptionem, & ad eius laudem & gloriam hoc nomine amplificandam, signa cœlitus data sunt (id quod asseritur in proposito, & ego confidenter testari valeo) non est dubium, quin idoneè probent, vt est doctrina. B. Thomæ, & ratio etiam manifestissima: quia nescit summa veritas attestari mendacio. Sed hîc aliud nouum & admirabile adiecit Caietanus, quòd nisi coram ipsa Ecclesia Romana euidentissimè fieret verum & indubitatum, non mirum, sed miraculum expressè ad testificandum hoc esse verum, non deberet Roman. Pont. determinare aliquam fidei ambiguitatem ex hac via. Hæc ille. Et addit rationem: Quia habemus (inquit) à Deo ordinariam viam decretorum fidei, intantum vt si Angelus de cœlo oppositũ huius ordinariæ viæ Nota.

Ad Gala.1. diceret, non esset ei credendum, vt Apostolus dicit ad Galat. Sed quid est hoc, obsecro, quod ait? an fortè dicit quòd ex Decretis fidei constare possit de hac veritate? sed ipse contrarium docet. Et tamen si hoc ait, cur ergo illi non constat, quòd Maria excepta sit ab illa labe? si dixerit constare sibi oppositum, vnde hoc probat? Et cur ex signis legitimè productis ac testificatis, non potest iudicare & censere Ecclesia, sicut & aliàs fecit, & facit in canonizatione sanctorũ? Et vbi habet quòd oporteat euidentissimè in facie ipsius Ecclesiæ signa fieri, vt propterea valeat Pontifex determinare? Quid hoc est aliud quàm tentare Deum & Spiritum sanctum, sicut tentarunt illi

Matth.16. qui petebant signa de cœlo? S. Pius Pontif. Paschæ celebrationem die Dominico ab omnibus obseruari Apostolica autoritate instituit: quoniam Hermes doctor fidei & scripturarum ita se admonitum fuisse ab Angelo in habitu Pastoris sibi apparente, testatus est:

Hermes.

De consec. cap. Nosse in decr. quod inducit ille Pont. in suo Decreto ad corroborandas animas eorum, qui dubitarent: nec expectauit signum de cœlo, nec angelum Dei in propatulo apparentem quisquam poposcit. Spiritus enim sanctus qui gubernat ecclesiam & docet veritatem, arcanis inspirationibus informat corda Pontif. vt & ipsi interdum ignorent quid agat, aut quò tendat spiritus. Addit ibidem & alia quædam Caieta. ad infirmandas canonizationes Sanctorum contra doctrinam B. Thomæ, & contra verum Ecclesiæ sensum. Sed de his, alijs in libellis, & in Annotationibus nouis aduersus illum nuper æditis satis disserui. Inde petat si quis abundantius his desiderat, & ad persuasionem.

Octauum testimonium ab inferno, Non enim est obscurũ quòd Pater mendacij Diabolus quosdam, qui illo zelo contra hanc Virgi. prærogatiuam cruciabantur, eò impulit vt quibusdam illius arte fabricatis præstigijs, & signis, conati sint persuadere plebibus Mariam Virg. sub ea labe conceptam fuisse: sed hic non defuit cælestis prouidentia per ecclesiæ suæ pastorem. Nam statim compertum est figmentum & artificium Diaboli. & qui peccarunt meritas dedere pœnas. Non oportet circa hoc aliud indicare, satis fuerit dicere Ber

Nota. nense flagitium, vt vel hinc discas bone lector, quòd quando signa afferũtur de cœlo ad cõtestãdũ pro re aliqua ad fidẽ & cultũ Dei attinẽte, si falsa fuerint, & pro re falsa cõfirmanda adducãtur, nõ patitur diuina bonitas diu latere figmentũ, aut artẽ mendacis Diaboli. Adde & hoc in loco quòd noui hæretici, qui proculdubio spiritu erroris ducuntur, inter cæteros quos dogmatizãt articulos, miro etiã astu Dæmonis vt aliquos ex nostris aucupentur, hunc proponunt, scilicet Mariam huic peccato fuisse subditam: vt hæc sit Lutheri il-

lius

llius furiæ nefasta professio, Nullum festum magis odi quàm festum conceptionis Mariæ, & corporis Christi. Neq; verò parum est pro hac veritate, habere aduersos qui se vanitatis & spiritus erroris filios ostentant. *Lutheri professio.*

Radix omnium rationum ac persuasionum pro hac veritate.

POst hæc verò tanta testimonia, sequuntur multa um rationum momenta quàm validissima. Prima ergo & summa omnium rationum, quæ est omnium persuasionum radix & fundamentum, hæc est, si Deus potuit hoc matri suæ priuilegium dare, ergo etiam dedit: potuit autem. Ne quis verò me derideat nō meus est hic processus, sed Augustini, certè fidelis & omni acceptione dignus si subtilius examinetur, nec proteruè excipiatur. Augustinus enim, excipere volens hanc. B. V. ab ea generali sententia, pulius es & in puluerem reuerteris: hoc modo processit: Potuit Deus hoc facere vt eam ab eo opprobrio præseruaret, ergo etiam fecit: quoniam ad Benignitatem eius id facere attinebat. Et contra negantem processum hunc, ita adiecit, si confitetur Christum potuisse, proferat rationem quare non fuerit decens, etiam voluisse, ac per hoc non fecisse. Attende lector & cape Aug. sententiam, in hac enim materia cùm tractatur de gratia Dei, & priuilegijs erga matrem, satis habuit Augustinus vt suaderet collatum fuisse illi priuilegium, si non negetur Deum hoc potuisse conferre. Nam conferri etiam decuisse quicquid ei cōferri potuit (nisi ex aduerso manifesta probetur indecentia) quasi ex se notum & manifestum suo iure accepit. Porrò quis vllam probare valeat indecentiam huius prærogatiuæ? Imò quis non decentissimè id ei fuisse impensum, vt præseruaretur à tanta labe persuadeatur? si modo Virginem illam verè diligat, ac secum animo tranquillo plurimas tantæ prærogatiuæ persuasiones euoluat: quas dedit nobis spiritus considerare, & spero dabit proferre. Obsecro frater, amator esto veritatis & illucebit tibi. *Nota.*

Prima persuasio tantæ prerogatiuæ ab amore sponsi erga sponsam primaria.

PRimùm nemo nescire debet Christum dominum sponsum esse Ecclesiæ suæ: & quod de vniuersa collectim dicitur Ecclesia, hoc de quauis particulari anima dici, & sine controuersia id multò magis de illa, quæ singulariter præ cæteris dilecta fuit ab eo. Nemo

autem dubitat, præ omnibus. B. Virg. illi dilectam, vt præ hac iã cæ- tere omnes non sponsæ, sed adolescentulæ & concubinæ vocen-
Cant. 6. tur. Nam & quæ Reginarum nomine dignæ habitæ sunt, ideò tales fuere quia ad hanc summam reginam, virtutum imitatione & gra- tiæ donis, quantum fas fuit, potuerũt accedere, iuxta illud, Addu- centur Regi virgines post eam, proximè eius afferentur tibi: Affe-
Ps. 44. rentur in lætitia & exultatione. Adducētur in templum Regis. Hæc est igitur vera sponsa, quam dixit Dominus (quod pauci animad-
Matt. 25. uertisse videntur) quando aiebat tũc: Simile erit regnum cœlorum
Pro intellectu parabole de decē virg. decem virginibus, quæ acceptis lampadibus suis, exierunt obuiam sponso & sponsæ. Si enim per illas decē virgines intelligebatur vniuersum corpus Ecclesiæ, & ita illæ erant sponsæ, quæ ergo manebat sponsa cui obuiam exire deberent? Accipe benigne lector, & vi ipsa veritatis suadeare. Virgo illa Benedicta cum filio suo spōso, sponsa præcipua est, cui exire obuiam cum accensis lampadibus omnes debemus, idest fide & charitate, vt tandem comprehendamus & comprehendamur ab eis. Ipsa est enim vera ac primaria sponsa, quæ veniet vt iudicet mundum cum sponso suo, quam ipse dignabitur habere sociam ad iudicandum: quia dignatus est habere sociam in innocentia perfecta: Alioquin quomodo iudicatura esset mũdum, ni
[illegible] si perfecta illi adfuisset iustitia, Paulo teste ad Rom. Nec verò me latet, quod noui scripturarum trãslatores, imò in quibusdam potius corruptores, illud (sponsæ) quod in Latinis legimus, abiecerũt, quoniã (vt aiũt) non habetur in Græcis, cũ tamē & Origenes & Chrysostomus Græcè ita legãt, & Aug. & Hilarius & alij Latini. Nec est quisquam qui adnotauerit non debere legi, sponsæ. Fateor autem multos non exponere, fortè quia non occurrebat illis de qua sponsa intelligi posset, ponentibus. B. V. cum reliquo Ecclesiæ corpore, quod est sponsa, non videntes quòd illa est primaria sponsa: & ita sponso suo coniũgitur, atque à cæteris adeò segregatur, vt ita efferatur super omnes (vt quidam dixit) Sicut lenta solent inter viburna cupressi. Hæc est illa de qua maximè dicitur in canticis cãticorum,
Cãt. 4. et. 6. & totiens repetitur, & vix tamen audimus: Pulchra es, pulchra es, & tota pulchra es, & macula non est in te, hæc est illa de qua dicitur. Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa siue vt alij dicunt, immaculata, Genitrici suæ, cùm tamen sexaginta Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentulæ sine numero essent, quæ Regi Salomoni placuerunt, hæc tamen vna columba perfecta soror siue socia atque singulariter sponsa clarè dicitur, & sine controuersia ab omni Christiano recipitur, quod & latius inferius (quũ de testimonio scripturarũ agetur) cōprobabimus: ad hãc enim suspe-

xit Ioãnes quando dixit: Qui habet sponsam sponsus est. Cùm igitur ita sit, Quis quæso ita excors, & vt, Græcè magis exprimam, quod volo, ἄσοφος, qui decens esse censeat Regis filium, qui sedeat à dextris patris sui, & sponsam sibi valeat optare quam uelit, imò etiam facere, videlicet primam atque primariam, eam tamen sibi deligere, que aliquando ab hoste dici potuerit captiua & vitiata: cùm potuerit eam ab eius manibus præripere, ac præseruare, ne vnquam potestati hostis succumberet? obtecro hoc dicat homo à prudentia seculi. Nunquid enim non id primum in nuptijs conuenienter exigitur, vt sponsa maximè sponso conueniat, forma, ætate, pulchritudine, fortuna, moribus? Alioquin claudicare videretur matrimonium. Quid ergo? Prudentiores erunt filij tenebrarum ipsa luce & vera sapientia? Absit. Quis enim iure poterit existimare, sponsum speciosissimum præ filijs hominum impollutum & segregatum per omnia à peccatoribus, non eam sibi delegisse in sponsam, quæ similiter talis esset, cum ipse talem condere posset, & formare sibi ab initio quæ nunquam tacta esset ac temerata? Nam post hanc primariam, que decebat penitus esse illibatam, alias habere non omninò intactas, sed ab hoste ereptas, ac postmodo ab illo vendicatas, & in libertatē assertas, nihil absurdi est, modo suus honor ipsi primariæ reginæ manserit perpetuò illibatus. Hanc verò suasionem quàmmaximè confirmant humana iura, & instituta. Constat enim principes & imperatores orbis eis priuilegijs suas participare sponsas, quibus ipsi suo iure fruuntur. Quapropter egregius quidam iuris consultus dixit, & si nō sit legibus soluta Augusta sicut ipse princeps, Attamen eadē illi tribuit Augustinus priuilegia, quæ ipse habet. Quid aptius ad rem propositam? si reges terræ cùm ipsi sint mali, tamen propter semetipsos communicant sponsis priuilegia sua, vt solutæ & ipsæ sint ab oneribus legum, hoc cœlorum rex non faciet? hoc Benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei electissimæ & amantissimæ sponsæ suæ non concedat? & ita prudentior erit, & melior prouidentia sæculi, quàm prouidentia Dei? Tute ipse cōsidera lector, num ita credere dignum sit. Nec enim dedignatur Paulus ad suadenda diuina placita ea inducere, quæ humana prudentia constituit inter homines.

Ad Hebr. 7.

Vlpianus in l. Princeps. Digestis. de legibus.

Luc. 11.

Secunda persuasio ab amore primariæ sponsæ erga sponsum.

DEcebat secundò, decebat inquam, vt quæ electa erat à summo Rege in spōsam filij, atq; adeò ab ipso, amaret ipsum sponsum perpetuo

perpetuo ac perfecto amore, vt nunquã inueniretur ipsa existens non amans & non sponsa. Hic verò perfectus amor sponsæ malè conuenit cum hoc quod dicitur aliquando derelictam inimicam fuisse sub ira & odio sponsi. Semper enim nescio quid intercidisset, quod debiti amoris perfectionem in sponsa erga sponsum imminueret, si non omnem rationem habuisset vt amaretur à sponso suo, vt sic posset redamare perfectè. Non autem habuisset omnem diligendi illum rationem, si non perpetuo fuisset per illum innocens, & grata, & speciosa. Aut igitur nulla creatura perfectè dilexit Christum, quia non omnem rationem habuit & causam diligendi quæ potuit excogitari (quod est absurdum confiteri) aut si hæc vna fuit & sola (vt decebat esse) ergo ipsa omnem causam habuit diligendi, vt consequenter amorem & perfectum atque perpetuum haberet: quod non fuisset, nisi perpetuam perfectamque causam habuisset amandi aut potius redamandi. Nam vt dilectus Discipulus

1. Ioan. 4. inquit: In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationẽ pro peccatis nostris. Hoc ergo ipsi sponsæ præ cæteris impendi debuit eminenter, vt illi esset propitiatio à peccatis, iuxta modum perfectissimum, qui est præseruatio. Nam si vulgò prostituta mulier

Luc. 7. audiuit verba illa clemẽtiæ, dimissa sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum, quid existimabimus competere in sponsam illam

Cant. 2. perfectam, immaculatam, quæ omnes charitatis numeros explens tanto amoris æstu deprecatur, fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Nunquid non perfectè dimissa illi censeantur, quæ, seruante Domino non commisit? vt ait Augusti.

Aug. in lib. de uirg.

Tertia persuasio ab unione summa carnis Christi cum carne Virginis.

ATtende hîc Lector persuadeberis. Haud enim dubium quòd caro Virginis duplici modo fuit vna caro cum carne Christi, & primò quidem: sicut caro mulieris fuit à principio caro viri, quia mulier ex viro processit secundum carnem, ita & caro Virginis, vtporè sponsæ Christi, fuit eiusdem Christi caro, secundum spiritum:

Ephes. 5. sicut declarat. B. Paulus qui ait Membra sumus corporis eius de carne eius & de ossibus eius.

Quomodo carnẽ Christi Virg. esse intelligi debeat.

Decuit ergo vt illud, per quod Christus salutem attulit mundo, illi primùm ac maximè prodesset, cuius fuit, & à quo ille accepit. Cui verò dubium quòd caro Christi organum salutis nostræ & redemptionis omnium fuit? A' qua autem carnem illam, in qua extinctum

tinctum est omne peccatum, accepit Christus nisi ab hac Virgine & sponsa? Vnde & sua erat quodammodo, cuius illa autor fuit vt in hoc verificetur verbum Dei illud, Erunt duo in carnem vnam. *Gen. 1.* Ergo decuit vt primus ac maximus fructus eius carnis illi maxime concederetur, quæ illam carnem genuit. Cum autem fructus eius carnis, redemptio nostra sit & salus: ergo maximus fructus, eius maxima quoque erit redemptio, & maxima salus. Hæc autem quid est aliud quàm præseruatio à labe peccati, & ira Dei & captiuitate Diaboli? igitur præseruata est Maria per carnem Christi, & meritò: quia caro sua erat. Alioquin ausim in spiritu meo confidenter dicere, Si hunc fructum qui certè dari potuit, non retulit caro illa B. Virgini, aut eius non fuit, neque ab ea accepta (quod est hæreticissimũ dicere) aut illi fuit ingrata quod est infandissimum: Fuit enim fuit inquam Mariæ, caro illa salutifera Christi, & illi imprimis retulit gratiam, quam sui nouerat autorem. & ideò fecit eam esse idem cum carne sua, id est, semper mundam & immaculatam, vtpotè semper sibi inhærentem vt sponsam ab æterno & ante sæcula prædestinatam. *Audiat benigne qui contra dicit.* Quamobrem adiuro vos filiæ Ierusalem, & per hanc benedictam carnem, vnde vobis salus, obsecro atque obtestor, nolite negare matri eius primum & excellentiorem salutis fructum, ne vos fortassis, quod vehementer nolim, excludamini à fructu eius. Nam errare, hominis est, & venia dignum: At proteruè nimis in errore velle persistere, iram prouocat & iudicium.

Quarta persuasio ab honore matri debito, ab optimo filio.

HOnor, quem filius matri debet, hanc eandem suadere facilè decentiam potest. Lex enim diuina, à qua nec ipse Christus excipi voluit, honorem reddi parentibus iubet. Honor autem præcipuè in subueniendo & occurrendo necessitatibus, & miserijs consistit: vt si fieri potest etiam propellantur ne occurrãt. Quis enim bonus filius qui patiatur calamitatem venire & opprimere matrem, vt ita deinde subueniat & subleuet, ac non magis venientem aut imminẽtem antequã attingat propulset? Si igitur vidit Dominus Iesus (vt certè vidit) matrem suam obuoluendam peccato ex parentum merito & delicto, atque ob hoc ipsum incursuram summi patris iram, & suam, & cùm posset, in hac necessitate illi non occurrit, sed casum prius & ruinam atque miseriam eius expectauit, vt proinde succurreret, profectò legem hanc de honore parentum iubentem non impleuit. Vbi est ergo illud quod ipse ore suo testatus est, Nõ veni sol- *Matth. 5.*

uere legem sed adimplere? Et quàm credibile est, vt qui in cæteris omnibus deprehenditur impleuisse legem, solùm defecerit pro matre sua? cui tamen subdi non est dedignatus (vt ait scriptura). Et hoc certè non meum est, sed imprimis Augu. argumentum, vt suaderet etiam nec cineri obnoxiam, sed in cœlos gloriosam esse Mariæ carnem, propter debitum sibi honorem à filio suo. Lex enim sicut honorem præcipit (inquit ille) matri suæ haberi, ita multomagis inhonorationem damnat. Quis ergo tantum nefas de optimo filio erga optimam matrem sibi valeat persuadere? Neq; verò dicat mihi quisquam, quòd tunc matri honorem debuit, quando iam mater erat: non autem erat mater quando permisit eam esse captiuã: Hoc enim in eo dici posset, qui non prænosset eam matrem sibi futuram. At Dominus ante matrem erat, qui dixit, Antequã Abraam esset ego sum, & iam prænorat eam, imò & in matrem sibi elegerat. Cum igitur ignominiam futuræ matris prospiceret, quæ & illam perpetuò comitaretur, eo etiam tempore quo mater esset, cùm semper ei obiectari posset à Diabolo, tu Dei mater, aliquando præda mea cum cæteris fuisti, vtpotè iræ diuinæ ac peccato subiecta: si non illam ab ea seruasset, iniuriam profectò intulisset in matrem cum, salua iustitia, sui gratia eam seruare ab illo opprobrio valuisset. Nam vt prorsus hæc fuga præcludatur, non est dubium quòd multa alia priuilegia habuit à Domino B. Virgo etiã antequã mater eius esset, & ob istã gratiam habuit quia iam electa erat in matrẽ, ac prælecta, vt Augu. Hieronymus, Thom. Bernard. & alij omnes penitus vnanimi consensu testantur. Non igitur honoranda erat tantùm mater pro eo tempore quo esset mater, sed pro omni tempore quo futura mater præuidebatur: quoniam ignominia antecedens sequebatur eam, etiam eo tempore quo mater esset: ideò non hoc passus est bonus filius. Nam & antequam mater esset grãtia plena ab Angelo dicta est. Ait scriptura, gloria filiorum parentes eorum, & econuerso inquit Thom. ignominia parentum redundat in prolem. Quis igitur dubitet quòd hæc ignominia matris etiam ad ipsum filium pertinuisset, ac tantò indignius si potens prohibere non prohibuisset? Quare & hic Augustini similiter verba vsurpare licet, Si hoc formidatis dare matri, saltem dare hoc filio non dubitetis pro matre sua. Si hoc illam honore dignam non censetis, saltem ipsum filium non censeatis indignum, qui proculdubiò in suorum thesauris meritorum, & hoc habuit vt posset, & iustè posset, concedere matri suæ.

Luc. 1. Aug. Io. 8. Nota. Luc. 1. Prou. 17.

Quinta persuasio à munere ad quod obeũdum ipsa diuina prouidentia electa est.

Hanc

HAnc quoq; decentiā valdè probat ac persuadet illud, ad quod ipsa electa fuit gloriosum redemptionis opus, vt esset adiutorium quodammodo Christo, non quòd ipse Christus non sufficeret, sed quoniam & hoc bonum & decens fuit, vt haberet adiutorium simile. Nam sicut à muliere initium mortis fuit, ita & à muliere similiter initium vitæ esse oportuit. Hæc est enim omnium antiquorum constantissima sententia propter conuenientiam antidoti. Vnde & Aug. Irenæum citans, ita dicentem ad literam testatur: Quemadmodum astrictum est morti genus humanum per virginem, soluitur per virginem, æqua lance disposita virginalis inobedientia per virginalem obediētiam. Extant & Irenei verba in hunc modum: Sicut Heua inobediens facta, & sibi & vniuerso generi humano causa facta est mortis, sic & Maria habens prædestinatum virum, tamen Virgo obaudiens, & sibi & vniuerso generi humano causa facta est salutis. Et conuenientiam hanc statim probans, adiecit: Quia non aliter, quod colligatum est, solueretur, nisi ipsæ compagines alligationi reflectantur retrorsum, vti primæ coniugationes soluantur per secundas, secundæ rursum liberarent primas: & euenit primam quidem compaginem à secunda coniugatiōe soluere, secundam verò colligationem primum solutionis habere locū. Hæc Irenæus, & hanc eius sententiam esse Catholicā testatur Aug. Igitur lector attende, proculdubiò persuadeberis. Dispone colligationes. Heua primum inobediens excitat Adā vt præuaricetur: Adā excitatus à muliere, & consentiens illi, primus & principalis destructor nostri generis est inuētus. Hæc igitur prima colligatio, videlicet nocēs mulier, & nocēs vir perfectè, sub qbus omnes nocētes cōstituti sumus. Da ergo secūdā colligationē qua prima soluitur. Maria & IesusChristus: mulier & vir, mulier aūt prima quidē sua obediētia quodāmodo virū excitās, aiēs ꝑpetuo (quod aliqñ expressit) Ecce Ancilla Domini fiat mihi secūdū verbū tuū, pars colligatiōis secūdæ facta est. Hinc excitatus vir Christus factus est, Et factus obediēs cū illa vsq; ad mortē, mortē aūt Crucis: & hīc pfecta colligatio facta est in qua ipse Christus factus est principalis oīm redēptor, & saluator, sicut ille principalis destructor omniū, etiā Heuæ mulieris, quæ & ipsa maximè nocēs inuēta est: ita hic principalis omniū saluator, & maximè huius mulieris, à qua excitatus est ipse, & quæ coopata est ad salutē. Nā sicut prima colligatio omninò inuēta ē nocēs, ita & secūdā colligationē (vt esset decēs Antidotū) oportuit inueniri omninò innocētē, & omninò separatā à cōtagio primæ colligatiōis, alioquin minus fuisset idonea ad dissoluēdū primam. propter quod Pau. ait eminēter de Christo, talis decebat vt nobis esset Pō. sanctus

Eccl.25. *Ireneus in Valentinum li.1.* *Nota.* *Luc.1.* *Ad Phili.2.* *Nota cōsiderans profundā Dei prouidentiā.* *Ad Heb.7.*

innocens,impollutus,segregatus à peccatoribus & excelsior cœlis factus. Si igitur hæc in Christo decētia requisita adfuit propter hoc opus redemptionis,vt idoneus inueniretur ad illud,& consequenter,& simili quodam modo idipsum in socia operis ipsa B.Virgine requirebatur,vt coniugatio non claudicaret,sed inueniretur illa similiter mediatrix idonea,& viro auxiliatrix aliquo modo propter congruentiam antidoti,non quòd ipse vir Christus auxilio indigeret,sed quod ad decentiam & antidotum,cōueniens attinebat habere auxilium,imò ipsum auxilium sibi prouidere & inuenire mulierē fortem,in qua confideret,vt digna esset socia,& cooperatrix:quod non solum non derogat ipsi Christi excellentiæ,sed arrogat multò magis(vt sæpe dictum est)quia ex eius meritis hoc totū factum est, vt ipsa talis esset,vt & posset hoc facere. Nam audi analogiam mirabilem inter vtranq; compaginem,Sicut enim Adam fuit principale caput nocens,cuius delictum solum efficax fuit ad perdendum omnes,quoniam ex eo pendebat pactum,& conditio nostri,siue felix si paruisset,siue misera si inobediens fuisset,vt fuit:Heua verò quia cooperata est ad illud,nec enim in ea principaliter pactum cōsistebat,ideò ipsa secundariò dici potest,& non principalis autor ruinæ,sed cooperans ad ruinam,Ita proportionabiliter Christus & Virgo,Ille caput & origo perfecta salutis,& ideò ille ex seipso verè innocens,& perfectè,& proprio iure,idoneus propugnator ad saluandum. B.autem Virgo post eum,imò etiam per eum in secundo innocentiæ gradu,videlicet non vt ex seipsa innocens aut iure proprio,sicut Christus,sed ex gratia eius ac priuilegio,innocens tamen re ipsa omninò,&absoluta à colligatione prima,vt idonea fieret ad soluendum illā & dignè applicaretur viro summè innocenti. Quis enim vnquam colligatus cum cæteris dignè atq; idoneè poterit admitti,vt primus adiuuet ad dissolutionem cæterorum excitando eū qui soluere possit solus? Cape hæc lector inquam,sed non omnium est intelligentia,& præsertim proteruorum. Adiuuat tamen lex & regula iurisconsultorum,dicens,Nihil est tam naturale quin eodem vinculo,quo colligatum est,dissoluatur.

Analogia pulchra.

Lex iuris.

Sexta persuasio à fide constantißima matris in cruce filij.

ADiuuat & quæ diximus,integra & perpetuò .B.Virginis constantissima fides:quam non ab re Euangelium &.S. Ecclesia laudat atq; commemorat singulariter. Est enim,iuxta antiquorum regulam & doctrinam,hoc quasi principium acceptū,inter ea quæ fidei

fidei sunt, vt omnes oporteret aliquando aliquomodo infideles esse, aut scandalum fidei aliquod pati: vt in hoc referrent primos parentes, qui in fide non fortes Diabolicæ tentationi succubuerunt, Quamobrem & idem Episcopus Irenæus nō dubitauit ita loqui de Virgine, Sic autem & Heuæ inobedientiæ nodus solutionem accepit per obedientiam Mariæ: quod enim alligauit virgo Heua per incredulitatem, hoc virgo Maria soluit per fidem. Hæc ille, propter quod & Elisabet Spiritu. S. plena & hoc mysterium agnoscens dixit, Et. B. quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino. Quare & in hoc aliquando errauit Origenes, & quidam antiquorum pene in hunc errorem prolapsi sunt, existimantes etiam. B. Virginem aliquid scandali passam circa fidem, vnde & sub peccato illam concluserant, vt superius diximus. At nunc (Deo gratiæ sint & illi Virgini) quòd longè aliud persuasum est Ecclesiæ sanctæ: vnde & in passione Crucis verba illa Domini dicentis, omnes vos scandalum patiemur in me in ista nocte, scriptum est enim, per cutiam pastorem & dispergentur oues gregis, ad Virginem non pertinuerunt. Ab hac igitur singulari constantia perpetuæ fidei, singulare hoc quoque perpetuæ innocentiæ priuilegium meritò nec ineptè colligitur.

Luc. 1.

Matth. 26.

Septima persuasio à compassione & Martyrio crucis eximio eiusdem Virginis.

Corroborat item quod dictum est, singulare eius martyrium, quo & ipsa cooperari visa est multifariam cum filio ad humani generis salutem. Prægustauit enim & hæc secunda mulier ficum fatuam, sed salubrem, & propinauit similiter viro suo, sicut prima Heua prægustauit ficum sapientem, sed noxiam, & viro dedit vt perderemur. Hoc certè fuit quod Simeon iustus in Euangelio legitur prophetasse. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, Hic enim gladius ab amarissima illa ficu vibratus, & illi sanctissimæ animæ fellis gustum præbens, eam dulcedinem quam in ficu sua gustauit Heua, etiam abundè compensauit. Et tunc perfectè hic cibus propinatus est Christo, & illum deuorauit, & absorpta est omnis mors, & damnum peccati, in victoria ista. Decuit igitur vt hæc sola benedicta virgo, quæ stetit sub ista ficu, & lignum contemplata est, visu quidem horrendum, & ad vescendum amarissimum, paratum filio suo, & contempto dolore ausa est prælibare, ac deinde porrigere dilecto, decuit inquam, vt eius etiam rei fructum prægustaret ipsa sola. Lege contemplator & attende fideliter, & neminē

Luc. 2.

penitus iuxta crucem astantem inuenies, qui aliquando non à lon-
Matth.26. ge fuisse & aufugisse describatur: Nam qui feruentior videbatur ac fidei laudem super alios meruit ex discipulis, huic obijcitur: Amen Amen dico tibi ante quàm Gallus cantet bis, ter me negabit. Hic & scribitur primo fugisse cum cæteris, tum secutum esse Dominum
Io.18. à longè tū etiam ter negasse cum iuramento & detestatione. De san ctis quoq; mulieribus quod à longe essent, etiam illa quæ caput vnxerat & omnibus fidelior ac feruētior apparebat, euidēter in Euāgelio describuntur, nec ab re, nec sine huius mysterij doctrina, Lucas
Luc.23. enim vt omnes complecteretur & mares simul ac fœminas, dixit: Stabant autē omnes noti eius à longe, & mulieres quæ secutæ erant eum à Galilea, hæc videntes. De sola autem hac fellicissima virgine nunquam legitur quòd esset à longe, sed ipse dilectus discipulus, cui soli datum est hoc Euangelium tradere, quoniam singularia quædam ei singulariter seruabantur, id nobis de illa insinuauit: Stabant autem iuxta crucem Iesu, mater eius, & soror matris eius &c.
Io.19. vt & hoc etiam, insuper adnotes, quòd si qui inueniuntur aliquando iuxta crucem, ij sunt qui à Maria matre tandem colliguntur, quos tamen à longe stetisse aliquando necesse est, vt illi soli sit hæc
Nota virg. prærogatiuam. prærogatiua, quæ simul cum filio calcauit torcular, quoniam vna caro erat cum illo. Et, ob eam causam Propheta ille in persona Domini effatus, Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir me-
Is.63. cum: non ausus est dicere, Non est mulier mecum, sed non est vir
Luc.1. mecum. De muliere enim hoc semper verum, quod & ab Angelo
Mar.14. eminenter prædictum de illa fuerat, Dominus tecum. Erat ergo cū Domino mulier torcular calcās, nec dormiebat vt apostoli vel ipse Petrus cui dictum est Non potuisti vna hora vigilare mecum, quia omne quod calcabat Dominus, ipsa expressum excipiebat, sic enim
Tren.1. scriptum est: Torcular calcauit Dominus virgini filiæ Iuda. O quā
Hier. in ser. de assumpt. bene Hieronymus neq; sine spiritu, vt arbitror interius suggerente, hanc Virginem etiam plusquam martyrem fuisse testatus est, quā eò plus doluisse censet quò plus etiam dilexisse certissimum esse debet. Quod & cæteri sancti viri, meritò susceperūt. hæc enim illa fuit de cuius dilectione scriptum est, fortis est vt mors dilectio. Sed aiūt
Cant.8. quidam, Nec litera nec historia docet ex hac vita Mariam corporalis necis passione migrasse. Neque nos hoc audemus dicere, neque credere, videlicet illam materiali gladio peremptam, sed gladium doloris dicimus quo transuerberata est eius anima, iuxta prophetiā, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes, vt aliquando appareat, qui iuxta crucem colliguntur, vt sint aliquādo cum Maria. Sed stultus ego, qui quæ nondū intelligo, loquor. Quādo enim fui ego

sub

ſub cruce vt hæc valeam ſcire & enarrare? Proferam tamen hîc Gregorium Niſenum qui mirè ſuper hac Simeonis prophetia prophetans, ita ſcribit: Hæc ſiquidem de filio dicuntur: ſpectant tamen ad eius genitricem, dum ſingula ſibi aſſumit, ſimul periclitata & glorificata: nec tantum proſpera, ſed illa denunciat etiam doloroſa. Hæc ille: per quæ omnia id tantiſper perſuaſum velim, quòd ſicut ſola in cruce Chriſti ſingulariter compatitur fidelis Virgo, vt ſocia paſſionis, ita ſola ſit innocentiæ ſingularis, & gloriæ ſocia cum illo. Verùm quæ dixi, magis ſub Chriſti ipſius cruce, & ex latere illo vnde fluxit & aqua & ſanguis, non aqua ſolum ſed aqua & ſanguis, diſcuntur, quàm verbis valeant abundius perſuaderi.

Gregorij Niſeni uerba notãda.

Nota pie lector & proba.

Octaua perſuaſio à præſeruatione omnis actualis peccati.

ASTruit & hanc fidem ſatis illud, quod iam perſuaſum eſt eccleſiæ, quòd .B. Virgo præſeruata fuit ab omni actuali peccato, etiam minimo veniali: ex quo ſequi videtur quòd etiam ab ipſo originali: Etenim prÆterquam quòd obſeruatum fuit, vt ſuprà diximus antiquorum doctrina, quòd qui ſub originali conſtitutus fuit, etiam ſub actuali inueniretur: illud maximopere vrget, quòd omnis ratio quare ab ipſo actuali præſeruata eſt .B. Virgo, iuxta doctrinam beati Thomæ, æquè militat in originali. Sanctus enim ipſe doctor vt concludat eam prorſus immunem ab omni actuali, ſic arguit, quoniam alioqui non fuiſſet idonea mater Chriſti, ſi cui peccato ſuccubuiſſet. Id autem quatuor rationibus euincit: prima eſt, quia ſicut gloria filiorum eſt gloria parentum, ita econuerſo ignominia parentum redundat in prolem: ac per hoc inferretur ignominia Ieſu Chriſto, ſi mater peccatrix aſſereretur. At certè hæc ratio non minus de peccato originali concludit, imò tantò de eo magis, quantò etiam ignominioſius hoc eſt quàm actuale, veniale tamen. Nam per illud abominabiles ſumus omnes coram Deo, & ſub ira eius, & in Satane poteſtate, quod certè veniale non facit cum non auferat gratiam, & poſſet eſſe ita leue ac minutulum, vt vix quicquam ad expiandum requiratur: quæ & latius patent. Secunda ratio, eſt ſingularis affinitas quam habuit cum Chriſto, qui de ea carnem accepit, dicitur autem .ij. ad Cor. vi. Quæ conuentio Chriſti ad Belial? Hæc Thom. Quæ certè ex ſpiritu Dei locutus eſt, vt per eius etiam doctrinam concludatur hæc veritas. Nam quod (quæſo) peccatum facit conuenire magis cum Belial ſiue Diabolo, originale, an veniale? certè abſq; controuerſia originale, cuius gratia

Th. 3. q. 27. art. 4.

Nota Thomiſta & põdera uerba Thomæ.

Nota.

Nota.

gratia exorcismis & exsufflationibus vtitur Ecclesia ante Baptismum. Veniale autem nequaquam iungit nos Diabolo: igitur magis ab orig. erat præseruanda: quoniam & id rationabiliter ipsa maluisset. Tertia ratio est ex ipsa sacra scriptura quæ testatur, In maliuo-

Sapientiæ. 1. lam animam non intrabit sapientia, nec in corpore subdito peccatis. Sed quid est, quod animam verè reddit maliuolam, & corpus delictis subditum? originale, an veniale? Cui dubium quod origina-

Psal. 50. le? quod propheta deplorans querebatur: Ecce in iniquitatibus conceptus sum & in peccatis peperit me mater mea. Quarta ratio est,

Cant. 4. eò quòd impleri oportuit quod scriptum erat tota pulchra es & macula non est in te. non autem (inquit ipse) impleretur si peccasset, siue mortaliter siue venialiter. Tu verò adde quod nec etiam impleretur, si saltem originaliter peccasset. Quis enim dixerit impletam scripturam, absolutè negantem maculam, si tamen aliqua ponatur macula? Et tamen. B. Thom. vult (& hoc rectè) eam scripturã impleri. Ad hæc nota quod ibi adijcitur, & à Caietano adnotatur, videlicet quòd illæ B. Thomæ rationes optimæ sunt, & quòd sensus Ecclesie est grauis autoritatis. Ecclesia enim illum locum, Tota pulchra es specialiter aptat ad Virginem. Tu ergo adde modo; quòd & specialiter aptat Ecclesia in solennitate conceptionis, quãdo illam celebrat ab omni labe immunem. Hanc enim scripturam, Tota pulchra es & macula non est in te: pro hoc priuilegio, iam palam celebrans ipsum, manifestè vsurpat. Quis autem quæso tam insanæ mentis, si sciret vtriusque peccati pondus, videlicet origin. ac venialis, & rogaretur vtri mallet obnoxius esse. si necessarium fuerit alterutri succumbere, qui non absque vlla deliberatione & consilio in re tam clara, continuò eligeret sub veniali teneri potius quàm sub originali? Et profectò hoc Maria à Domino maluisset non solum in sui gratiam, verumetiam propter ipsum Dominum. Non ergo fas est vllo modo putare in ista gratia habuisse repulsam, aut potius non præuentam antequam ipsa petere posset, poscente nimirum spiritu sancto pro illa, imò pro filio suo longè ante id procurante pro illa. Non me fugit, quod magis propriè voluntarium sit veniale peccatum quàm orig. respectu nostri, at non propterea magis abominandum: imo tantò minus, quantò propter originale magis elongamur à Domino, & eius gratia, quàm ob veniale.

Denique nota.

Nona persuasio quòd iam manifestum est ab omni reliqua pœna, opprobrium aliquod inferente, illam præseruatam fuisse.

PErsuadet & hanc sententiam egregiè certa iam, omni Ecclesiæ persuasio, quòd ab omni reliqua pœna opprobriosa quæ ex illo antiquo

antiquo peccato venit tam in mares quàm in fœminas, præseruata à Deo fuit: vt satis indignum videri possit cuilibet prudenter existimanti, hanc solam fuisse à qua immunis non esset, à qua tamen maximè immunis esse debuisset. Primò ergo iam de peccato quolibet actuali dictum est, quòd ab his præseruata est, cùm tamen fructus essent originalis, vt Paulus & frater Domini docent, quoniam ex peccato fomes, ex fomite libido & concupiscentia, vnde & peccatum: quod vtinam non magis experientia doceret. Secundò præseruata est ab omni maledicto quod in Heuam inflixit Dominus. Inflixit autem primò ærumnarum adiectionem, quæ sunt opprobria mulierum propria, vt quidam non malè exponunt. Vnde & iuxta Hebraicam veritatem legitur, Multiplicās multiplicabo ærumnas tuas: acsi manifestius dixerit, etiam super illas quæ tibi cum viro cōmunes erunt, proprias tibi assigno. Hæc enim sententia specialis in ipsam Heuam à Domino pronunciata est, vt in omnes fœminas extenderetur, quibus tamen caruit immaculata Virgo: nihil enim in ipsa immundum, nihil fœdum aut turpe, ac deniq; muliebre ponendum est: quoniam hæc est reuera virago illa secundum spiritū, quæ de viro sumpta, nihil fœmineum accepit aut contraxit. Secundò inflicta fuit conceptuum multiplicatio: sed neque hæc contigit B. Virgini, quæ vnico conceptu contenta, & illo sanctissimo, effudit vitam mundo, vt nihil amplius prolis desiderare potuerit, cùm per eam solam ipsa verè facta sit mater omnium viuentium, ac vera vita. Tertiò inflictus fuit dolor in partu: dictum est enim, In dolore paries filios. At gloriosa Virgo cum maximo gaudio & concepit, & in vtero habuit, & peperit, iuxta quod scriptum erat, Germinans germinabit exultabunda & laudans. Quartò subdita fuit viro & sub eius potestate, vt ad illum omnis appetitus eius vertatur: sed & ab hac seruitute excepta fuit B. Virgo, Aug. teste, atq; ipso B. Thoma, qui inducens & probans Augustini verba, sic ait. B. Virgo Maria vera æstimatiōe à quibusdam generalibus excipitur, quia nec cōceptus multiplicauit, nec sub viri potestate fuit, quæ integerrimis visceribus de Spiritu sancto Christum cōcepit: & ideò non debuit mediante viro instrui, sed mediante angelo: Quin & ipse Aug. ait, Ioseph vt famulum datum Virgini. Quid est ergo quod isti volūt de matre tua, optime Deus: scilicet vt quam non es passus esse sub viro & coniuge suo, tamen sub Diaboli laqueis ac potestate volueris illam teneri? Quis hæc, si secum semota animi quauis iniqua affectione cogitauerit, possit admittere: vt, quæ non conceditur subiecta viro (tametsi hoc exigeret antiquum delictum) eadem tamē subiecta Diabolo concedatur? Venio ad pœnas viro & omni generi humano,

Paulus. 7. Iac. 1.

Maledictio ærumnarū non pertinuit ad Mariam. Gen. 3.

Conceptuū multiplicatio nō pertinuit ad Mariam.

Dolor in partu non pertinuit ad Mariam. Is. 37.

Subiectionē uiri ignorauit Maria.

Nota argumentum fortißimum.

Gen.3. humano, in eo, inflictas. Primò illi dicitur, Maledicta terra in opere tuo, terræ autem appellatione plura in scripturis sanctis significantur: & primùm quidem ipsa terra, vnde corporales cibos accipimus quæ maledictum accepit in hoc, quòd cum laboribus ac sudoribus viri redditura esset illi fructus ad vitam, vnde & homines mirum in modũ impediuntur à cælestibus contemplationibus, vt incumbant operibus terræ pro vita carnis, ne alioqui terra tribulos potius & spinas germinaret, vt ait scriptura. Sed sub hoc maledicto existimo non comprehensam fuisse B. Virg. quam assiduè cælestibus contemplationibus pastam, & in sublime cœlorum raptam, conuersationem credimus habuisse in cœlis, illudq; maximè post Christum in se expertam fuisse, Non de solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei. Secundò, terra accipitur pro corde hominis, vt ipse Dominus dignatus est exponere in parabola seminis: in hoc enim accepit maledictum cor hominis, quoniam nostra opera, & labore multo excoli oportet, ad artes & scientias capescẽdas, & virtutes acquirendas. Nam anima nostra iuxta suam naturã, cui reddita est ex peccato, est sicut tabula in qua nihil depictum sit (vt Philosophus ait) idcircò oportet multis laboribus, ac sudoribus, ad aliquam frugem peruenire; neq; id fieri potest sine erroribus & peccatis, quæ sunt spinæ & tribuli, videlicet opere nostro. Nullus enim ita felix in hoc mundo post peccatum repertus est, qui nõ aliquãdo errauerit, aut peccauerit quouismodo, vno excepto Christo, cui propter ipsum etiam B. Virginem adiungimus. Quare quia terram hanc excoluit Deus, non homo: de Christo enim nulli dubium, ita vt mirarentur qui illum audirent, & dicerent, quomodo hic literas scit cùm non didicerit? nescientes quòd patrem haberet Doctorem Deum, vt ille dicebat Mea doctrina non est mea, de B. etiam virgine fas est credere, quòd Spiritus sanctus & cœlestes ipsi spiritus, eam docuerint, non vllus mortalis homo, vt sicut nullo peccato, ita etiam nullo vnquam errore comprehensa fuerit. Propter quod nõ oscitãter illud aduertendũ est quod ait Dominus, in opere tuo, nimirũ vt illa terra maledicta intelligatur, quæ opere hominis indiguerit, & culta fuerit, sicut reliqui homines vniuersaliter indigent, vt alter ab altero discat artes atq; imbibat disciplinas. Tertiò, terræ nomine ipsa mulier intelligitur, quæ à viro tanquam excolitur semine iniecto, vt fœcũdetur, & prolẽ reddat: vnde omnis mulier intelligitur maledicta in opere illo viri, quod corã Deo immundũ est redditũ post peccatũ, quoniã quicquid ex illo opere procedit, sub ira Dei cõprehẽsum est, & vt immũdũ respectũ. Attẽde & cape lector quod loquor, quoniã in his verbis Christiana & catholicorum

Terrã uarie accipi in scripturis.

Nõ fuit maledicta terra pro Virgine.

Matth.4.

Matth.13. Luc.8.

Anima tanquã tabula ex Philosopho.

Nota.

Io.7.

Nota.

rum doctrina est: propter quod dicitur: Spinas & tribulos germinabit tibi, hoc est, filios peccato & errori obnoxios. omnes enim spinæ & tribuli sumus, quicũq; humano semine producimur ex fœmina, hac sola terra excepta, de qua econuerso scriptũ fuit: Benedixisti Domine terram tuam. Sed vide hoc priuilegiũ (obsecro) in hac scriptura mirificè patefactũ, si capere potes, Maledicta terra in opere tuo, nimirũ in opera viri, At hæc terra nostra quæ dedit fructũ suũ, nunquid opera viri exculta est? Absit. Nã illa conquirens hoc, quod tamen non nesciebat, sed vt erat humilis, etiam amplius cœlesti reuelatione scire laborans, aiebat, quomodo fiet istud quoniam virũ nõ cognosco? Sciebat se non esse terram humanæ operationi subdendã & maledictæ culturæ, quæ virginitatem, Deo inspirante, iam nouerat: vnde confestim audit à Gabriele fortiora illi nũtiante: Spiritus S. superueniet in te, Ecce Agricola, ecce cuius opera tu terra electa, & præelecta, seruata es. Nũquid ergo maledicta hæc terra, quæ reddit fructũ, non ex opera viri, sed ex opera Dei? Si verba Diuina consulis, profectò exceptam cernis à maledicto, quia dictũ est viro, maledicta terra in opere tuo, seu potius in operatione tua. Ergo quæ ab operatione viri eximitur, etiã exempta intelligitur à maledicto. Nam perge vt videas quæ terra sit maledicta, ait, Spinas & tribulos germinabit tibi. Nunquid hæc spinas & tribulos germinauit, quæ dedit Nazarenũ speciosissimum florem, & solum odoriferũ ad nares æterni Patris? Scrutare igitur ô mi frater scripturas, & agnosce tãdem terram benedictam, nullo vnquam maledicto prostitutam, vtpotè seruatam Diuinæ operationi, vt nefas fuerit quicquam iuris in eam habere Diabolum, quæ ab omni & opere & iure viri exempta, & immunis fuit: Sed perge adhuc, & examina reliqua. In sudore (inquit) vultus tui vesceris pane tuo. Et hoc maledictum non tetigit virginem teste beato Thoma, vt expressè declarat in expositione Angelicæ salutationis. Nos verò de hoc alibi diffusius, interim satis sit nobis testimonium gloriosi doctoris nostri. Adijcitur vltimum maledictum, Donec reuertaris in terram de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Hoc maledicto tria colliguntur, Primum necessitas moriendi. Secundum, incineratio, & redactio in puluerem. Tertium (quod tamen subaudiri oportet,) expectatio communis resurrectionis. Et certè quo ad primum, à morte ob iam dictam causam excepta non fuit: quoniam nec excipi, bonum erat ei, vt conformis fieret capiti: & eadem ratione à cæteris doloribus ac laboribus vitæ huius, ob infirmitatem carnis contingentibus, quos & filius eius pro illa & pro nobis omnibus acce-

Ps. 84.

Luc. 1.

Nota.

cepit, sed pro illa maximè. Quo ad secundum, videlicet de incineratione & puluere, Audi quæso Aug. ita dicentem: Illud sacratissimum corpus, de quo Christus carnem assumpsit, & diuinam naturam humanæ vniuit, vt verbum caro, idest Deus, homo fieret, escã vermibus traditum, in communi sorde putredinis, & futurum de vermibus puluerem, quia sentire non valeo, dicere perhorresco. Hæc Aug. Quomodo igitur non multomagis perhorrescimus vel dicere, vel sentire, vel cogitare, animam illam sacratissimam, simul cum sanctissimo illo corpore, quod electum erat vas æternæ lucis, etiam per quodcunq; momentum fuisse aliquando escam serpentis Diaboli? quod necesse est dicere, ijs qui asserant iam sub originali conceptam. Profectò tantò est horribilius hoc sentire, quantò anima longè est cadauere præstantior, & quantò Diabolus cunctis terræ vermibus execrabilior, qui à Domino maledicitur super omnes bestias terræ, vt ait scriptura. Postremò, quoad vltimum de expectatione resurrectionis, iam ipsa Ecclesia festũ celebrat Assumptionis eius, quæ etiam piè credere se profitetur eam in cœlos cum corpore à filio suo assumptam, sicut & Propheta satis clarè vaticinans nobis tradidit, quum dixit: Surge Domine in requiem tuam, tu & Arca sanctificationis tuæ. Vnde & multæ Ecclesiæ, non sine hac mente, in ea solennitate concinunt: Venerãda nobis Domine huius diei festiuitas opem conferat salutarem, in qua sancta Dei genitrix mortem subijt temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum. Agnosce lector prudens vt edocta procudubiò à Spiritu sancto, te quoq; clarè docet Ecclesia. Nõ potuit, inquit, deprimi mortis nexibus B. Virgo, sicut neq; Christus quidem, de quo ait Petrus. Quẽ Deus suscitauit solutis doloribus mortis, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab ea. Sed quare Christus teneri non potuit? Audi Petrum, quia (inquit) Dauid in eum dicit. Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear, propter quod lætatum est cor meum & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe, quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis S. tuum videre corruptionem. Quare autem Maria non potuit deprimi? Audi Ecclesiã, quia (inquit) Dominũ nostrum, idest, ipsum Sanctum, de se genuit incarnatum. Ille igitur teneri non potuit, quia sanctum erat: illa verò, quia mater sancti, & propter ipsum sanctum quod genuit. Magna igitur & efficax hæc persuasio optime lector, cum videas gloriosam Virginem nullo teneri maledicto, aut pœna opprobriosa quæ ex antiquo venit peccato, siue in fœminas siue in viros, vt certissima

Aug. in sermone de assumpt.

Nota argu. ualidum.

Gen. 3.

Ps. 131.

Oratio de Assump. B. Virg.

Act. 2.

tiſſima coniectura exiſtimes,neque peccato illam fuiſſe comprehenſam,quo nihil opprobrioſius. Nam id iuſtitiæ eſt,vt quem ſeruatũ à pœna videas,etiam à culpa ſeruatum agnoſcas, tametſi e conuerſo non procedat,quando in manu Dei ſit culpam nonnunquam remittere,nec tamen ſimul omnem pœnam.

Decima perſuaſio ab integritate puritatis,quæ illi conueniebat ac deſideraretur,ſi hac macula fuiſſet inſperſa.

INtegritas puritatis,quæ ab omnibus in ea deſideraretur, etiam huic veritati conteſtatur:Nõ enim integrè fuiſſet pura.B.Virgo, ſi corpore tantum pura fuiſſet,non etiam mente:nec fuiſſet perfectè Virgo ſecundum ſpiritum,quæ aliquando alterius fuiſſet quàm Chriſti.Sicut enim corpus habet ſuam virginitatem & incorruptelam,ita & anima.Sicut ergo decuit integrè ac perfectè eam eſſe virginem,& nihilominus parientem,& partus virginitatem non minueret ſed ſacraret,ita & multò magis decebat eam eſſe mente virginem atq; integram,quanquam alieno partu prodiret.Si naturæ ius ibi vides Dei omnipotentia ſublatum ob ſeruandam corporis puritatem,& vt eſſet perpetua virgo,cum audis eandem eſſe & matrem & virginem,cur non etiam ſimili modo arbitrari potes ſeruatam eſſe à peccato?contra etiam omne ius naturæ,quod erat,vt quæ deſcenderet ex peccatoribus,etiam ipſa peccato obuolueretur.Nã ſi alterum ſibi defuturum erat,maluiſſet prudentiſſima Virgo carere carnis virginitate quàm mentis:potuiſſet enim abſq; peccato,& ira Dei,non eſſe virgo.At ſubiacuiſſe peccato,& maculam ponit, & iram conſtituit,& ipſius peccati ac Diaboli ſeruitutem.At certũ eſt quòd Hieronymus & Auguſtinus doctè ac piè ſcripſere de virgine,gratiam eius ſuperaſſe naturam.Diuinitatis enim ſunt opera quæ prædicamus de illa,& ideò poſſibilia,quoniam ab omnipotentia.Hæc Auguſtinus.

Vndecima perſuaſio ab honore,qui ſummis Angelis debebatur.

HOnorem,qui ſummis Angelis debebatur,etiam attinere ad huius rei perſuaſionem non dubito. Debebatur autem illis hic honor(ſi recto iudicio cenſere volumus)vt nõ præferretur eis omnibus,vlla perſona aliquando vllo peccato contaminata,cum ipſi perpetua puritate nituiſſent.Non eſt autem dubium iã Eccleſiæ,quòd hæc Beatiſſ.Virgo prælata eſt cunctis agminibus & ordinibus Angelorum,quod(vt ſapienter dixit Hieronymus)de nullo alio ſanctorum fas eſt dicere.Quare ſi quouis vnquam fuiſſet maculata de- *Maria cunctis Angelis prælata. Nota Hieronymi uerba.*

 licto,

licto, & posset aliquod murmur esse in cælo, iure optimo data esset angelis multa conquerendi occasio, quòd eam sibi præpositam viderent, & vt reginam venerandam, quam tamen & peccato, & Diabolo aliquãdo subditam considerarent: quin & ipsa Virgo nonnullo humili pudore perfunderetur, dum se impuram aliquando fuisse conspiceret, & beatos illos spiritus perpetua puritate nituisse: qua certè indecentia offuscaretur gloria paradisi. Alioquin, vbi illæ omnium sanctorum voces? & Bernardi, & Thomæ, & Aug. & Hieronymi, & aliorum, quòd Maria superauit angelos puritate? Thomas declarat, tum quantum ad operationem boni, tum etiam quantum ad euitationem mali & peccati. Sed aiunt, intensiuè non extensiuè: sed cur non etiam extensiuè? Quis dabit perfectam innocentiã ac puritatem, ac non simul perpetuam?

Thom. in expos. Angelicæ salut.

Nota.

Duodecima persuasio à pœna debita serpenti, & congruè illi à Deo inflicta.

NEc minus ponderis habere debet Diaboli meritum, & digna pœna, ad testificãdum pro summa Domina ac Regina nostra. Attende hîc quæso te acute Lector, Superauit execrabilis ille serpẽs primam fœminam, quam decepit mendacijs & fraude. Dominus Deus, in huius vindictam facinoris, ĳs verbis aduersus illum pronũciauit, Quia fecisti sic, idest, quia mulierem hanc decepisti, inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum, &c. ac si manifestè dictum fuisset, Vicisti mulierem, fraude, Hoc tibi sit pœnæ, quoniam vincet te mulier virtute, & ita vincet sicut aliam tu vicisti. Tu enim vicisti eam perfecta victoria nũquam superatus ab illa, Ergo talis debet esse mulier pro pœna tua, quæ te vincat, nunquam abs te victa, nunquam tui iuris effecta. Alioquin non fuisset perfecta pœna serpentis pro merito suo, si quandoq; & ipse hanc mulierem superasset, quanquam in parẽtibus suis. Potuisset enim ille superbus semper gloriari, & dicere, Ego quoq; obtinui aduersus istam in campo: Ego matrẽ Dei omnipotentis & Christi habui ditioni & iuri meo subiectam, sub regno meo fuit Regina cœlorum, & Angelorum Domina communi sorte cum cæteris, meũ dominatum non potuit euitare, neq; per Christum filium. Sed gratia Deo & Christo, nihil horum verè iactare potest Draco ille Ruffus plenus sanguine, quãquam id vehemẽter appeteret: quoniã hæc est mulier, quam miũ in modũ oderat ab initio, cuius filium illum masculum deuorare volebat: propter quod & dicitur, Ille erat homicida ab initio. O Satan nequissime, Tu satis intelligis quæ loquor, Sed increpuit in te Dominus, et increpuit in te, qui elegit Ierusalem, vt ipsa contereret caput tuum, & semen impiorum,

Gene. 3.

Hæc dicturus fuisset Serpens.

Apoc. 12.

Io. 8.

rum,quod perit.Nam quantum te extulisses Diabole Nequam, & quantum exultasses,si reuera etiam modico momento, adeò excellentem prædam obtinuisses,ipsam Reginam & campi Dominam, Scimus enim,saluo Rege ac Regina, nõdum esse hosti veram victoriam ac triumphum.Captiuitas Regis illicò prælium dirimit,& integram Gloriam præbet victori.Reginam etiã teneri captiuam,turpe est Regi, & formè dimidium habet hostis victoriæ ac triumphi: sed certè nullum horum contigit hosti Diabolo.Saluus fuit Rex nobis,in quo nihil iuris vnquam habere potuit,sicut ipse expressit,Venit princeps mundi huius,& in me non habet quicquam.Salua etiã fuit Regina,quæ ab eius hiatu ac rugitu per ipsum Regẽ erepta est, ne illam posset contingere: quoniam ab ea superari ipse debebat. Esto igitur illa,vt decet,victrix ac triumphatrix de illo nequam,nec demus maligno quod nũquam fuit eius,ne superbus & amator etiã falsæ gloriæ,etiam de hac falsa opinione infletur,quòd in potestate quod horreo dicere habuerit matrem Dei, & primariam sponsam, & filiam primogenitam. Ioã.14.

Tertiadecima persuasio à perfectione regni spiritualis.

THeologorum est quasi dignitas,Ad sapiẽtiam Dei pertinuisse, curare ne quis rerum gradus deesset vniuerso in creatione:propter quod scriptum est,Vidit Deus cuncta quæ fecit,& erant valdè bona:non autem valdè bona fuissent,si vnus gradus rerum cogitabilis defuisset.Hoc argumẽto consequimur,in rebus creatis esse naturam spiritualem,quoniam cum esset corporalis & animalis & rationalis,si hæc defuisset,scilicet purè spiritualis,profectò aliquid de perfectione decederet.Simile quid in modo productionis hominũ videre licet.Prima viri productio fuit à solo Deo,sine viro & muliere,Tũ ex viro tãtũ producta est mulier,Cæteri ex viro mixtim ac muliere.Quia ergo ad oẽm modũ procreatiõis implẽdũ hoc deerat vt aliquis ex muliere absq; viro generaretur,ideò & hoc modo conueniẽter prodijt Christus.Si igitur in ordine rerũ naturaliũ,nequid perfectioni desit vniuersi,omnes rerũ & productionũ gradus inueniũtur,cur nõ similiter & in ordine spiritualiũ,& redẽptionis creaturarũ quã Deus operatus est per Christũ?Attẽde lector,omnes qui catholici esse volũt oportet fateri,Christũ redemisse omnes,quoniã omnes merebamur æternã mortẽ,& Diaboli dominatũ,etiã.B.Virgo.Nõ debet autẽ esse cuiquã dubiũ,plures dari gradus redẽptionis,inter quos minimus sit,& maximus.Minimus quidem redemptionis gradus ad eos pertinet,qui redẽpti sunt in meritò tãtũ Christi non sibi applicato,& ideò non in effectu,vt sunt infideles siue negatiuè,siue priuatiuè.Propter quod Christus dicitur à.B.Paulo, Gen.1.

saluator

saluator omnium,& adiecit,Maximè fidelium.Infidelium ergo ali
1.Timot.4. quo modo saluator:at quomodo nisi in merito tantum,quoniam applicari eis non valuit meritum,vt esset & cum effectu? Maximum ergo etiam oportuit esse redemptionis gradum & salutis,& ad ali-
Nota. quem pertinere qui nullo modo cum effectu permitteretur in captiuitatem & casum incidere,vt sic deinde eriperetur ac saluaretur. Quòd si iste gradus excogitatur,& non inuenitur in vllo,ipso effectu,iam videtur aliquid deesse perfectioni redemptionis: quoniam perfectissimus Redemptor modum redimendi perfectissimum erga neminem exercuit,quod ex iam dictis remaneat absurdum. Hoc enim dato,Corpus Christi mysticum,mancum,& mutilum inueniretur,quoniam caruisset perfectissimo membro,quod perfectissimo redemptionis modo redemptum esset:& quod consequenter dignum esset contiguè aptari,& adiungi capiti,eò quòd nullo esset inquinamento fœdatum.Esset enim corpus istud,vt optima si-
Similitudo pulchra. militudine describamus,quasi corpus hominis quod esset omni reliqua ex parte integrum,nisi quod ceruice careret,& collo quod statim capiti annecteretur.Ergo vt hoc deuitemus absurdum,contem-
Nota. plare obsecro te pie lector,hoc mysticum corpus,& in illo sapientiam excelsi.Ecce imprimis Christus immaculatissimus,impollutissimus,nulli quouis modo peccato obnoxius,qui venit copulare sibi
Ad Eph.5. & aptare Ecclesiam quasi sponsam,corpus suum, non habentem maculã aut rugam,aut quid huiusmodi:Et hic meritò caput est.Ecce post eum primum membrum Maria,hanc dicimus ex suæ naturæ conditione,peccato obnoxiam,& ob hoc non omninò & absolutè impollutam,sed talem quæ debuit à pollutione præseruari,vt dignè posset immediatè aptare capiti.Hæc igitur esto collum,quod propter capitis attactum prima & puriora gratiæ dona in se cõtraxit,atq; excepit,vt inde quasi per aquæ ductum deriuaret in cætera
Bernardus. membra:vt pulchrè nec sine spiritu Dei.B.Bernardus dixit:Decebat enim hoc primum post caput membrum, ita munditia nitere, vt etiam nudum existens,sui amabilem & iocundum præberet aspectum:vtpotè nullis indigens vestimentorum superiniectorum ope-
1.ad Cor.12. rimentis,sicut alia membra. Nam(vt Paulus ait)quantò membra sunt ignobiliora,tantò abundantiorem his honorem circũdamus. Post collum verò sunt membra alia iuxta sua quælibet officia,vel digniora,vel minus digna,siue iuxta mensuram gratiæ redundantis ex ipso capite per collum hoc,quæ non attinet sigillatim referre. Credibile enim est omninò,vt nihil desit & in cæteris,quod ad corporis complementum pertineat,idq; perfectum,vt omnes bonitatis gradus ac numeros,vnde pulchrum & decorum resultat,ibi va-

leas, id est, in hoc Iesuchristi corpore quod est Ecclesia, contemplari. Quamobrem nihil est quod quidam aiunt, respondentes ad hoc argumentum, quòd si sic est, quòd decuerit qui perfectissimus erat redemptor, vt etiam perfectissimo modo redimeret, quoniam & hoc ipse meruit, debuit hoc modo vel omnes, vel certè plures salua re, scilicet præseruando. Non enim attendunt, quòd si omnes illo modo saluarentur, non esset perfectio in corpore: quia non essent infirmiores gradus redemptionis, sicut esse oporteret. Neque considerant, quòd gradus eminentissimi non admittũt plures: quia quò altius tendimus, tantò in vnum magis constringimus. Quod vt à corpore nostro velut exemplo, (Nam hoc accipit Paulus ad declarandum) res euidentior fiat, sicut vnum caput est in corpore, ita & collum vnum, capiti ipsi contiguum, non plura. Non enim decebat plura esse, in quæ maxima munera deriuarent à capite: nec decebat nullum esse, sed satis fuit vnum esse, videlicet hoc superuenerabile collum. Sicut & in cœlorum ornatu, nõ plures soles, sed vnus Sol: nõ plures lunæ, sed vna Luna. Et per hoc duo tantum lumina ria magna, nec tamen æqualia inter se, quibus meritò assimilantur Christus & Virgo Domina: ille Sol, illa Luna: stellæ autem, id est clari viri & sanctitate conspicui, pene innumerabiles, qui tamen & inter se inuicem differunt, sicut & Paulus ait, stella à stella differt in claritate. Ex igitur ergo ad corporis pulchritudinem, adesse omnes bonitatis gradus: nec tamen decet quouis gradu bonitatis omnes aut plures participare: Excellentia enim gradus non admittit plures. Si enim B. Virgo in eodem gradu cum alijs consisteret, vbi præeminentia maternitatis? Et quomodo diceretur (vnica) vt scripturæ vocant? Et quomodo compararetur Lunæ, quæ tantum vna est in cœlo? sit ergo suus gradus & honor singulariter Christo, quasi capiti: sit & suus, qui huic primò propinquissimè accedat B. Virgini, quasi collo. Post hos liceat in eodem plures consistere, vt recta ratio & corporis pulchritudo requirit. Nam & quod B. Aug. ait, mirè ad rem propositam seruit, vt horum argumentum dissoluamus. Ait enim quodam in loco, Quicquid vera ratione melius occurrerit, scias Deum fecisse, tanquam bonorum omnium conditorem. Non est autem vera ratio, sed inuida infirmitas, cum aliquid melius faciendum cogitaueris, iam nihil aliud inferius velle itàquam si perfecto cœlo nolles terram esse, iniquè omnino, rectè enim reprehẽderes si prætermisso cœlo, terram factam videres: quoniam ita diceres, etiam debuisse fieri cœlum, sicut cogitare posses. Hæc Augusti. Quare & in hac doctrina similiter & nos dicimus. Infirma est ratio quæ huius Lunæ pulchritudine inspecta, etiam esse plures lunas de

Nota cõtra cõmunẽ eua sionem.

1. Cor. 15.

Cant. 6.

Augu. uera sententia li. de libe. arb.

M siderct:

sideret: & viso splendore colli, etiam plura colla velit annectere vni
Sap. 11. capiti, quo certè pacto resultaret monstrum. Omnia autem in pōdere & numero & mensura consistunt.

Quartadecima persuasio ab exemplato, quod apparet in generationibus hominum secundum carnem.

PVlchra alia consequenter, superiori cognata accedit, & quidem vehemens persuasio capienti. Non enim est dubium in rebus creatis inueniri vestigia quædam, & similitudines æternorum. Vnde & sempiterna virtus, & diuinitas etiam summæ & ineffabilis Trinitatis ex rebus creatis aliquo modo conspici potest ac suaderi, eo quòd in his & vestigia quædam & similitudines inueniuntur, vt sancti Theologi docuere. Nec latere potest etiam quæ terrestria
Exo. 25. sunt, cælestium exemplar habere. Vnde & Ecclesiastica hierarchia (vt dictum est Moysi, & Dionysius declarauit) ad exemplum cælestis instituta est. Quocircà te obsecro bone lector, considera tres generationis modos in hominibus, vt ex his quasi ex figura quadam, conuenientissimè spiritualis generationis modos eruas & coniectes. Ecce primus ac nobilissimus modus, qui à Deo fuit immediatè absq; viro & muliere, vnde prodijt Adam ex terra. Agnosce ergo in hoc primam spiritus generationem, scilicet Christum ex Maria:
1. Cor. 15. quoniam non carnalis hæc & secundum naturæ nostræ legem fuit, cui se admiscuit singulariter spiritus, vt non terrenus sed cælestis & spiritualis partus, secundus homo noster nasceretur, qui non opus habuit renasci, quando sua vi generationis, quæ secundum car
Io. 8. nem fuit, illicò spiritualis fuerit: quod nulli mortalium contigit. Propter quod ipse aiebat, Ego à Deo processi & veni. Ioan. Bapti
Io. 3. sta de eo ait, Qui de sursum venit, super omnes est. Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur: Qui de cœlo venit, super omnes est. Habes igitur primam generationem spiritualem Christi, qui statim suapte natura sanctus fuit, vt nō opus ei fuerit renasci: Et conspicitur in Adam velut in Typo qui secundum carnem à Deo venit
Nota. immediatè. Accipe nunc secundum generationis modum Heuæ: Et hîc etiam ante peccatum, & à Deo, sed non sine viro: etenim de costa viri, in soporem coniecti, ædificata est post virum mulier in innocentia. Hîc quæso aperi oculos bone lector, & agnosce hanc secundam spiritualem generationem Virginis, quam profitemur, quæ ex Christo fuit, non à semetipsa & vi propriæ natiuitatis. Et tamen in innocentia sicut ille, & ex costa eius, id est, ex forti-

titudi-

titudine & potentia gratiæ, qua valuit apud patrem, vt inde educi posset adiutorium simile sibi, id est innocentissimum pro aliorum regeneratione. Et quàm pulchrè tunc educta est, quum in soporem coniectus est vir ille: vt intelligas etiam virgini opus fuisse Christi cruce, vt ex eius latere, isto modo illibatissima educeretur. Tunc enim Dominus quasi in soporem coniectus est, quando velut nihil sentiens, & nullam suiipsius rationem habens, passus est opprobrium crucis, sed magno Dei consilio, vt inde primùm hæc Heua nostra prodiret viro similis, vt omnium verè viuentium mater fieret. Tunc enim, vt B. Augusti. mirè quodam in loco dixit, hora illa venit, quando matrem summo amore & honore respexit, scilicet cùm pendere cœpit in cruce illa Dei caro, cuius ipsa mater erat. Tunc verè prodijt mulier, vt & alios cùm viro generare Deo posset, sicut illa Heua generauit carni. Propter quod & illam mysterij huius vocem audiuit stans iuxta crucem: Mulier, ecce filius tuus. Vnde virago verissimè hæc dici potest, quia de viro sumpta est, & per virum fortis & cum illo: quoniam ante omne peccatum educta est ipsa sola de costa, cæteri omnes qui secundum carnem nati sunt, post peccatum nati sunt & parentes peccatores habuerunt: sola Heua habuit parentem suum Adam nondum peccatorem, à quo educta est, ita Christus illi soli non fuit peccator, quam ab omni peccato præseruauit: Nec pro illa, vt peccatrice, deprecatus est, sed ne fieret peccatrix, ideò nec est captus in templo. Audisti bone lector secundam & admirabilem spiritualem generationem, & specialem beatæ Virginis. Accipe tertium modum carnalis generationis, qui communis est cæteris omnibus, quos oportuit ex mare & fœmina modo naturali prodire, qui & post iam parentum delictum orti sumus. Hic modus sine priuilegio est: Et in hoc agnosce tertium modum spiritualis generationis, quæ communis est cæteris omnibus: quia iam patrato peccato est, & ita morte consecuta. Vnde hæc generatio ex vtroque est, idest ex viro & muliere, Christo & Maria, qui ambo licet fuerint innocentissimi (quanquam Maria per ipsum Christum talis fuerit) tamen super seipsos peccata nostra reijcientes, meruerunt nobis propter suas pœnas salutem. Primò tamen & principaliter Christus, vt vir, Deinde quasi mulier, Virgo ipsa, ipsa inquam Virgo benedicta, quæ (obsecro) dignetur sicut hæc verissima esse videt, ita in cordibus suorum insculpere, & illis merita sua participare, qui illam & eius gloriam diligunt, & illam verè Heuam, id est, veram matrem

Aug. super Io. a.

Io. 19. Gen. 2.

viuentium confitentur, venturamq́; sponsam cum sponso suo ad iudicandum expectant, quibus honor & gloria in sæcula sempiterna: Amen.

Sextadecima persuasio à pietate.

POstrema hæc sit tandem persuasio, quòd hæc sententia & veritas, ipsa pietate impulsa est in mentes hominum, pietate creuit, pietate roborata est. Quòd si mentiri contradicentes sibi ipsis non velint, non possunt inficiari: nec enim huius expertes sunt pietatis, si velint secludere passiones. Nam & si dubium casum proponeremus, cùm tractatur de innocentia & peccato, profectò ipsa pietas pro innocentia cogit iudicem pronunciare, vt etiam dicant iura, Sanctius esse nocentem dimittere, quàm innocentem cõdemnare. Quum etiam causa matris proponitur, & gaudium de hæreditate

Hæc norũt iuriscõsulti.

filij, quanta, bone Deus, hac suadente pietate dederunt ei humana iura, etiam contra communem iurium dispositionem, ne mater luctuosa, hæreditate priuaretur. Si igitur ipsa vera est mater Christi, cur filij sui hæreditate, prima non potiatur cum priuilegio etiam cõtra commune ius? Si est etiam mater nostra, cur hoc matri non concedimus, quod extorquet pro illa pietas? At orta est ex peccatoribus, fatemur. Ergo debuit peccato subdi, etiam fatemur: sed hoc

Nota & pone duritiam ò homo si homo es.

habet rigor iuris. Nos autem contrà arguimus, Mater fuit innocentiæ, mater vitæ omnium, per quam omnia vitam habent. hæc scio fateris. At cur non etiam fateris, quòd hinc certa oritur æquitas, vt nõ debuerit subiacere peccato? An quæso plus potuerit parentum vitium in filiam, quàm filij & innocentia & benignitas erga matrem? Quod si illud postulat rigor, hoc autem suadeat æquitas, quid hic (obsecro) agat iudex æquus ac pius? Sequetur ne rigorem, an potius æquitatem? Hem homines, si modo etiam homines sumus, nonne æquitas in iudicio apud homines, rigori præponitur, ipsa pietate maximè suadente? Certè hoc habent humanæ leges, & ideò in peccato hoc, quod aliena culpa contrahimus, magis filius ille considerari debet respectu virginis quem illa genuit, vt absoluatur per eũ qui potuit, quàm parẽtes à quibus est genita, vt per eos damnetur:

Ps. 16.

Hoc enim oculi rigorem inspicientes considerant: illud verò oculi æquitatem intuentes probant. In Psalmis enim legitur, Oculi tui vi-

Ps. 10.

deant æquitates, & iterum: Æquitatem vidit vultus eius: ideò illud potius vidit Dominus, & nos etiam cõsiderare vult. Hos enim oculos dedit Ecclesiæ, quibus hoc priuilegium ipsa vidit & veneratur. Quod ad hunc locum pietatis pertinet, audiui quosdam ex contra dicentibus, fateri hãc sententiam, quam probamus, piam esse: at suã

ipsorum

ipsorum esse, solidiorem, vt quæ certioribus fundamentis nitatur. Quasi verò non sit illa fundatissima opinio, quæ pietatis fundamẽtis nitatur. Sed tales sunt nonnulli, qui pietatem à veritate separant, vt quod verè est ex pietate, non sit etiam ex veritate recipiendum. Quo quid absurdius? Sunt & quædam alia, quæ aduersus hãc pietatem, quidam respondent: sed, quoniam non piè dicuntur, & alio opusculo confutata sunt, hîc finem persuasioni faciam, quantum ex rationibus colligi potest. Superest ergo vt pro hac veritate testimonia scripturarum inducantur.

De plurimis scripturarum locis, ubi gloriosæ hoc Virginis priuilegium, facilè licet, non lippis oculis, intueri.

ETsi sciam scripturarum intellectum non esse omnium, neq; ibi vllum mysterium ita reseratum esse, vt non valeat proteruia & pertinacia, per ineptas & importunas glossas obscurari, non committam tamen (propter eos qui benignè capere voluerint) vt silentio per me inuoluãtur plurima loca, vnde mirificè atq; elegãter hæc Dominæ prærogatiua eruitur.

Consideret ergo primùm scripturarum scrutator elegans, quòd post peccatum, antequam Adæ aut Heuæ pœnas inferret Deus, cõfestim in serpentem iudicium protulit, & constituit mulierem, id est B. Virginem (vt Hieronymus, & Bernardus rectè exponunt) cãpi dominam ad debellandum illum: Deinde protulit sententiam in peccatores. Id autem quare? nisi vt colligeremus, quòd illa seruata est à peccato, & à Diabolo, quæ tanquam libera statim præficitur belli ductrix aduersus victorem. Si enim ab eo victa fuisset, qua iustitia in victorem erigeretur, à quo prius non cerneretur erepta? Non est hoc tenuis considerationis. Nam B. Paulus sic probat Abraam iustificatum ex fide in præputio, & non in circuncisione, quia scriptura prius illi iustificationem cõcedit, quàm narraret circuncisum. Adiuuat & hanc veritatem quod iam diximus, quòd ea solum terra subiacuit maledicto, quæ opera hominis excoleretur. At Maria dei opera, nimirũ Spiritus sancti, exculta fuit: vnde singulariter de illa scriptum est, Benedixisti Domine terram tuam.

Gen. 3. — Ad Rom. 4.

Quærebat Salomon mulierem fortem, aiens, mulierem fortem quis inueniet? acsi rem inuentu difficilem proponeret, non tamen impossibilem: nam statim nobis eam reddit ac repræsentat, dicens, Procul, & de vltimis finibus precium eius, quid hoc est nisi mysteriũ quod probamus? quia enim vir & mulier sua imbecillitate humanum genus perdiderant, & antidotum desiderebatur congruum, vt similiter vir & mulier fortes instaurarent, vir autem idoneus & for- Prouerb. 31.

tis in promptu esset, qui erat Christus, sola autem mulier deficere videretur ad hoc opus idonea, tanquam omnes corruissent cũ prima. Respondet, Aleph, idest doctrina docens, quod & ipsa mulier adest, & fortis quidem, quia redempta meliore modo, vt nunquam rueret: ideo ait, procul & de vltimis finibus precium eius, ac si dixerit, Non communi modo & precio redempta, & vulgari cæterorum charitate, sed de supremo charitatis gradu, de vltimoq; precij valore: procul à communi, idest, de fortissima eius costa, vt potè vnica & terribilis virago, vt propterea idonea redderetur ad tantum opus. Quare Beth, sequitur, Confidit in ea cor viri sui, & spolijs nõ indigebit. Beth autem, domum significat. Hæc est Ecclesia Dei, vt
1. Ad Ti. 3. exponit Paulus ad Timot. Hæc igitur Ecclesia iam per Aleph, idest per doctrinam Christi & Apostolicam instructa: dicit, quod cor viri sui, id est, Christus, confidit in ea tanquam in forti & viragine ad
Gen. 3. sustinendum prælia: & quod spolijs non indigebit, Memento primorum hominum, qui inuenerunt se nudos, & erubuerũt, ideo spolijs indiguerunt, quas fecit eis Dominus, & quidem pelliceas vt peccati mortificationem intelligeres: sed non talibus ista indiguit, quæ seruata fuit ab omni pudore, & peccato, & fœda nuditate. Sunt verò multa in hoc symbolo, quæ mirabiliter hoc priuilegium spectãt, quæ enarrare longum esset, satis est innuisse sapienti.

Ipsamet in canticis de se loquitur, & nõ est sola, nam filius idem probat, quod illa inquit. Ait autem illa, Nigra sum sed formosa filiæ Ierusalem: ac si expressius dixerit, Nolite putare quia nigra sim, scilicet vndecunq; vallata pœnis atque doloribus, minus ideo me esse formosam coram sponso. Verè enim nigra sum, sicut tabernacula cedar, idest, sicut quilibet viator in terris, quem tetigere culpa & pœnæ peccati: & sicut pelles Salomonis, id est, sicut humanitas viri Regis pacifici in qua probatus est vir dolorum, & sentiens infirmitatẽ. Nolite tamen cõsiderare quod fusca sim, idest nolite in me quærere quasi nigredinis causam, vllã meã culpã: quia decolorauit me Sol. Ipse Sol iustitiæ, cuius summæ charitatis radios in me reflexos perpessa sum, mutauit mihi colorem optimũ, vt & ego à vobis tanquã peccatrix iudicer: sed fallimini, quia verè formosa sum, Nigra tamẽ, quia non decebat obscurato sole splendere Lunam.

Audisti sponsam, nunc sponsum audi, ne putes illam esse solam, ipse ait: Sicut liliũ inter spinas, sic amica mea inter filias. Quænam sunt spinæ, nisi quicunque ex Adam propagati sunt, subiecti peccato, & erroribus: illa ergo singularis amica sponsi quia nunquam peccato & errori subiacuit ideo velut lilium, & viola, & rosa odorifera suo Salomoni inter filias, id est, dilectas animas, Deo seruata est.

Nec

Nec verò est aliud, quod de illa canit ecclesia, Sicut spina rosam, genuit Iudæa Mariam. Quare & ipsa par pari referens, de sponso testatur, Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios. Malus est dulcis arbor atque domestica, cui Christus assimilatur, quoniam patri semper charissimus, sicut voce à magnifica gloria delapsa, auditum est: Hic est filius meus charissimus, ipsum audite. Ligna verò syluarum omnes nos eramus & sumus natura ipsa, quoniā agrestes omnes & infructuosi, cibus ferarum meritissimo propter peccatum, donec in hanc dulcissimam arborem iterum inseramur, quæ Christus est per fidē & sacramētū. Natura enim à terra maledicta oēs procedimus: quæ quàm latissimè patēt. Nec aliud sibi vult illa totiens repetita collaudataq; à sponso singularis sponsæ huius pulchritudo, & omnis maculæ pernegatio in illa, imò (quod magis est considerandum) inuicem sibi hæc tributa. Sponsus enim ait, Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es: & iterum, Ecce tu pulchra es socia mea, Ecce tu pulchra es: & iterum: Pulchra es amica mea, suauis & decora. Contrà autē sponsa, Ecce tu pulcher es dilecte mi, ecce tu pulcher. Et rursum, Dilectus meus candidus & rubicundus, dilectus ex milibus. Et ille: Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, adolescentularum non est numerus, vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ electa, genitrici suæ. Quid hæc aliud significare congruentius valent, quàm hanc istā vnam electam ex milibus, sicut ille vnus dilectus ex milibus? vt esset columba sine vllo amaritudinis peccati felle, sed puritatis candore spectabilis, & vt esset perfecta omni gratia, in omni tempore, ob perfectam innocentiam, vt electa dignè esset matri suæ & genitrici Heuæ, vt sic mater omninò nocens, à filia omninò innocente, congruentissimè subleuaretur? Talem viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt, Reginæ & concubinæ, id est, quæ iam versabātur in cœli templis, & aiebant, Quæ est ista quæ progreditur, aut quæ sursum respicit? (vt quidam interpretantur). Mirabantur quomodo hæc sola progrederetur aut sursum respiceret, cùm cæteri omnes retrorsum irent & declinassent, & simul facti inutiles essent. Nam hanc velut auroram solis aducetricem atq; prænunciā, exceptam à communi illa sententia sic exprimebant, quam & pulchram vt Lunā, & electā vt Solē subiungunt, id est, vt Christus electus fuit ex milibus aduersus peccatum, & ad saluādum, sic & illam esse electam quam meritò, non alium sensum respiciens. S.S. præelectā, Ecclesiarū orē vocat. Quid est insuper illud quod ait spōsus in illam, Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te? Oportet enim (teste Christo) impleri scripturas. At quomodo implebitur

Cant. 4.

Cant. 6.

Cant. 4.

bitur scriptura hæc, ni saltem hanc virginem confiteamur, beneficio tamen Christi, vndiq; pulchram ac semper immaculatam? Quid est illud, Ortus conclusus, fons signatus? Quomodo cõclusus ortus, si hunc serpentis virus adflauit? Quomodo fons signatus, si malignus de illo potauit? Quid est illud quod sapientia dixit, Non se habitaturam in corpore subdito peccatis? Quomodo hoc satis verum esset, si subdita aliquando Maria fuisset, cuius vterum diuina ipsa sapientia inhabitauit?

Sap. 1.

VEnio ad noui testamenti scripturas, diximus Apud Matthæũ, cum Christi generatio verè declaratur, sola Virgo inuenitur & Christus, nihil de matris genealogia affert scriptura: quod tamẽ maximè opportunum videbatur oculis carnis. Sed non sic spiritualis iudicat, sed quasi sine patre & sine matre, & sine genealogia esset B. Virgo, solum mater Christi describitur, quasi à cæteris peccatoribus segregata in gratiam benedicti filij. Vocauit Angelus illam solẽni salutatiõe, gratia plenam, Græca vox κεχαριτωμένη, significat singulariter gratiosam. Adiecit: Dominus tecum: quæ verba in eminẽti sensu, quem accipere debemus vtpotè à magno angelo prolata, hãc Dominæ prærogatiuam significãt. Addidit, Benedicta tu inter mulieres, & hoc etiam magis declarat. Nam quomodo inter mulieres Benedicta fuisset, si cum cæteris communi maledictioni subiecta aliquando concederetur? Et benè adiecit cognata, & benedictus fructus ventris tui: quod eleganter exponit Theophilactus, accipiens, &, pro quia, quasi dicens, ideò tu benedicta, quia fructus ventris tui benedictus: non enim ex te benedictio ista tam singularis, sed à filio tuo. Quod & Bernardus egregiè expressit.

Matth. 1.

Adhæc, iubebantur purgari puerperæ per legem, ad expiationẽ orig. peccati, vt declarat. B. Thom. At hæc purgatio ex lege non pertinuit ad virginem, quia lex dicebat, Mulier quæ suscepto semine, &c. At beata Virgo nullo suscepto semine concepit, ideò nec ad illam pertinuit peccatum, ad quam non spectauit legitima peccati expiatio. Deniq; nunquid Paulus Christum segregatum à peccatoribus sine huius rei intuitu vocat? Quomodo enim verè à peccatoribus segregatus fuisset, si Maria mater cum qua cõiunctus fuit quàm arctissimè, cuius peccato fuit subdita? cogita lector hæc, & remoue sectarum affectiones à corde, & facilè persuadeberis nisi cautex sis & truncus.

Luc. 2. Leuit. 12. Ad Heb. 7. Nota.

Sunt autem & innumerabiles in scripturis figuræ, vbi hoc priuilegij licet, non lippis oculis, fideliter agnoscere. Respice ergo primũ ad limum illum terræ vnde primus Adam formatus est. Ille certè & virgo ante omne peccatum, & omnis expers maledictionis, solius

Gen. 2.

Dei

Dei digito tractatus est, vt inde primus homo prodiret. Nonne in hoc facilè virginem nostram agnoscis ab omni maledicto seruatã? vt sic digna esset, vnde, secundus Adam à spiritusancto constitueretur. Neque verò hoc meum esse commentum puta lector: Beati enim Andreæ Apostoli, doctrina est hæc, vt in eius historia clarè patet. Ambrosius idem dicit, & alij multi.

Respice Deinde paradisum plantatum à Deo ab initio ad oriẽtem, vbi plantatum est & lignum vitæ, vnde & quatuor flumina emanabant. Quid in hoc paradiso respicias potius quàm virginem hanc, quæ ante omnem creaturam præparata à Deo, plantataq; ad orientem Christum (ipse est enim oriens) nesciuit occasum? in cuius medio, id est, & corde & vtero platantum est ipsum vitæ lignum, quod illa mente concepit ac ventre, vt sic nũquam ab ipsa vita excideret. Emanarunt autem inde & quatuor Euangelistarum flumina, quorum felicibus aquis irrigata, virtutum omniũ fructus iucũdissimos reddidit. Ab hoc autem paradiso extruditur præuaricator Adam, cum socia sua. Nõ enim quæ delicti prorsus est expers propter vitæ lignum, vllum poterat cum peccatoribus habere conuictum: quam & Cherub cum gladio versatili custodiuit, ne quis malus posset eius maceriam dissipare. Gen. 2. Zach. 6. Gen. 3.

Agnosce in hac maximè, bone lector, magnum illud sacramentum. Hæc est enim vera Heua, illa virago, illa nondum nocens de nondum nocentis Adæ costa sumpta in soporem coniecti, pulcherrima mulierum, os fortissimum ex ossibus eius: propter quam verè ipse homo Christus reliquit, & patrem suum carnalem Adam, & Heuam matrem, quia illorum casum permittens, huic vni singulariter adhæsit, vt in ea tandem reliqua omnis ecclesia colligeretur, & reuiuiscere posset: & verum fieret sacramentum magnum hoc, (vt ait Paulus) in Christo & Ecclesia, vt sit ipsa verè mater omnium viuentium: nam illa potius omnium morientium mater fuit. Ad Eph. 5.

Respice & ad Rebeccam, ad quam seruus Abraæ ille vnus de senioribus mittitur in terram Balhuel, vt accipiat illam filio suo Isaac cui nulla de filiabus cananeis copulanda erat. In Abraam Deum patrem omnipotentem, verè patrem multarum gentium, considera. In Isaac dilectum eius filium, Iesum Christum verum patris risum, & omnium nostrum. In seruo illo de senioribus, nobilissimum illum Gabrielem archangelum, vnum ex septem qui assistunt ante Dominum agnosce. Hic mandato summi Patris mittitur ad terram Bathuel propinqui Abraæ, id est, ad terram impollutam, immaculatam, seruatã à Cananeo, idest, Diabolo negociatore omniũ nostrũ. Gen. 24. Luc. 1.

Terram deniq; castam Deo. ita enim Bathuel interpretatur, virgo Dei, aut castitas, vel castus Deo. In hac terra Rebecca est, anima illa benedicta huius virginis, & ipsa virgo incognita viro. Ipsa locus pinguis, vbi omnia animalia, qui sumus nos, saginantur, farciuntur (hoc enim Rebecca significat) hæc Gabrieli occurrit primùm, quæ sanctis illis meditationibus ac desiderijs, mysterium cogitabat & flagitabat: quando illam Gabriel de repente adoritur salutās, & nonnihil aspectu conturbans, vt sanctam, vt pudicam, timoreq; sancto plenam, cætera longum est explanare, facilè tamen, ex iam declaratis. Ecce quàm manifestè vides istam vnicam segregatā à Cananæis mulieribus, id est, quæ sub patre Diabolo, omnium nostrum negociatore, fuerunt: vt sic digna fieret sponsa Isaac æterni risus, Patris omnipotentis.

Gen. 28. Respice & ad scalam Iacob illam stantem, tangentemq; cœlum, cuius summitati Dominum innixum intuere, & expauesce, cognoscens hanc vnam stare, cum ceciderimus omnes, Atq; ideò stantem, quia Dominus innixus illi. Huic enim soli datum est cœlum

Is. 66. contingere, sedem ipsam Dei, sicut scriptum est, Cœlum mihi sedes est. Hæc est beatissima Christi humanitas, in qua Deus sibi verè cōplacuit quiescens ab omni opere quod patrarat.

Respice & ad ardentem rubum & incombustum, quam videns

Exo. 3. Moses obstupuit. Cur hìc minus mētis quàm corporis integritatē agnoscas, magno miraculo cōseruatā à Deo in ipsa flamma peccati?

Exo. 2. Respice ad Hebræā mulierē, Moseos matrē, quæ licet in Ægypto tamē libera semper legitur, nunquā sub Pharaone captiua, vt possit liberè nutrire filium, & impolluta rubrum mare transire.

Ps. 77. Respice & nubē illā leuē, nubē diei super quā ascēdit Dñs in Ægyptū: & hic similiter agnosce virg. ideò nubē, quia & si orta de terra, eleuata tamē à terra desuper cōspicitur: ideò leuē, quia nullo pecca-

Hier. super ps. ti pōdere prægrauata: ideò diei, quia nunquam illa in tenebris, semper in luce fuit. Neq; hoc meum commentum puta, sed B. Hieronymi, & vt arbitror in spiritu Dei loquentis.

Cōsidera & terrā illā, promissam Hebræis, lacte & melle manātē. Nūquid nō hæc verè Maria est, vnde Christus homo & Deus manauit? Vide autē quāta de hac terra in scripturis sanctis dicūtur, hæc

Exo. & Leuit. & Nu. varijs locis. (inquiūt) terra sup quā leuauit Dominus manū suā, vt daret eā Abraā, Isaac, & Iacob. hæc terra fructifera, spectabilis, cōsiderabilis, desiderabilis: Terra sancta, impolluta, sup quā posuerat oculū suū Dominus, ne scilicet cōtermaīretur: terra super aquas plātata, latissima, pinguissima, fortissima, egregia, præcipua inter oēs terras, vnde botrus ille dulcissimus, quē duo viri, id est, Prophetæ & Euāgelistæ in

vite

vite(Hic est Christus suspēsus in cruce)nobis pēdulū portauerūt. Mitto,quod virga dicitur,vt Ambr.ait,nūquā curuata,semper erecta,quod arca Testamenti de lignis imputribilibus fabricata,ergo nescies corruptionē.Hæc est Nazareth ciuitas floris,Hæc Bethleē ciuitas panis,Hæc Siō,arx Dauid, Dei ciuitas de qua semper gloriosa dicūtur,quia fundauit eā altiss.Quō ergo cōtaminatā aut pollutā? *Is.11. Exo.16. Ps.85.*

Respice ad Iudith viduā,elegāti aspectu,decoráque nimis,cui vir amator eius plurimas reliquit opes,Nā illa hæres vniuersalis.Nōnne hæc est pulcherrima virgo,cui meritō dictū est,Multæ filiæ congregauerūt diuitias,tu supergressa es vniuersas?sed audi egregiū facinus:hæc sola secura,imo etiam tuta,cum cæteri clausi tenerentur in ciuitate per Holophernem valantem illam, & intercludentem omnem aquam vitæ,libera noctu egreditur,quia sola ipsa in nocte illa peccati,qua conclusi tenebamur omnes,libera fuit,vt sic valeat abscindere superbum caput,sicut scriptum erat,Ipsa conteret caput tuum: Quod & fecit:vnde & reuertens verba victoriæ protulit hæc.Viuit Dominus quoniam custodiuit me angelus eius & hinc egredientem,& ibi commorantem,& inde huc reuertentem, O verba pinguissima:Mirantur quomodo sustentata sit à morte Iudith,cuius Dominus viuit,id est vita est:& cui vult, seruare vitam potest.At cur isti soli seruata?Audi,Custodiuit(inquit)me angelus eius,hic nimirum est angelus testamenti,quem Deus ipse misit,vt saluum faceret mundum.Sed aduerte custodiæ substantiam: Et hinc(inquit)egredientem,id est prodeuntem in hunc mundum de communi massa perditionis:& ibi commorantem,videlicet in mūdo ipso,quo tempore Holophernis caput,id est superbiam Diaboli humilitate ac verbo veritatis abscidit:Et huc reuertentem, id est in terram de qua sumpta erat,vt sic videas & in ortu suo primo, & in omni vita, & in morte seruatam ab angelo suo,videlicet, & à communi peccati labe primūm,& à propria quauis culpa,& ita à carnis corruptione,ne exiret in puluerem,vt erat generalis sententia.Verum audi & quod sequitur,& non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari,sed sine pollutione peccati reuocauit me Dominus, gaudentem in victoria sua, in euasione mea, in liberatione vestra. O vera Iudith, quia tu verè laudans & confitens Deo, qui fecit tibi magna,quia potens est.Quid ais non permisit me Dominus &cæte. nisi tanquam apertè diceres; Nolite mirari hoc, quia Dominus est qui potest omnia: hic est qui non permisit me inquinari peccato ancillam suam, quia scilicet summo modo præseruauit, ideō ego gauisa sum in victoria sua: Ille enim vicit in me: non ego sed gratia Dei mecum,&

Iudith tractatur historia. Prouer.31. Considera hæc pie lector & admirare. Gen.3. Nota.

N ij

cum, & Angeli custodis mei. Gauisa inquam sum, & exultauit spiritus meus in euasione mea, & liberatione vestra. Noto verbum ô Sancta mulier, signo mysterium: tu singulariter euasisti praeseruata, nos liberati sumus, scilicet communi liberatione. Nam quomodo poterat clarius se à nobis separare quàm dicens, se euasisse, nos liberatos esse, scilicet vt summè liberatam eam intelligas, quae mansit in caeterorum captiuitate libera. Hoc etiam respexit Psaltes, quùm diceret: Auertisti captiuitatem Iacob, idest Virginis, ne captiua fieret,

Ps.84. Remisisti iniquitatem plebis tuae, scilicet quàm caeteri omnes contraximus. O gloriosa Domina gratias ago tibi quod agnosco & scio, quòd omnia quae dixisti vera sunt, verè mulier sancta es, ora Deum pro nobis. Verè tu benedicta à Domino Deo tuo inter omnia tabernacula Iacob. Verè de te praedicauit Eunuchus, vna mulier Hebraea fecit confusionem in domo Regis Nabuchodonosor, Ecce Holophernes iacet in terra, & caput non est in illo. Vna mulier Hebraea (inquit) idest sola, & libera ad transeundum, & euadendum omnes insidias Diaboli, imò etiam ad inuadendū & prosternēdū superbū. Confusionē fecit in Domo Regis Nabucho. idest in domo plāctus & angustiae, quia (vt dixerunt de te vniuersi) benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te redegit inimicos ad nihilum. De qua & Ozias sacerdotum princeps, Benedicta (inquit) tu filia à Domino Deo excelso, prae omnibus mulieribus super terram. Benedictus Dominus, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum, quia nomen tuum hodie ita magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerunt virtutis Domini in aeternum, pro quibus non pepercisti animae tuae propter tribulationes & augustiam generis tui, sed subuenisti ruinae ante conspectum Dei nostri. Et dixit omnis populus, Amen, Amen. Quare & sacerdos Ioachin cum omnibus presbyteris, vna voce clamat: Tu gloria Hierusalem, tu laetitia Israël, tu honoficentia populi nostri, quia fecisti viriliter, & confirmatum est cor tuum, eo quòd castitatem amaueris, & post virum tuum alterum nescieris: & ideò manus Domini confirmauit te, & ideò eris benedicta in aeternum. Et dixit omnis populus, Amen, Amen. Considera aurea verba haec, & ipsam totam historiam homo fidelis, & passim hanc virginis praerogatiuam perspicies: Aperui enim viam, sed vnum non tacebo, quod tamen exprimam cum dolore propter fratres meos, quibus vehementer metuo ô Domina, & oro ne tangat illos quod adiecisti verbum durum, Vae genti insurgenti cōtra genus meum. Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die iudicij visitabit illos: Dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & sentiant

Confer haec omnia cum scriptura illa.

Not. pro deuotis & cōtra indeuotos Diuae Virg.

ſentiant in ſempiternum. Qui habet aures audiendi audiat, quid ſancta vidua comminitetur malignis.

Reſpice bone lector & ad alteram mulierē formoſiſſimam Eſter quæ repudiata Vaſti ab Aſſuero rege, deligitur ad inſtaurationem nuptiarum propter quam cunctis ſeruis atq; principibus, regale & nimis ſplendidum apparatur conuiuium, & data eſt requies vniuerſis. Nōnne in hac Eſter, id eſt, abſcondita & cuſtodita, agnoſcis Mariam abſconditam illam quidem & ſeruatam ab omni Diaboli commixtione: quam Aſſuerus, id eſt, beatus, & beatificans, repudiata antiqua Heua, ſibi deligit in primariā ſponſam, cui nobile paratur cōuiuium, vbi principes & ſerui omnes, qui in Eccleſia continentur, accumbunt: hoc enim eſt menſa Crucis. Hæc eſt illa Eſter quæ ſola in conuiuio Aman, id eſt, peſſimi Satanæ deteſtata omnes eius delitias, id eſt pomi antiqui pulchritudinem & ſuauitatem, abſtinuit ne coinquinaretur contagio. Hæc illa Eſter quæ in tāto Iudæorum diſcrimine, regias, quæ illam decebant, veſtes deponens, lugubriaq; pro illis aſſumens veſtimenta, cinere ac cilicio ſacratiſſimum ſuum caput obuoluit, aureos atq; ambroſios diſſoluit ac deturpat crines, & indignē lacerat, & replens miſerabili planctu omnia, nullum capit de propria certaq; ſalute, ac felicitate ſolatium, ſed ſupplex pro nobis adorans ait, Tu ſcis Domine neceſſitatem meam quod abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ, & deteſter illud quaſi pannum menſtruatæ, & non portem in diebus ſilentij mei, & quòd non comederim in menſa Aman, nec mihi placuerit conuiuium regis, nec biberim vinum libaminum, & nūquam læta ta ſit ancilla tua, ex quo huc tranſlata ſum vſque in præſentem diem niſi in te Domine Deus Abraām. Hæc Eſter innocens pro nobis nocentibus orans, exorabat. Hæc illa eſter, quæ tertia die, regio perfulgens habitu, ſeq; ipſam præ delitijs & corporis teneritudine non ſuſtinens, ancillis comitata duabus, vt alteri quidem inniteretur, Altera verò pediſſequa in humum defluentia veſtimenta ſuſtineret, ſic ornata incedens, & roſeo perfuſa colore, ſola fidens audet, cunctis prætergreſſis oſtijs, atque cuſtodijs, regium penetrare conclaue. Et ſola ardentes Aſſueri oculos, & minacem vultum plenumq; furoris pectus ſuſtinere potens, commune edictum, nequis atrium ſuæ maieſtatis interius ingrederetur, antequam rex ipſe eleuatam virgām in ſignum clemētiæ ſuæ oſtenderet, capitalem pœnam ſingulari prærogatiua euaſit. Hoc certē erat edictum illud, quòd cum ſeſe ab omnibus abſcondiſſet iratus Rex ob antiquum flagitium, in penetralia beatitudinis ſuæ, nulli hominum liceret ante conſpectum ipſius comparere,

Tota hæc hiſtoria legitur in proprijs uerbis in lib. Eſter.

ni prius virga illa sua, nimirum humanitas, in signum clementiæ extenderetur in cruce. Sed hæc Ester, non se nudam sentiens Dei gratia, sed præ omnibus charitate tuta sacraq; incedens, ac primæ innitens ancillæ, quæ summa erat fiducia de sponso suo, & altera sustinente defluentia vestimenta, ne humi deciderent, Hæc erat humilitas suarum omnium custos virtutum, Sola ingredi audet penetralia Regis. Vnde hæc tibi obsecro tanta fiducia, O Maria? En ipse Rex toto spiritu mansuetudinis in te conuersus, & effusus toto charitatis impetu de solio suæ maiestatis exiliens, te vnicam in suis vlnis cōplexus, sustentans ne caderes, alioqui proculdubio casura, dulciter tibi ô charissima blanditur, dicens, Quid habes Ester? Ego sum frater tuus, Noli metuere, non morieris: non enim pro te, sed pro hominibus, aut (vt alibi legitur) pro omnibus, hæc lex est constituta, Heus contradictores, hic vos appello, assistite coram Rege assuero: Quid dicitis? Nempe quòd mortua est Maria in Adam. Et Assuerus pronunciat illam liberam à morte: vos struitis syllogismos, & dicitis, Omnes homines in Adam mortui sunt, ergo & Maria quæ fuit homo. Sed audite Regium verbum, & inauditam sententiam. Pro omnibus (siue) pro hominibus constituta est hæc lex, sed non pro te Ester mea. Audite quæ non discuntur in physicis, aut dialecticis, Non est inter omnes, aut inter homines Regina, sed super omnes & supra hominem: sicut dixit vterq; doctor & August. & Hieronymus, supra quàm homo & Virgo, Gratia tamen, non natura: ideò indignū erat vt computaretur Regina cum seruis: ideò illi soli dictum est, Accede & tange sceptrum, cuius contactu, ipsa certè pleniè, ac integrè saluata est.

Ioan. 19. Denique si quieta mente respicis, Lector, Christum in sindone illa munda inuolutum, quam mercatus est Ioseph: vt sic nulli alteri mancipata vnquam officio intelligatur, sed solum obuoluendo Christo designata: si etiam considerabis illum in orto & sepulchro positum, illo quidem exciso nouo ex petra: & in quo nullus anteà positus fuerat: certe in his duobus elegantibus typis considerabis

Ier. 31. Virgineum corpus terrenum, sed & cor illibatissimum. Corpus dico, quod velut mundissima sindon nulli alteri mancipatum officio, circumdedit virum. Cor autem, velut sepulchrum semper nouum, quod aliud recipere non potuit, nisi Christum suum, non Adam veterem terrenum, sed nouum cœlestem Iesum Christum & hunc crucifixum. Quòd si molestè insistant, quoniam Maria de iure debuit contrahere hoc vitij cum orta esset ex parentibus peccatoribus, aduocabo mihi Lucā testē contra molestos, Lector attēde.

Nota. Regnabat in mundo Cæsar, hic est Diabolus, qui de matris

vtero

vtero (videlicet cœlesti angelorum Ecclesia) cæso, excisus est, & venit inde in mundum, vt perderet illum. Quo expugnato, obtinuit regnum & auxit vehementer, & custodiebat illud & omnia quæ possidebat, in pace: quando abundante peccato, & ita regno Diaboli maximè vigente, vocatur vniuersus orbis ad descriptionem, vt profiteatur quilibet sub Cæsare isto & Satana se captiuum. Quid hîc agat Maria? Heus Lucas dic nobis, testis verax. Ascendit (inquit Lucas) Ioseph à Galilea in Iudæã ciuitatem, quæ vocatur Bethleẽ, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore pregnante. Hem, hinc iam debitum agnoscit Ioseph, & suum, & Virginis. Quid ergo, professa est Maria debitum hoc sub Cæsare? Absit, vocatur quidem & illa, vtpotè quæ huic debito subdebatur, ni alia parte excusaretur? Quid ergo citationi respondeat? Nimirũ. Alio negocio magno impedita est, quo maximè excusatur. Quonam, rogo? Audi Lucam, qui habes aures: Cum essent ibi (inquit Lucas) impleti sunt dies vt pareret, & peperit filium suum primogenitum, & inuoluit pannis, & reclinauit in præsepio. Et sic legitimè impedita est eius descriptio: Non enim passus est Iesus describi sub Cæsare Augusto, matrem suam, quæ ipsum Augustissimum verè mundi principem peperit. Considera Lector, Pone si quem habes affectum & dabit tibi Deus in omnibus intellectum. Luc. 2.

AMEN.

DE CONSVMMATA GLORIA SOLIVS CHRISTI, AC DIVAE VIRGINIS

LIBER VNVS.

QVOD IESVS CHRISTVS TERTIA die resurrexerit resurrectione perfecta & gloriosa, articulus est & summa quodammodo fidei nostræ, & in scripturis explicitissimè traditum. Quòd autem similiter & ipsa Virgo resurrexerit gloriosa, quidam de serpentis semine negant, quidam verò quasi prudentes, & qui sibi ab eo verbo metuunt, Qui citò credit, leuis est corde, fatentur se dubitare. Quòd si accidisset antequam sacrosancta Ecclesia hoc Diuæ Virginis priuilegium tot annorum curriculis ac tanta solennitate celebrasset, & priusquàm gloriosi Doctores in hanc sententiam absque dubitatione tandem conuenissent, certè venia digni essent, etsi fortè non laude. At postquã Ecclesia in festo Assumptionis eius hanc fidem profitetur, vt declarabimus, & in eàm Catholici doctores ac religiosæ mentes magno consensu concurrunt, perfidi animi ac maligni esse puto resistere, ac valdè duri non consentire. Nos autem Deo gratias agimus, quòd horum siue perfidia siue durities cordis, nos excitat in meditationes ad elucidandas huiusmodi veritates. Quamobrem duo hac disputatione conabor euincere: scilicet non solùm eam Virginem ea felicitate integræ resurrectiõis potiri, verum etiam ipsam solam inter natos mulierum tanto priuilegio gaudere. Et circa primum, ea primò proponam breuiter quæ huic veritati prima facie obstare videntur, vt ijs resolutis facilius ipsa pateat.

Ecclesiasti. ci. 19.

PRimùm igitur mouere aliquos potest, quòd hoc in scripturis non videtur haberi: temerè autẽ aiunt asseri quod non accipitur inde. Deinde quòd scripturæ potius oppositã partẽ suadẽt: Tũ quòd est sententia Domini generalis in omnes, Puluis es & in puluerem reuerteris: Tum verò, quod de Christo singulariter dicitur: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem: nam ille solus est cui substantialiter conuenit iuxta verbum Angeli, Quod ex te

Gene. 3. Psal. 15.

nascetur sanctum. Si autem quod Christi est, etiam Virgini tribuatur, iam videtur non esse aliud, quàm illam æquare velle Christo. Quod hæretici mirifica pietate perculsi, vt rem indignam atq; præposteram deplorant. Adijcitur & Hieronymi grauis autoritas, qui non ausus (vt aiunt) hanc rem asserere, illam sub dubio maluit, quasi non satis compertam atq; probatam, relinquere.

Hæc sunt quæ contra hanc sententiam possunt occurrere: Nos igitur ijs obuiam euntes vt destruamus, ad primum sic respondemus, iam notum esse hæreticorum argumentum, qui nihil rationi, nihil autoritati doctorum nisi pro se fortè afferant, nihil Ecclesiæ consuetudini & sensui tribuunt: Sed illud solum recipiendum iactitant, quod euidenter & expressè in scripturis habetur. Et cum hoc, nihil quicquam fatentur expressum, nisi quod eis videatur expressum. Quòd si hac tam arcta regula constringimur, iam non licebit credere & asserere Christū post resurrectionem suam matri suæ apparuisse, nec illam vnquam illum adorasse, nec suis lactasse mămis & fouisse sinu: & alia illi materna munera exhibuisse. Nam hæc ipsa insani quidam hæreticorum, cum essem Tholosæ, negabant. Verùm audi acute Lector. Si nihil est asserendum, quod non habetur in scripturis expressum, certè neq; hoc ipsum dictum est asserendum (videlicet) Nihil esse asserendum quod non habetur in scripturis expressum, cum id in scripturis non sit expressum. Rursum audi ô pie, Erasmus ait: Nec virginitatem perpetuam. B. Mariæ, nec descensum Christi ad inferos, neq; spiritum sanctum procedere à filio: imò nec ipsam naturarum vnionem in verbo expressè haberi in scripturis. Si hæc vera sint, ergo nihil horum asserendum ex data regula. O scepticum hominem, ô verè Atheon. Sed dicet quis, Atqui habentur expressè in scripturis quæ negat Erasmus haberi, Equidem minimè dubito. Sed cum id contenditur, an sit expressum quid in scripturis, quis nos docebit? quis contentionem amouerit decidendo? Nam idem penitus, quibusdam auribus sat expressum est, quibusdam verò quæ sunt crassiores non item. Ergo illud satis expressum in scripturis censeri debet, quod ipsa scriptura vel apertè continet, vel ita porrigit vt certò illud valeas argumēto colligere. Verbi gratia: Habes à scriptura quòd virgo erat Christi mater, habes ergo etiā consequenter, quòd illi materna exhibuit munera quæ aliæ matres consueuerunt: Habes & quòd illā primùm visitauit Dominus post resurrectionem, ne ingratus esset illi, & dolori eius eximio, qui velut gladius pertransiuit animam eius. Item dixit ei angelus, Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei. Ex hoc habes quòd & illum statim cum peperit adorauit: ac simul habes quòd virgo fuit,

Erasmus notatur.

Luc. 1.

O & virgo

& virgo mansit: ne cogaris admittere rem infandam & omni abominatione & horrore dignam, & hortum benedictum, & cultui spiritus sancti sepositum, coluerit homo. Adhæc satis expressum illud esse in scripturis censendum est, quod ratio ipsa naturalis probat supposita fide. Item quod ipsa ecclesia, cuius autoritas in scripturis ipsis probatur, cum illa etiam scripturas probet, & interpretetur.
1.Cor.11. Nã Paulus qui mandat mulierem velato capite ornare & prophetare, vnde quæso illud accipit à scripturis? vnde probat? Quo argumento claudit os contentioso? Nunquid non à mystica ratione primùm procedit, vt persuadeat literato? Quoniam (inquit) caput mulieris est vir. Nunquid non & ratione naturali id adiuuat, vt & suadeat illiteratis? subijciens, Vos ipsi iudicate, decet mulierem non velatam orare Deum? nec ipsa natura docet vos. Deniq;, quo argumento opprimit contentiosum? Audi. Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neq; ecclesiæ Dei. Sic & nos faciemus in hoc articulo: probabimus enim (pro qua disputamus) veritatem & à mysterijs scripturarum, & à ratione naturali, deniq; & ab ecclesiæ sensu, vt persuadeatur omnibus, & contentiosis ora claudãtur. Sed prius pergemus respõdere obiectis.

NOn obstat igitur sententia illa generalis lata, Puluis es & in puluerem reuerteris. Nã B. Vir. in pluribus exceptã fuisse ab illo maledicto antiquo (sicut Aug. & omnis Theologorũ schola docuit) non est iam Christianus qui ambigat, & nos quod ad hoc pertinet, alio libro de eius conceptione satisfecimus, vnde potuerit mutuari qui volet. Nam qui illud recipiũt, quòd præseruata fuerit ab originali peccato, & id recipere consequenter debent, quòd seruata sit à carnis corruptione quæ ex peccato descendit: & ita consequenter exaltatam in gloria incorruptam illam carnẽ. Similiter qui hoc recipiunt, quòd à corruptione illa caro seruata est (vt certè recipiunt qui Thomam & Augustinum & communem doctorum sententiam sequuntur) & illud consequenter de præseruatione à peccato illo deberent recipere: nam hæc mutuo se consequuntur, quod quidam sentientes vtrunq; negare incipiunt, planè indicantes cuius sint seminis filij.

QVõd verò adijciunt de Christo singulariter esse dictũ, Nõ dabis sanctum tuum videre corruptionem, libenter recipimus, modo non segregetur à viro mulier, de quibus illud primùm intelligi oportet, Erunt duo in carnem vnam, vt quæ Christo iure suo Gen.2. debentur, ex priuilegio extendantur in Virginem sicut & alia multa quæ sonare videntur de Christo, extensione etiam ad Virginem
Ioan.14. applicantur, vt illud, Venit princeps mundi huius & in me non habet

bet quicquam. Item illud: Adorent eum omnes Angeli Dei: Hoc enim & in virginem suo modo competit, quæ (vt confidenter canit Ecclesia) exaltata est super choros Angelorum ad cœlestia regna. Nec propterea quod hoc damus Matri, filio derogamus, cum potius illi arrogemus quæcunque priuilegia de Matre eis asserimus, non suo ipsius iure, sed in gratiam filij sui ei damus. Et iccircò omnia filio, propter quem & per quem sunt omnia, tribuimus. Et multum interest quæ habentur, habeantur ne ipso iure, an ex priuilegio data sint, & cuius gratia principaliter, quod & superiore tractatu monstrauimus.

Ad Hebr. 1.

QVod verò de Hieronymo fertur, quòd ipse de hoc nostræ Matris priuilegio dubitauerit, non est vt putatur. Ille enim cùm istam quæstionẽ in suo sermone proponeret (videlicet an virgo ipsa perfecta gloria cũ corpore potiretur) & induceret quosdam, hoc illi asserentes, quoniam idem Dilecto discipulo etiam dabant (videlicet) quòd ipse quoq; esset cũ corpore beatus, Respõdit hoc quod de Dilecto supponebãt nõ constare, dixit enim. Verũtamen quid horum verius censeatur, ambigimus. Melius tamen Deo totũ cõmittimus, cui nihil est impossibile, quàm aliquid temerè definire velimus autoritate nostra quod non probamus, sicut de his qui cũ Domino teste Euãgelio surrexisse credimus & c. hactenus Hier. nihil de Assumptione Mariæ respondit, sed per occasionem de illius discipuli consummata gloria, quæ sumebatur in argumentum ad probandam virginis resurrectionem perfectam. Rectè ergo & prudenter dixit de illo censeri ambiguum, nec sua autoritate velle definire, quod non probabat, sicut & de alijs quos in morte Domini dicit Euangelista resurrexisse, nolens tamen omninò destruere illorum sententiam, suasit hoc Deo committendum esse cui nihil impossibile. Ergo quum rem in ambiguo ponit, & non probari sibi fatetur, non de resurrectione. B. Virginis loquitur sed euangelistæ Ioannis, & illorum qui sub Cruce Domini resurrexerũt. At quum ad gloriosissimam Virginem venit, multò aliter loquutus est. Adiecit enim: Quod, quia Deo nihil est impossibile, nec nos de. B. Virgine factum abnuimus, quanquam propter cautelam salua fide, pio magis desiderio opinari oporteat, quàm inconsultè definire quod sine periculo nescitur. Hæc ille. Ex quibus verbis non potest dici quòd Hieronymus dubitauerit, qui ait id potius esse opinandũ pio desiderio, quàm incõsultè definiẽdum. Aliud est enim ambigere & dubitare, aliud est opinari. Qui opinatur, alteram partem quæstionis eligit cui hæret, & si non firmiter: qui verò ambigit, nullam. Itaq; Hieronymus tantum diffinitionem rei prohibet, non opinioñẽ. Nã

In sermo. de Assump.

harum rerum definitio nullius est nisi ecclesiæ. Assertio verò potest esse scientium, ac plenè persuasorum, nisi fortè scandalū creent quū res in ecclesia non satis recepta fuerit & explorata. At quum eò peruentum fuerit, vt in aliquā partem inclinet Ecclesia, quod sæpe indicat celebrando vt nunc facit, ac tam diuturnè fecit, non est censenda periculosa cuiusquam assertio, quum tamen non cogimus quenquam autoritati nostræ assentiri, sed magis ecclesiæ spiritum sequentes commēdemus veritatem. Nec enim quia Hieronymi tempestate hoc non satis tractatum erat, ac iccircò non exploratum satis, ob eā causam sic esse, & sic manere perpetuò debet. Alioqui quanta nunc reuocarentur in dubium, si ad illa tempora rediremus quando non erant sic tractata & sic definita? Et cum ita sit, pleriq; tamen sunt adeò simplices, vt ijs obiectis vehementer moueantur. Aiunt enim, dubitatum est aliquando, vt hinc sequatur, Ergo semper est dubitandum. Quod si recipimus, satis est ad euertendam vniuersam fidem. Cur autem non potius econtrario sic deputemus? Age dubitauerit Hieronymus, demus hoc, licet reuera non dubitauit: non tamē dubitauit Aug. qui nequidem potuisse se dubitare affirmat: non dubitauit Bernardus, non Thomas & quicunq; pij: sed omnes vnanimiter hoc priuilegium dederūt virgini, idq; exploratis profundius scripturarum testimonijs & validioribus argumētis. Neq; verò propter historiam perturbandi sumus, quasi nihil aliud habeat (vt aiūt) nisi quòd mortua est & sepulta: nam hoc etiam habet, quòd vacuū postmodo sepulchrum illud apparuit, sicut illud filij sui. Ex quo in huius rei coniecturam venire licet, quòd sacratissimum corpus illud (vtpotè templum Sancti sanctorum) similiter nec viderit corruptionem, nec potuerit detineri in terris quod cœlo tātum dignum erat. Quod nunc etiam de scripturis tentabo suadere.

Ps. 131. LEgimus in psalmis & canimus: Surge Domine in requiem tuā, tu & arca sanctificationis tuæ. Hæc verba ad literam ad requiē Christi pertinere, quæ fuit illi ex resurrectione, ipsamet indicant. Sic Hebr. 4. enim Paulus interpretatur requiem Domini. Sed cum illi adiungat Arcam sanctificationis suæ, vt & illa resurgat, quid quæso per Arcam istam intelligat quis aut verius aut commodius quàm Mariam? Non me latet aliter à quibusdam ea verba exponi, sed vehementer velim hominem prudentem & non affectum ipsas conferre interpretationes, & illam cui magis lux veritatis assistit eligere.

Adhæc radix huius veritatis in illa veritate sustinetur, quòd non est conueniens manere sponsum & dilectum sine sponsa sua & dilecta. Dico autem sponsam & dilectam vnam illam & peculiarem. Et propterea in ea parabola virginum, dicitur quòd illæ exierunt

obuiam

obuiam sponso & sponsæ. Si sponso, ergo Iesu Christo. Quid igitur attinebat dicere & sponsæ: nisi vt illud sciremus quod. B. Virgo sponsa primaria & electa, veniet cum Domino Iesu, vtpotè iam olim cum illo beata cum corpore, & veniet cum illo ad iudicādum. Nec hîc me latet quosdam, quia nesciebant aptare hoc de sponsa, non sic legere, sponso & sponsæ, sed tantum sponso. Verùm tamen veritas literæ (vt veteres enarrantes testantur) sic habet. Quòd autem non in hunc modum alij exposuerint, nihil mouere debet quēquam, nam ita exposuerunt, vt nec sibi fortè satisfecerint: pro sponsa enim ecclesiam accipiunt, & quum illæ virgines non sint aliud quàm ecclesia, ecclesia ergo exibit obuiam ecclesiæ? Tu ipse censebis lector. Quare nec ab re etiam hic dixerim. Confer alias expositiones cum ea quam dicimus, & vbi magis quiescis, ibi te loces donec aliquid satius videas. Redeo ad rem & rationem de prudente requiro. Si hoc meruit, sponsus etiam pro sponsa nisi illa forte demereatur, quis accusabit aduersus eā qui nihil peccauit vnquàm, sed ab omni penitus labe seruata est? quæ carnem etiam dedit Iesu per quā ille meruit quicquid meruit: quæ est vna caro cum illo. Nunquid obsecro perfectè esset totus Christus in cœlo, si non secum haberet sponsam indiuiduam & inseparabilem: quæ ministrauit illi tanta cura: tanta sollicitudine, tanto tempore, vt mater vt soror vt spōsa dilectissima in omni tribulatione & angustia? Hæc enim illum primò meruit multa charitate & desiderio in vtero concipere, & gestare mensibus nouem: hæc peperit & adorauit: inuoluit pannis, & reclinauit suauiter in præsepio, & circuncidit, & præsentauit in templo, & fouit sinu, & lactauit vberibus, & abscondit ab Herode, & fugiens, exilium pertulit cum illo & propter illum, septennium occulta manens in Aegypto, vnde reuersa & semper de illo materna pietate sollicita, quodam tempore cum dolore & anxietate nescia vbinam esset, triduum perpetuum conquisiuit, & tandem inuenit in tēplo. Ille amor, ille dolor, illa sollicitudo nobis ineffabilis incomprehensibilis amantissimæ matris & electæ sponsæ suæ, quid non merebatur? Sed hæc ludus sunt præ acerbioribus quæ perpessa est, quando iam vir maturus cœpit euangelium prædicare inuidentibus Phariseis & Scribis & Pontificibus, & insidias illi assiduè tendentibus. Quid quæso tunc doloris non pertulit? cuius amaritudinis expers fuit? quæ penè semper lateri eius iungebatur, & audiebat opprobria & detractiones & susurrationes & murmurationes iniquissimas in dulcem filium & innocentissimum, imò & beneficentissimū illi genti perfidæ & ingratissimæ. Quid dicam de Crucis opprobrijs & passionibus, quas non solùm ipsa vidit, sed pertulit, & qua-

Hæc paßim in Euāgelijs habentur.

Matth. 2.

rum pars magna fuit? De ipsa enim sola scriptum est, quòd stetit iuxta Crucem, & quod nunquam secuta sit eum à longe. Cæteri autem prorsus omnes à longe quandoq; fuisse describuntur. Ipsa semper prope, eius animam pertransiuit gladius, & cum illo martyr effecta est, & plusquã martyr, quæ vere exanimata fuit, & veluti prior Hæua dulcem fructum gustauit, & obtulit viro suo ad mortem suam & nostram: ita hæc Heua secunda deglutiuit amarum cibum crucis, & viro detulit Christo, qui & ipse gustauit ad vitam suam & nostram. Sic enim oportuit vtrunque pati, & ita intrare in gloriam suam. Nam quæ sponsi erat gloria, etiam sponsæ ex congruo debebatur. Ministrauit ergo illa assiduè Christo suo, cui dedit & carnem, quam per passionem referret in gloriam, & non dico solum carnem quæ præcisa fuit ab illa quasi limo terræ, vnde ipse secundus Adam viuificator noster constitueretur, sed carnem etiam propriam, quam retinuit sibi, hanc dedit (vt diximus) quum & filius suã daret in cruce, & vterq; vtrãque obtulit sacrificiũ Deo. Filius quidem suam & matris sponsæq; carnem: mater autem & sponsa similiter filij sponsiq; carnem & suam, vt sic perfectum esset sacrificium duorum passerum, & duorum pullorum columbarum. Hem quando hoc mihi dabitur vt hæc intelligantur & cum gaudio recipiantur à pijs? Si igitur talis & tanta fuit ministra Domini quæ sequuta est illũ semper, nunquam segregata ab illo anima & corpore in tota vita sua, cur post hanc vitam non credimus cũ illo inseparabiliter coniunctam, esse beatam & gloriosam etiam corpore? Egregiè enim hîc ponderat Augustinus verbum Domini, *Si quis mihi ministrauerit, me sequatur, & vbi sum ego, illic & minister meus erit.* Dignum autem fuit impleri verbum Domini perfectè in ministro perfecto. Nullus autem perfectè sequutus est Christum in tota vita, & in eo salutis opere, nisi illa sola. Audis de discipulis omnibus, quòd omnes scandalum patiũtur & aufugiunt: Petrus etiam ter negat, negaturus & milies, si milies fuisset interrogatus, & si quando sequitur, à longe tamen sequitur, & alij à longe: Sic & mulieres aliquando à longe, etiam illa feruentissima Magdalena. Hæc sola est vnica sponsa & mater amantissima, de qua nihil tale legis. Sequuta est enim propè, & iuxta Crucem manens, etiam alios ibi congregat iuxta Crucem, & hoc pacto ministrauit Christo perfectè. Quæ igitur ministrauit perfectè Iesu filio, vt semper iuxta illum esset anima & corpore, ac præsertim in Cruce illa, cur non etiam perfectè potiri debuit mercede, vt vbi ille est, etiã illa sit, anima & corpore, & non merces suspẽderetur ad tempus? Hoc enim nec filius de matre, nec Pater de filia primogenita,

Io. 12.

Matth. 26. Marc. 14. & alibi.

mogenita, nec sponsus de electa, nec frater de sorore charissima ferre possent. At beata Virgo fuit singulariter hæc omnia, Iesu filio. Dedit ei carnem & peperit, Ergo mater. Accepit spiritum de latere eius, & ædificata est primùm ipsa velut Heua, ergo filia primogenita. Huic ille primò iunctus est, præcepto Dei, vt sint duo in carnem vnam, Ergo sponsa primaria. Vterque Deum habuit autorem, ita tamen vt mulier de viro, non econuerso, ergo frater & soror. Quid igitur prohibeat ne simul perfecta hæreditate perfruantur, & in vno eodemq; cubiculo ac domo cum primùm defuncti sunt vita ista, recipiantur? debuit hoc certè Pater filiæ, Matri filius, sponsus sponsæ, frater sorori, socius sociæ. Pertinet ergo ad gloriam Christi, vt hoc illi tot nominibus dederit. Pertinet & ad lætitiam ipsius Christi plenam, vt corporis Ecclesiæ gloriam inchoauerit in Maria. Pertinet & ad angelorum gaudium de ipsorum Regina. Pertinet & ad spei nostræ confirmationem, vt & nos confidentius speremus quod inchoatum videmus in matre nostra. Pertinet denique ad Ecclesiæ totius thesaurum. Assumpta est enim illa vt possit interpellare patrem pro nobis, & effundere dona hominibus, & mulieribus sexui suo: cum illa iam satis in se abundans nulla indigeat pro seipsa gratia. Si ergo ô dure & grauis corde hoc metuis Mariæ concedere, concedas Christo saltem in cuius gratiam hoc factum credimus, & quantum nobis licet per ecclesiam, id cũ illa asserimus. Concede id Angelis qui hoc desiderio tenerentur de regina, si fortè hæc illi gratia deesset. Concede ecclesiæ quæ hinc spem contrahit firmiorem, & dona capit. Nã quæso nota bone lector prodigium. Sunt enim qui volunt eos qui resurrexerunt cũ Domino, etiam regnare in cœlis cũ illo, quia decens erat (aiunt) ibi esse Christũ nõ sine mẽbris aliquibus, & quadam inchoatione resurrectionis ecclesiæ. Nunquid nõ hoc prodigiũ est, vt alij in hoc priuilegio anteuerterent matrẽ atq; illi præponerentur? Adhæc considera obsecro priuilegia reliqua tantæ sponsæ & matris, si hoc desit nonne aliquid meritò desiderare posset à filio & sponso suo, & illud quidem magnum? Scimus enim quòd eius anima gratiosa fuit illi super omnes animas, quia inter mulieres benedicta, & verè gratiosa singulariter, & gratia plena vt dixit Angelus. Quomodo autem plena, si hoc illi animæ desit, vt corpus suum adhuc desideret? Item corpus eius fuit in omni pudore præseruatum, vt nullus reuelauerit turpitudinem eius quæ nulla fuit, quia spolijs non indiguit, cuius precium procul fuit, ac de vltimis finibus. Si ergo corpus eius ante tot & tanta sua & Christi merita pro illa præseruatum est à corruptione pudoris, cur

Nota hæc pie.

Caieta. hoc ait.

Prou. 31.

non

non & post tanta illa contracta merita, post Christi gloriam & spiritus sancti effusionem, non sit à corruptione putoris seruatum? Si Domini sepulchrum gloriosum sicut scriptum est, quantò magis domus illa Bethleem vera, quæ illum tanta superuentiõe gratiæ spiritus sancti recepit, seruauit, atq; effudit? dignum profectò meditatore & contemplatore cœlestium, imò & prope dixerim spectatore, verbum protulit Augustinus pro domina Dea nostra, quod nõ pigebit referre. Istud ergo sacratissimum corpus (inquit) de quo Christus carnem assumpsit & diuinam naturam humanæ vniuit, nõ amittens quod erat sed assumens quod nõ erat, vt verbum caro (hoc est) Deus homo fieret, escam vermibus traditum in communi sorde putredinis, & futurum de vermibus puluerem, quia sentire non valeo, dicere pertimesco: hæc ille. Quòd si non est passum corruptionem, vbi ergo erit? qui locus dignus illud recipere nisi paradisus Dei? hoc & non aliud possum cogitare de tantò thesauro, cuius dignus non erat mundus, Alioqui si hoc depositum habet terra, vbi gentium reperiatur? Nusquam enim apparet. Sunt autẽ reliquiæ corporũ Ioãnis baptistæ, sunt Petri & Pauli & cæterorum (Ioannem dilectum excipio) & adorantur. Cur non igitur & reliquiæ aliquæ B. Virginis vt adorentur & illæ? An fortè corpus eius etiam minoris fuit æstimationis apud Deum, vt neq; in cœlo sit neque saltem conspicuum in terris, vt cum cæteris relictis sanctorum reliquijs promeritam adorationẽ accipiat? Scimus iustorũ corporũ & defunctorũ receptacula duo dari post mortẽ, terrã ad tempus, & cœlum perpetuò. Sed nostræ Reginæ corpus nusquam apparet in terra, Quis ergo illi adeò malus cœlum inuideat? Nonne corpus illud meritò spectabile angelis Dei, quod in se angelorum Dominum conclusum habuit? At certè ipsi angeli vident reginam suam in cœlis cum rege perfectam, quam cum illo etiam adorant, quorum etiam vocẽ ego mihi videor legens agnoscere, quando assumebatur in cœlum: suscipientes enim illam & incredibili cum lætitia honorantes, cõcinebãt: Quæ est ista quæ ascendit de deserto delitijs affluens innixa super dilectũ suũ? Ascendit Christus, ascendit & Christifera: sed ascendit ille nulli innixus, At illa innixa super dilectum suũ: & hoc fuit assumi, vt quæ paruulum gestauit in terris, ab ipso magno gestaretur in cœlos. Denique hoc annotari velim, celebrando nos Assumptionem Mariæ, si non aliud celebraremus quàm eius animæ ascensum & gloriam non etiam corporis, profectò non esset singulare hoc festum assumptionis eius. Cur ergo singulare Assumptionis nomen illi festo tribuitur? Quid enim vetat etiam vocare festũ assumptionis Apostolorum, & cæterorum sanctorum, quorum colimus exitum de hoc mundo

Isa. 11. — *In sermone de Assump.* — *Cant. 8.* — *Nota pro spiritu ecclesiæ.*

mundo & animarum gloriam: sed non est propriè assumptio nisi corporum animatorum. Sic assumpsit Dominus Petrum, Iacobū, Ioannem, & sic alibi, quum hoc vocabulo scriptura vtitur, intelligitur. Et vide vt plenè à Spiritu sancto docetur ecclesia veritatē, Christi Ascensionem colimus, quia suo robore & viribus ascēdit: matris assumptionem, quia à dilecto filio est assumpta: cæterorū nihil tale, sed vel martyria, vel mortem alioquin preciosam celebramus, quia tūc anima beatificata est, & sperat certè de corpore sua die. Est præterea in multis ecclesijs oratio quæ hoc planè enunciat. Veneranda quæsumus domine huius diei festiuitas opem conferat salutarem, in qua sancta Dei genitrix mortem subijt temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ filium tuū Dominū nostrū de se genuit incarnatum. Quid ergo dicimus, aut quid concludimus pro matre & sponsa Christi, dignum tamen ipso sponso & filio, nisi quòd ipsius gratia (scilicet sponsi sui ac filij) non est sub illa cæterorum regula & finibus concludenda, cuius gratia adeò superauit naturam, vt cùm esset homo nostræ carnis, gratia & honore celsior Angelis facta sit: vt iam non hominem dici eam sit fas, quæ mater est Dei, quæ amicta Sole & coronata duodecim stellis Lunā habet sub pedibus. O dea certè, quæ adeò particeps fuisti diuinitatis, vt sola seruata sis tanquàm paradisus Dei, Dei manibus excolendus. Quòd si naturæ corruptio, carnis opprobrium est ex peccato contractū, quid habet cōmercij peccatū tecū ô sacratissima virgo, & cū virgineo illo tuo corpore corruptio, ô incorruptissima, ô arca totius sanctificatiōis, quæ sanctum illud seruare ac proferre meruisti, quod nō solū sine peccato fuit, sed ipsius extinctio atq; depulsio peccati. Hæc de te sentio, & longè minora ijs sunt quæ verè sunt de te. Hæc de te scribo, sed longè ineptius quàm tua pulchritudo atq; excellētia mereatur. Hæc de te scio sentire filios & amicos tuos, & gratias ago, & peto vt me miserum digneris velut vnum saltem ex minimis cū illis aggregare & annumerare. Deniq; obsecro vt veniam mihi tribuas propter excellentiā tuā, quæ omnem laudem superat, ô Beata, quòd hæc vt potui frigidus de tua perfecta gloria cōmentus sum, ô gratiosa super omnē creaturā, & alios quæso tibi para à quibus audiāt amātes tui, & ego cū illis meliora, teq; digniora, quæ viuis & regnas post Deum tuum cum ipso in sæcula sæculorum. Amen.

Matthe. 17.

Apoc. 12.

Quòd hoc priuilegium consummatæ gloriæ fuerit diuæ Virg. singulare.

CVm hoc igitur iam dederimus Virgini confitētes eius gloriam excellentem in corpore suo, quòd hoc nulli hominū similiter

dandum sit, nunc est ostēdendum. Iā de Henoch & Elia alibi quod probabilius est conclusimus, scilicet quòd & si nō gustauerint mortem, gustaturi sunt tamen, & illam quæ admodū preciosa est in conspectu Domini, vt dilectus testatur, interim in terrestri paradiso seruantur. At de ipso Ioanne non satis cōstat inter Doctores. Facit autem quæstionem tum id quod sæpe de illo particulariter Christus in euangelio enūciauit, tum verò quod habet historia de eius exitu ex hoc mundo, quæ quoniam habent doctrinam non insuauem de prouidentia Dei erga nos, ideò non tædebit & hac de re disputare.

Apoc. 10.

Prima ergo sit illa quæstio, vtrum sit ille verè mortuus. Nam quidam aiunt, quidam verò negant. Qui aiunt, nescio vnde moueantur nisi hoc argumento quòd statutum est hominibus semel mori. At hoc non valet nisi contra eos qui ponerent illum nec esse mortuum, nec esse moriturum. At qui aiunt illum non mortuum, moriturum tamen, idq; ex verbo Domini, hoc argumentò non feriuntur. Sunt enim qui vehementer existimant illum similiter mori turum testem euāgelij in persecutione Antichristi cum Henoch & Elia, quorum alter testificabitur Christo in lege naturæ, alter in lege Moseos & doctrina prophetarum. Desideraretur ergo testis euāgelij & legis gratiæ (inquiūt) nisi poneretur & vnus ex primoribus Christi Discipulis Euangelij testis in illa die: hunc autem aiunt esse Dilectum. Et certè vt mihi videtur rem valdè probabilem proponunt, quæ & argumentis (ni fallor) penè euincitur. Primò enim dixit Dominus: Sunt de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videāt filiū hominis venientē in regno suo. Quæ verba quo pacto sint vera, nisi hic saltē discipulus sit qui non gustauerit mortē, vt accipiatur plurale pro singulari, vt interdum solet, non facilè est videre. Nam cæteri apostoli proculdubiò omnes mortui sunt. Nec valet quod quidam dicūt, hoc Domini dictum verum factum fuisse quando transfiguratus fuit. Non enim tunc verè dici potuit veniens in regno suo & in virtute, per quod manifestè vltimus significatur aduentus. Nam verba Matthæi hæc sunt: Filius hominis venturus est in gloria patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera sua. Et statim subiecit: Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videant filium hominis venientem in regno suo. Et Marcus etiam expressius dixit: Sunt quidam de hic stantibus qui non gustabūt mortem donec videant regnum Dei veniens in virtute. Quòd si quodammodo verba hæc inchoare sui verificationem videantur in transfiguratione illa, non tamen implentur vt oporteret. Quod verò alij putant verificata esse post resurrectionem quando apparuit

Heb. 9.

Matth. 16.

Marc. 11.

illis

illis gloriosus in virtute, minus quoq; probabile est, tum quia non propriè vocatur ille aduentus cum Angelis & in virtute, & ad reddendum vnicuiq; secundum opera sua, vt verba prophetiæ sonant, tum quia tunc non quibusdam de stantibus ibi sic apparuit, sed omnibus excepto Iuda, & longè etiã pluribus. Nam teste Paulo visus est plusquàm quingentis fratribus. Adhæc alibi verba Domini manifestè (ni fallor) hoc indicant quum Petro roganti, hic autem quid? Respondit: Si eum volo manere donec veniam quid ad te? Tu me sequere. Quid enim aliud congruè possunt hæc verba significare, nisi quòd volebat eum manere vsq; ad aduentum suum? Aduentus autem Domini quum simpliciter dicitur, alterum duorum significat in scripturis, vel primum quãdo venit in carne humilis, de quo tamen non potest intelligi Domini dictum illud, quia iam ille aduentus præcesserat: vel secundum, quando veniet ad iudicandum in potestate. Restat igitur vt de hoc secundo intelligenda sint verba illa, Si eum volo manere donec veniam. Ergo planè significãt quòd volebat eum sic manere, videlicet in vita adhuc mortali, donec ipse veniret, id est, donec immineret tempus iudicij. Quamobrem siue consultò siue lapsu assertiuè legitur in ecclesia, Sic eum volo manere donec veniam: vt sensus teneatur, quem satis Christus innuit dicens, si eum volo manere donec veniam. Quod vt latius agnoscas & probes attende: Dixerat Dominus Petro, Sequere me. quod procul dubiò intelligitur de extrema sequela martyrij per crucem, quia verò Petrus singulariter diligebat Ioannem, quoniã videbat eũ esse dilectum Domini & elegantem iuuenem, curabat scire quid futurũ esset de illo, & ait. Hic autem quid? acsi dixerit, nõne etiam sequetur te ille martyrio suo? Dominus autem respondit ei de illo, quasi corripiens Petrum quòd nimis curaret de alio condiscipulo, & optaret illi similem exitum qualem Dominus prouiderat ipsi, cum varia sint Christi dona. Respondit ergo, Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere. Et planus est sensus, id est, Si eum volo manere in hac vita donec ego veniam ad iudicium (nam hic propriè erat aduentus eius) quid ad te? Tu me sequere. acsi dixerit: Cura quod ad te pertinet sequendo me per crucem, ipsi enim aliud interim procuraui, scilicet vt maneat donec veniam, quod non debet esse tibi curæ, quia non pertinet ad te sed ad me hæc & de his quæ huiusmodi sunt, disponere. Ex quo dicto licet illud Discipuli intelligerent vt expositum est, ex illo tamen sic intellecto malè colligebant quòd ille discipulus non esset moriturus, vnde sequitur, Exijt ergo sermo hic inter fratres, quod discipulus ille non moritur. Colligebant enim hoc ex eo quod Dominus

1. ad. Corin. 15.

Ioã. vltimo.

dixerat, quòd volebat eum manere vsq; ad tempora iudicij, sed non inde id consequebatur, quòd non esset vel tunc moriturus, sed hoc solum, quòd esset mansurus illuc vsq; viuens, Imò ex hoc ipso potius poterat colligi, quòd ex tunc esset moriturus. Quod vt melius capias, tempus illius aduentus cogitare debes habere latitudinē: non enim vnam tantum illam diem comprehendit, qua ipse in persona veniet & iudicabit mundum, sed totum tempus quando apparebunt imminētia signa, & præcursores sui Elias & Henoch, & præcursor magni Diaboli Antichristus: quo tempore Ioannes euangelista, vt testis Domini & præco sanctus euangelij occidetur. Nam

Apoc. 10. oportet eum iterum prophetare gentibus & populis & linguis & regibus multis, vt ipsemet testatur, & tunc veniet casus eius mortis, quoniam sic testabitur pro gratia euangelij, sicut Henoch & Elias, alter pro lege naturæ, alter pro lege Moseos & prophetis, quòd illis legibus non defuit Christus, testabuntur. Hoc verò testimoniū erit per mortem: nam hoc demum verum est testimoniū. Et propterea ipse Ioannes remouit hunc errorem à discipulis qui aiebant, ille discipulus non moritur, admonens quod Dominus non dixit, Non moritur, sed solum modo, Si volo eum manere donec veniam, satis declarans quòd hinc non sumitur, quòd non esset moriturus, sed oppositum potius, vti diximus. Et pro hoc illud etiam facit quod alias ipse Dominus & fratri Iacobo & ipsi Ioanni prophetans pro-

Matth. 10. testatus est dicens, Calicem quidem meum bibetis, quod certè de calice passionis & martyrij intelligitur. At non verè martyr dici posset Ioannes, qui tam pacifica morte quieuerit, vt de illo ferunt qui etiam mortuum arbitrantur. Quod autem dicitur à quibusdam id quod prædixit illi Dominus de calice bibendo tunc impletum fuisse, quum sub Domitiano in dolium feruentis olei missus fuit in testimonium Euangelij, non euacuat quæstionem: nam ibi nihil passus est ille, neq; propriè dicendus est bibisse calicem passionis, neq; verum est martyrium non intercedente morte, vt ait. D. Thomas, quantò minus non intercedente vllà passione? Itaque longè magis verificatur ille locus & sermo Christi secundum hanc opinionem, quæ dicit, quòd morietur aliquando & occidetur testis veritatis gratiæ, in persecutione Antichristi cum prædictis Henoch & Elia. Cui certè sententiæ congruunt omnia Euangelij verba & sententiæ Domini, & quod ipse de semetipso primum testatur in Apocalyp. cap. x. in fine antequàm prophetaret de Henoch & Elia. In hunc enim modum scripsit: Et audiui vocem de cœlo iterum loquentem mecum, & dicentem: Vade & accipe librum apertum de manu Angeli stantis super mare & super terram: & alibi ad Angelum,

lum,dicens ei vt daret mihi librum.Et dixit mihi: Accipe librum & deuora illum,& faciet amaricari ventrem tuum,sed in ore tuo erit dulce tanquam mel.Et accepi librum de manu angeli & deuoraui illum,& erat in ore meo tanquam mel dulce,& cum deuorassem eum amaricatus est venter meus,& dicit mihi: Oportet te iterum prophetare gentibus & populis & linguis:& regibus multis.Hæc ibi.Qui certè locus pertinet ad vltima tempora Antichristi,quando Angelus septimus descendens de cœlo reuelatur astiturus cum pede dextro super mare,& cum sinistro super terram,sicut paulò superius declaratur,quando tempus non erit amplius,& in eius angeli voce,quando cœperit tuba canere,consummabitur mysteriũ Dei sicut euangelizauit per seruos suos prophetas.Secundum ergo hæc tempora audiuit vocem Angeli dilectus iterum sibi loquentem & dicentem,Vade & accipe librum &c.quæ superius recitata sunt.Liber ergo iste quem accepit & deuorauit,qui & fecit amaricare ventrem,& dulcis nihilominus fuit ori eius sicut mel,est liber testimonij eius qui erit illi tanquàm calix amarus in ventre,quia passionem inducet amarissimam,sed in ore & gustu erit melleum,propterea quia libentissimè acceptabitur ab eo:vnde statim explanatur ei,quòd oportet eum iterum prophetare gentibus & populis & linguis & regibus multis.Et post hoc ipse commodissimè prophetiã attexit de Henoch & Elia,quomodo & ipsi testificabuntur.Videat cui melior spiritus dabitur ad intelligendũ,&(ni fallor)in hac veritate quiescet:quã etiam vt magis probes,prudens lector,rogo conferas cũ alijs quæ ex aduerso dicuntur.Nam quidam,quod ait Dominus,Volo manere donec veniam,exponũt,id est donec veniam ad colligendũ eũ:quod(pace illorũ dixerim) ineptũ est & friuolum tum quòd non est simpliciter venire Dominũ quum particulariter venit ad quẽlibet,non enim hic dixit,volo illũ manere donec ad illũ veniã,sed simpliciter,donec veniã.Tum verò , quia nihil peculiare dixisset de Ioanne,quum etiam alios multos ante mortẽ visitauerit,& exhortatus fuerit vel ipsum Petrum,& vt credibile est alios Apostolos & amicos suos.At hic manifestè rem singularem de ipso Ioãne indicat,& quæ Petro nõ côueniret,quũ ait,si volo eũ manere donec veniam quid ad te? Tu me sequere,videlicet quò ego nũc vado,tu nunc veni.Ille autem maneat donec ipse redeam.Quomodò autem nũc locum exponat D.Augustinus,qui volet legat.Ego non audeo recitare.Nam desperans ille hinc se posse sensum literalem elicere,& non videns exitum quæstionis,ascendens ad allegoricum,hæc Domini verba quæ manifestè de Petro & Ioanne prophetant,cum iactura literæ ad actiuam & cõtemplatiuã detorquet

vitam, acsi ad illorum personam nihil attineret, & spatiatus in allegoria illa, fateor multa pulchra commentus est. At ego, & ni fallor quilibet eruditus & prudens lector, sensum priorem & fundamentalem literæ desideraret. Quidam igitur horũ verborũ Domini vim sentientes, dixerunt, vt recitat ipse Augustinus & alij, quòd Ioãnes quidem nõ est mortuus, sed manet adhuc in sepulchro illo, vbi se fecit sepeliri, dormiens assiduè & dormiturus vsq; ad aduentum Domini: quod vel ex eo arguunt quòd aiunt (vt habet historia) illũ se illuc inclusisse viuentẽ & sanũ corpore, & adhuc inde mãnæ scaturire liquorẽ. Sed (vt Augustinus ipse rectè coniectat) minus est credibile quòd Discipulus adeò dilectus, fuerit huic sorti tã miseræ destinatus, vt cogatur sepultus in somno manere tanto tempore. Nõ audet tamen negare historiam, quam & sibi probatam esse asseruit à non leuibus viris. Et certè etiam ipso teste Hierony. sepulchrũ eius olim continuè scatere manna dicebatur, corpore tamen ipso nusquam apparente. Quamobrem quæstio nunc superesset primùm de corpore ipsius, siue asseratur ipse mortuus, siue non. Nam qui dicunt eum esse mortuum non tamen vidisse corruptionem sed resurrexisse statim, & nunc viuere in cœlis in anima & corpore in resurrectione consummata, præter id quòd illi rem nimis grandem concedunt, & nihil prorsus habeant à scripturis vnde id colligant, etiam habent contraria cuncta quæ superius adduximus verba Domini, qui manifestè eum mansurum decreuit vsq; ad aduentum suũ. Nam quod commentatur Augustinus, intelligens in Ioanne non Ioannis personam, sed vitam contemplatiuam, hoc potius fuit quæstionem euitare quàm soluere. Non enim, vt ipse fatetur, aliud tunc occurrebat quod diceret in tam difficili quæstione. Qui verò dicũt illum quidem esse mortuum non tamen resurrexisse, præter quod nec illud euitant quod dixit Dominus, & quod alia de scripturis testimonia valdè arguunt, videlicet quòd esset mansurus vsque ad aduentum Domini, non item indicant vbinam inueniatur ipsum corpus: nusquam enim quicquam sui corporis ostenditur. & non est verisimile dilecti Discipuli reliquias (si quæ essent) voluisse Deum sic honore suo priuatas manere, quum cæterorum Apostolorum corpora & pulueres venerentur. Superest ergo hæc sola quæ cunctas videtur resoluere difficultates opinio, & non inualidis fulciri rationibus, videlicet quòd nondum sit mortuus Ioannes, neq; tamen quòd sit dormiẽs in sepulchro, quod est inopinabile, neque quod sit in paradiso cœli in gloria cõsummata, quod nimis esset, neq; quòd non sit aliquãdo moriturus: sed quod seruetur viuus in terrestri paradiso interim, donec tempora persecutionis extremæ venerint

rint & imminens iudicium Domini. Seruetur autem cibo ligni vitæ, & diuina virtute quã ipse nouit, & ibi sit cũ Henoch & Elia propter testimonium Christi de lege gratiæ. Cur enim nõ habeat & lex gratiæ testem suũ in illa die, sicut habet & lex naturæ & lex Moseos & prophetarũ? Et interim sit nihilominus ipse Ioãnes beatus & cõprehẽsor in parte animẽ vidẽs Deũ facie ad faciẽ, & fruẽs summo bono? nõ enim credibile est neq; de ipso, neq; de Henoch & Elia quòd fraudetur tãto tẽpore sua felicitate, ne vitã in suspirijs agãt. Si enim id de Henoch & Elia cogimur cõfiteri, ne tãto tẽpore suspirent, cur non & de Ioãne similiter? Quòd autẽ per omnia hæc opinio sit rationabilis, facit (vt iã dicta perstringã) illud primum pro fundamento quod ex scripturis oportet ponere, nondũ illum esse mortuũ, sed mansurum vsq; ad postrema tempora, nisi velimus ipsas vitiare aut detorquere. Nec propterea sequitur quod nõ sit moriturus, quia vt ipse præcauens ne in hunc errorem (sicut à principio Discipuli) veniremus, admonuit. Non dixit Dominus non moritur, sed si eũ volo manere &c. Et cum non sit mortuus, non est propterea ponẽdus perpetuò sepultus somno: Neq; quicquã commodius aut verisimilius dici potest aut fingi, quàm quòd fruatur delitijs interim paradisi, nõ cœlestis quod nimiũ esset, & oportebat eũ mori prius, sed terrestris. Nam quis alius locus deceat illũ, & ad conseruandum tantó tẽpore aptior excogitari potest? Ibi enim seruari Henoch & Eliam à sanctis Doctoribus, imò & ab ipsa scriptura docemur, eò quòd venturi sint ipsi etiam illa die ad testificandum. Ergo cùm adhuc sit moriturus, ne à communi omnium lege liber sine ratione, imò & contra rationem & scripturas ponatur, ad quid aliud possumus putare illi seruatam esse mortẽ ad illud vsq; tempus, nisi vt illam impendat ad testimoniũ veritatis acceptæ à Christo? vt quæ habuit arcana altissima, vt significatum est quum recubuit super pectus Christi, ipsemet declararet esse olim verificata, iungens verbis testimonium passionis & calicis, & ita verificetur plenè in illo sicut in fratre Iacobo, Christi verbum dicẽtis, Calicem quidem meum bibetis: Et hoc quàm conuenienter, nam sicut hoc accidet illis duobus testibus, videlicet Henoch & Eliæ, ita & ipsi qui erit tertius testis, nã nec ab re ipse de seipso ait, quòd est discipulus ille qui testimoniũ perhibet de his. Scriptura enim semper loquitur, & ipse in illa: nec verò alius euãgelista ausus est dicere hæc verba, quia puri scriptoris euangelij nõ est tam testari, quàm enarrare. Solus ipse testatur quodammodo assiduè, qui etiam seruatur ad testificandum, quod cõplebit in illa die. Huic autẽ veritati cũ (vt iã vides) omnia cõsonent, etiã ipsa historia si rectè cõsideretur, vehemẽter astipulatur, quæ habet quod Ioãnes

quanquàm

quanquàm senio confectus non tamen ægrotus, sepulchrum sibi viuens fieri curauit: & illuc ingressus, nusquam postmodo apparuit, nisi quod scatens terra miris modis exsufflat. Ex hoc ergo quod in sepulchrum ingressus est incolumis, certum est quòd tunc moribūdus non erat nec semetipsum tradidisset morti. Et, ex eo quid postmodo nusquàm apparuit ipse aut corpus eius, signum est quòd trāslatus fuit. Quòd enim ibi dormiat inuisibilis, nihil habet simile vero. Quòd autem scaturiat ibi terra fremens, signum est mysterij, nēpè quòd qui in Domino quiescunt, terra super eos non habet ius vllū ad retinēdū eos quamuis infremat, ac suo id iure quodammodo poscat: quia quod de terra est, etiam terræ in sui resolutiōe debetur. Et pulchrè hoc datur Ioanni testi gratiæ, vt in sepulchrum descenderet, & non absorberetur, vt significaretur in lege tantum gratiæ deuictam esse mortem. Henoch verò & Elias aliter rapti sunt. Et de Elia quidem dicitur quod in cœlum ascendit per turbinem, & cœli appellatione intelligitur aer. Et de Henoch quod raptus est & non apparuit. Sic enim oportuit interim violenter quodammodo & in turbine, liorum raptum fieri, & non committerētur sepulchro, morte nondum deuicta.

HÆc in summa de Ioanne euangelista & discipulo Dilecto mihi visa sunt semper vera, & sanctis euāgelijs & scripturis & rationibus & mysterijs consentanea, scilicet quòd nondum mortui sunt, morientur autem testes trium legum in die persecutionis vltimæ Antichristi. Gaudeo etiā me legisse, quòd & hæc ita placuerunt Beato Ioāni Dominico Florentino ordinis nostri, viro & pietate & doctrina clarissimo, vt etiā penè mordicus soleret defendere, sicut B. Antoninus, qui eius discipulus fuit, attestatur.

B. Ioā. Dominicus.

SVperesset autē aliquid dicēdū de his q resurrexisse legūtur apud Mattheū, vbi habemus, Et multa corpora sanctorū resurrexerūt &c. ne quis existimet resurrexisse vera & cōsummata resurrectione: sicut visum est quibusdā, & Caietano. At hac de re in alio libello tractabimus, vbi de generali omniū morte ac resurrectiōe agetur. Interim soli Christo, & in eius gratiā matri suæ hoc damus, quòd cōsummati sint in gloria: quia illis & hoc solū tribuimus, quò ab originali peccato fuerūt immunes. Christus iure suo, mater ex priuilegio. Et ideò cæteris expectandū est vsq; ad iudiciū, vt induant vestes suas, quia sub eo peccato tenti sunt, quod fecit Christum triduo manere in sepulchro, cui gloria & honor in secula. Amen.

Matth. 27.

DE VNIVERSALI OMNIVM MORTE, ET OMNIVM RESVRRECTIONE FVTVRA, AC IVDICIO AETERNO

LIBER VNVS.

VTRVM OMNES HOMINES SINT morituri nonnulli dubitant. Erasmus & Caiet. quòd in die iudicij reperiẽdi sunt viui, & sic nunquã morituri, defendunt. Nos verò quia hoc militare videmus cõtra grauissimorum autorum doctrinam, & communem Theologorum sententiam, imò cõtra euidentissimas rationes & scripturas, idcircò huius rei tractatũ, sperantes à Christi Spiritu lucem, aggressi sumus. Paulus ad Thessa. de illa die iudicij loquens, & (vt illi putant) de his qui inuenientur in aduentu Domini, sic ait: Nos qui viuimus, qui relinquimur in aduentu Domini &c. Et ad Corinthios iuxta Græcam lectionem quam sequuntur, Omnes quidem non dormiemus, videlicet somno mortis. Addunt & testimonium Petri, quòd Christus asseritur iudex viuorum & mortuorum, quod & canit Ecclesia. 1. Ad. Thess. 4. 1. ad. Corin. 15. Act. 10.

At verò contra hanc horum opinionem primùm est sententia generalis ex ore Dei in vniuersum genus hominum in Adam intellectum, quæ dicit: Puluis es & in puluerem reuerteris: Modo ab hac vniuersali sententia velle tot eximere, quot verisimile est ex toto orbe repertum iri tunc viuentes, voluntarium videtur: quum nullam proferant eius rei rationem, nec vlla prorsus appareat, imò contrà potius validissima ratio militet. Si enim Christus mortuus est, & beata Virgo mortua, & Ioannes baptista mortuus, & Patriarchæ mortui, & Apostoli, & deniq; sancti omnes vel mortui sunt vel morientur aliquando, vt rectè creditur de Enoch & Elia, profectò hoc tam multis, & nescio quibus, priuilegium concedere, nimis absonũ rectè arbitranti videri debet. Adhæc, & fortius, Si qui non morientur, ergo nec resurgent: non ergo erit resurrectio vniuersæ carnis: quod est contra scripturas & symbolum, quo carnis resurrectio pro- Gen. 3.

ponitur: & nō diuidenda est caro, vt partim resurgat & partim nō.

Adhæc qui non resurgūt, non pertinebunt ad Christū vt mem-
Ad Eph. 4. bra eius, cū quo nec mori nec resurgere inueniūtur. Præterea Christus vnam sponsam sibi quæsiuit, quam ex illo Deus eduxit, videlicet ex carne eius & ossibus eius: sed non verè esset eadem caro, quæ nec moreretur re vera, nec resurgeret: & nō rectè verificaretur quod
Ad Rom. 5. ait Paulus, Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.

Adhæc, Paulus in hūc modū arguit: Si non est resurrectio mortuorū, ergo Christus non resurrexit: Est igitur resurrectio mortuorū, quia Christus resurrexit. Quòd si quidam nō resurrecturi sunt, profectò nō resurrexit Christus, saltē pro eis. Quòd si respōdeatur vt quidā malè docet, quòd etiā est illis qui nō morietur resurrectio,
Caiet. quoad terminū resurrectiōis, hoc est quo ad ipsam vitā corporalē, ad quā ordinatur resurrectio: dicimus quòd hoc est destruere literā & sermonē ac sensum Apostoli, qui est de resurrectiōe mortuorū à morte corporali vera, nec debet scindi dictū in diuersas significationes, vt eadē vox (resurrectio) quo ad quosdā intelligatur de vera resurrectiōe quæ est à morte, & quo ad quosdā alios de resurrectione quātū ad vnum terminū. Nam immutatio potius deberet hæc dici quàm resurrectio.

Adhæc Paulus quærēti quomodo resurgēt mortui, respōdet. Insipiēs tu, quod seminas nō viuificatur nisi prius moriatur. Ex quo exēplo intēdit (vel ipso Caietano docente à veritate coacto) quòd resurrectio ipsa erit morte intercedente.

Adhæc, Ante aduētū Domini ac iudicium erit conflagratio huius mūdi, vt ait scriptura, & omnes (quātū ego legi) sic intelligūt &
Ps. 96. sic docēt. Scriptū est enim: Ignis ante ipsum præcedet. Quis autem benè sanus & sana cogitās putare potest, quòd tātū ignē, & tā horribilem terribilemq́; totius cœli ac terræ immutationē possit quisquā ferre viuentium atq; euadere?

Adhæc, & si euasuros multos cōcedamus, nō est putandū tñ, nisi fingamus miraculū, quòd soli boni sint euasuri. Ergo mali cū bonis admixti nō gustabūt mortē, & in eis verificabitur, ꝙ rapiētur in nubibus obuiā Christo, nā simpliciter de his qui viui tūc reperientur, ait Paul. (vt isti intelligūt) quòd rapiētur obuiā Christo, & non ait quòd eorū pars decidetur & præcipitabitur in inferna. Sed ait Caiet. Dei miraculo id futurū quòd illa cōflagratio malos tātū interficiet. At hoc posset admitti, si prius bonos esse mortuos diceretur, ne
Gen. 19. in turbine tāto cōuolutiōis mūdi inuenirētur saluādi miraculo. Sic enim Deus suis parcere consueuit. Sic eduxit prius Loth de Sodomis,

mis,ac deinde pluit ignē & sulphur. Similiter eduxit Noe in Arcā de terra, & post aperuit catarrhactas cœli.

Adhæc etiā pueros tūc inueniri cōcedere habēt. Nūquid ergo isti viui sic rapiētur obuiam Christo vt collocentur pueri in paradiso? Quòd si augmētū recepturos prædicāt vsq; in ætatē iustam, dicant nobis qua ferruminatione, cuius materiæ adiectione id futurum sit, neq; fingant improbabilia.

POstremo plurimæ sunt præter ante citatas, scripturæ hanc quæ opinionē omninò prosternūt. Paul. enim ait, Per peccatū mors in oēs pertrāsijt: itē quod est fortius, Statutum est hominibus semel mori, post hoc aūt iudiciū. Ergo mors hominū generaliter ex statuto Dei præcedit iudiciū. Item dixit Christus. Dormitauerūt oēs & dormierūt. Itē Eccle. xxv. A muliere initiū peccati, & per illā oēs morimur. Et Iosue moriēs ait: Ingredior viā vniuersæ carnis, dicit, vniuersæ carnis: At nō est vniuersa caro à qua quicquā deciditur. Possem & alia loca cōgerere: nā plurima inter legēdū scripturas, annotaui: sed vno cōtētus ero, propterea quòd in eo testimoniū accipiam: etiā ab aduersario. legitur in psal. Quis est homo qui viuet & nō videbit mortē? acsi dixerit manifestè, nullus in hāc vitā veniet nō gustaturus mortē: sic eñ Caiet. exponit, vt planè intelligas esse hāc inter eas veritates, quæ adeò sunt illustres & potētes, vt cogāt etiā aduersantes aliquando, dum non prouident, confiteri. Rom. 5. Heb. 9. Matth. 25. Iosue. 23. Ps. 88.

SVperest ergo nūc ijs quæ ex aduerso obiecta sunt respondere. Et sqdē quod attinet ad eū locū ad Cor. nolo lectorē ignorare. Hiero. cū diligēter germanā eius loci lectionē exqreret, ac tres varias ex Græcis codicibus attulisset, illā tādē vt cōiorē ac veriorē probasse, q̄ huic opponitur quā isti eligūt. Quāobrē miror, quòd hi contra tāti viri autoritatem, & (quod non minimum est) etiam contra veterem receptionem omnium ecclesiarū, & contra quod habet nostra æditio, ausi fuerint ex illis tribus lectionibus vnam mordicus accipere, quam nec ipsa ratio nec idonei autores vlli commendant. Nam rogo te Lector attende, Ipsi sic legūt. Omnes quidem nō dormiemus, At hoc certè, ex vi sermonis, significat nullos dormituros. Sic enim & iuxta logicam regulam dicendum est, & sic perpetuò in scripturis accipitur quæuis enunciatio huiuscemodi, vt quod dicitur: Non erit impossibile apud Deum omne verbū: id est nullū verbū erit impossibile. Itē: Non salua fieret omnis caro: id est nulla caro salua fieret. Itē: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens: id est nullus viuēs iustificabitur: & ita inuenies in vniuersa scriptura obseruatū, quū hic dicendi modus inciderit. Quocircà de Erasmo non miror qui logicæ artem non valdè calluit. At de Caietano qui talia Hier. in Epistola ad Alex. & Minerium. Luc. 1. Marc. 13. Ps. 142.

profitebatur, satis mirari non valeo.

Adhæc, attende & hic lector. Dicit scriptura, vt ipsi legunt, Sed omnes immutabimur. At hoc falsum est omninò, quoniam impij & peccatores non immutabuntur. Propriè enim immutatio apud scripturas, est vera resurrectio in melius, vt mox declarat Paulus dicẽs, Surgẽt mortui incorrupti, & nos immutabimur. Vbi manifestè discernit eos qui immutabuntur, ab his qui non immutabuntur: & ponit se in parte, quæ est eorum qui inuenientur viui in die iudicij, cũ ipse mortuus fuerit, & sciret se moriturum. Ergo in ea parte qui erũt salui & in melius commutabuntur per dotes corporis, ideò ait, Et nos immutabimur. Et Iob: Expecto donec veniat immutatio mea. Non ergo verum est quòd omnes sint immutandi, vt habet hæc lectio quam isti probant. Si enim omnes immutantur, non dixisset. Surgent mortui incorrupti, & nos immutabimur. Sed dixisset, & omnes immutabuntur: nec diuerso modo idem vocabulum in eodem contextu accepisset, modò propriè & absolutè, modò impropriè aut contractè. Nam & ipse Caietanus non potuit non fateri quòd immutari simpliciter & absolutè, competit his tantum modò qui saluantur, alijs secundum quid: quo certè telo seipsum conficit. Sed audi quid ille contra lectionem, quam probamus, commentus est, ait enim: Valdè dissonat quod Paulus cõmemorauerit seipsum cum damnatis dicendo, Sed non omnes immutabimur.

Iob. 14.

At verò cum ipsemet Caieta. ita legat. Non omnes dormiemus, liceret colligere, quòd Paulus connumerarit se inter eos qui non essent dormituri: sicut ex simili dicendi modo, Non omnes immutabimur, collegit, quòd connumerasset se inter eos qui non immutabũtur. At profectò dormiturus erat Paulus. Præterea, quis ex huiusmodi negatiuis ista colligat? Quid si dixisset Paulus: Non omnes sumus Apostoli? nunquid non verum dixisset, ac per hoc magis colligatur ipsum fuisse Apostolum? Sed missis ijs friuolis, alium Pauli locum expendamus multò difficiliorem, vt sensus inde verior educatur.

1. Cap. 4.

Cũm Thessalonicẽses plus tristarentur de mortuis quàm ferret Christiana prudentia, cœpit Paulus, vt eam carnis infirmitatem vel imbecillitatem eijceret, eis resurrectionis doctrinam tradere in hũc modum: Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini sicut & cæteri qui spem nõ habent: si enim credimus quòd Christus mortuus est & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierũt per Iesum adducet cũ eo. Hactenus sensus est, Quòd si de Christo illud fide suscepimus quòd est mortuus, & tanquam excitatus à somno surrexit, etiam hoc fide suscipiendum est, quòd ij qui dormierunt

Declaratur locus difficilis ad Tess.

mierunt per ipsum, id est, somno pacis (hoc est enim dormire per Iesum, scilicet non mori gratiæ Dei) resurgent per ipsum. Non ergo loquitur Apostolus de ijs qui dormient somno suo, videlicet non quiescentes in Christo, sed habentes debitum mortis adhuc à peccato, de quibus dicitur, Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt diuitiarum viri in manibus suis. Loquitur autem (vt mihi videtur) de magnis viris qui & in vita & in morte imitati erant Christū. Quare meritò inquit de ijs, quòd adducentur à Deo cum Iesu, hoc est, fient participes in illo gloriosæ resurrectionis & dignitatis, quoniam & iudicabunt cum ipso, sicut & mortis fuerunt participes per illum, configurati in morte ipsius, per hoc quod inuenti sunt innocentes in illo, sicut & ille, per quem tamen purgati excesserunt. Quòd enim de huiusmodi loquatur, mihi probatur ex hoc quod ait Deus, adducet eos cum Iesu, scilicet vt sedeant iudicantes cum illo, sicut ipse dixit. Sedebitis & vos iudicātes &c. Puto autē tūc Thessalonicenses contristatos de summis viris Christianis, fortè Apostolis & apostolicis qui moriebantur, vnde & articulo signantur dormiētes, quasi insignes aliqui. Subdit ergo: Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini (quod est verbū veritatis) quòd nos qui viuimus qui residui sumus, seu qui relinquimur in aduentu Domini, & cæt. Hæc sunt verba quæ significare videntur secūdum istos, quòd quidam reperientur in aduentu Domini non mortui, inter quos Paulus enumerat se dicens: Nō præueniemus eos qui dormierūt, id est, non consummabimur in vita æterna secundum corpus, ante eos qui dormierunt, id est qui mortui sunt. Verùm quòd hæc expositio non sit secundum veritatem, neq; secundum verborum vim, illud primùm & maximè facit, quòd Paulus falsò poneret se inter eos, quos aiunt reperiendos viuos in iudicio, cum iam dormierit. Nec dici potest, quòd ipse sic existimauit licet falsus: Nā idē, prænunciat sæpius de morte sua, & de futuris post suā mortem: imò ipsos Thessalonicenses sequenti Epistola admonet, quod nō instabat dies Domini, neque deberent terreri quouismodo per spiritum, videlicet aliquem erroris, neq; per sermonem, neq; per epistolam tanquam per ipsum missam: Quoniam nisi venerit discessio primum &c. Et ad Timotheum ait. Ego iam delibor, & tempus meæ resolutionis instat. Et alibi pluribus in locis expectare se mortem, imò etiam optare insinuat. Quare nulla erat ratio, quamobrem seipsum deberet componere cum ijs, qui in postremum reperientur viuentes, vt isti volunt. Adde quòd nec verba (iuxta Latinam lectionem quæ nec à Græca dissonat) id interpretationis patiuntur, quoniam non dixit: Nos qui viuemus, aut viui reperiemur in aduentu Domini, Sed dixit.

Psal. 75. *Matth. 19.* *2. ad Tim. 4.* *Rom. 7.* *Philip. 1.*

dixit. Nos qui viuimus, qui residui sumus, siue qui relinquimur, Nũ quid ergo putabat, omnes qui tunc viuebant non morituros? Item cui dubium erat quòd qui inuenirentur in illo aduentu, non poterant præuenire, scilicet in accipienda gloria, eos qui dormierunt, quùm & illi tunc inueniendi essent viui per resurrectionem? Quænam ista fuisset doctrina & quam parum digna Apostolico spiritu? Ergo aliud inueniendum est, quod magis quadret. Considerabam enim à cuiusdam interpretatione excitatus, quòd. D. Paulus volebat hîc & Thessalonicensibus scribere mysteriũ resurrectiõis, quod est in ipso ordine, non secundum tempus, quia in ictu oculi fiet: Sed secundum dignitatem. Quare voluit significare, quòd qui anteà quouis tempore erant mortui, in Christo tamen, quoniam propter Christum impendebantur vt dixi, nõ erant præueniendi ab ijs qui adhuc viuerent, & relinquebantur quasi in classe secunda, vt minus perfecti. Vnde benè dixit: Nos qui viuimus, id est, in gratia Dei viuentes sumus, qui relinquimur, aut qui residui sumus in aduentum domini. Nota dicendi modum Apostolicum. Sunt enim ex hominibus quidam (vt alibi ipse declarat) qui ob excellẽtem ac nimis claram vitam non seruantur ad aduentum domini vt iudicentur, sed iam iudicati sunt. Et sunt alij quorum vita non ita clara est, sed admixta peccatis & sollicitudinibus mundi huius, qui & si non sint extra spem & charitatem Dei, tamen non ita emerserunt vt euadere debeant iudicium discussionis: & in horum numero præ humilitatis virtute ponit se Paulus, quanquam enim sibi nihil conscius esset, iudicem tamen suum, dominum profitetur Corinthijs, ne se ponat inter sanctos illos, qui domino in iustitia & iudicio associabuntur, per illum tamen quod ad maiorem Christi gloriam attinet, quantò potuit Ecclesiam suam in his honorabilioribus membris reddere excellentiorem. Sensus ergo Pauli est hortantis illos vt non tristẽtur, sed potius gratulentur pro illis qui sic erant mortui, scilicet propter meliorem illorum spem, vt intelligant quòd licet illi propter Christum ignominiosè forsan occubuerint, & præcociter aut præmaturè, & non sint seruati in vita sicut Paulus, & alij qui tunc viuebant, non hoc facit eos minus dignos viuentibus & relictis, qui quasi tepidiores relinquuntur. Ideò ait: Nos qui tales sumus, non præueniemus eos, scilicet vt meliore potiamur resurrectione: Quin potius significare voluit quòd ipsi præuenient, vt sic non oporteat contristari pro illis. Quod & manifestius declarans adiunxit. Quoniam ipse dominus in iussu & in voce Archangeli (vt rectè creditur) Michaëlis, & in tuba Dei: quia enim vox illa erit collectrix omniũ mortuorũ, explicans iussum diuinũ tuba dicitur, descendet de cælo (videlicet,

1. ad Cor. 4.

delicet, hac præmissa tuba ad conuocandum mortuos, vt resurgant omnes & ad tribunal assistant, Et mortui qui in Christo sunt resurgent primi, aut primùm, id est, Resurrectio ordinatim procedet, nõ tẽpore sed dignitate. Eos autem vocat mortuos in Christo, quibus primæ resurrectionis debentur, qui primi electi vt fratres peculiares adiuncti sunt secundum perfectionem & claritatem vitæ, resurgent in primo loco & gradu resurrectiõis. Nam secundum tẽpus omnes resurgẽt in eodẽ momento, vt ipsemet docet ad Corinthios vbi ait. In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba: Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti siue incorruptibiles &c. Sequitur hîc Paulus & ait. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, id est, qui nõ deserimur omninò, sed iusti deprehendemur in secũda tamẽ classe cõputandi, non solũ non præueniemus eos, sed præueniemur ab eis, iam cum ipso Christo assistentibus in aëre, Ideò ait, Simul rapiemur cum illis obuiã Christo in aera, vt hic ordinẽ plane videas. Aducẽtur enim primũ illi maiores & electiores cũ domino. Sequẽtes verò in alia turma rapientur ex ipso terræ solo, cõpleto iudicio, cũ illis tamẽ primo raptis absq; iudicio, qui propius ad Christũ accesserint: Rapiẽtur inquã obuiã ipsi Christo in aëra, quoniam ipse Christus benignè inclinabitur etiã ad eos suscipiendos, & sic in altũ trahentur cũ alijs, semper victuri quoq; cũ illo in gloria. Et ideò ait, Et ita semper cũ domino erimus. Et hãc existimo verissimã esse loci huius interpretationẽ, vnde habes præter mysteriũ, etiã Pauli humilẽ sui ipsius existimationẽ, q sibi alios præposuit: tãquã primas in resurrectiõe obtinuissent: custodiens parabolã domini, Quùm inuitatus fueris ad nuptias, recũbe in nouissimo loco, vt veniẽs q te inuitauit dicat, amice ascẽde superius, & addatur illi gloria inter discũbentes. Luc. 14.

Pro hac autẽ interpretatiõe facit & quod ipsemet Apostolus ad Corinthios ait, Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientiũ quoniã quidẽ per hominẽ mors, & per hominẽ resurrectio mortuorũ. Et sicut in Adã omnes moriũtur, ita & in Christo oẽs viuificabũtur. Vnusquisq; aũt in suo ordine, primitiæ Christus: deinde q sunt Christi in aduẽtu eius, deinde finis quũ tradiderit regnũ Deo & Patri &c. Ecce igitur ordo manifestus. Primitiæ enim resurgẽtiũ Christus fuit ab initio tãquã caput & causa resurrectiõis vniuersæ carnis. Ipse enim vocatur primogenitus mortuorũ: quoniã sicut p vnũ hominẽ, scilicet Adã primùm, omnes moriuntur, ita omnes p vnũ, scilicet secundum Adã Christũ, viuificabuntur, videlicet ad vitã corporis immortalẽ. Viuificabuntur autem nõ sine ordine, quoniã primitiæ Christus, Vocat hîc Apostolus Christum, omnes qui peculiariter in Christo erunt secundum quod exposuimus, tanquã fratres electissimi, 1. Cor. 15. Apoc. 1.

electissimi, qui adducentur cum illo primùm, quasi vnum cum illo.
Io.17. Pro his enim peculiariter rogauit Dominus, vt essent vnum, ita vt
Ps.104. & Christi nomine dignetur illos, sicut scriptum est: Nolite tangere
Ad Gala.3. Christos meos. Et Paulus, Semen Abrae cui repromissum fuit Chri
Ro.4. stum esse dicit, cum tamen ad Romanos declaret, hoc semen (quod est Christus) continere non solùm eum qui est ex lege, verumetiam eũ qui est ex fide est Iesuchristi. Itaq; insigniter hi primi qui in Christo sunt, Christus dicuntur, & primum viuificabuntur. Nam & in Christo existentes, etiam ipsi primitiae dicuntur cum Christo. Post hos autem sequentur hi qui erunt Christi in aduentu eius, id est, qui erunt tunc declarati Christi quando ipse adueniet, & probabit, collaudabitq; opera eorum. Nam ij sunt qui relinquuntur in eius aduẽtum, videlicet tunc declarandi, qui in charitate inuenientur, & rapientur cum alijs obuiam ipsi Christo, tanquàm sese inclinanti ad eos: deinde erit finis, id est, deinde ij qui sunt iniusti ac damnandi. Nam his verbum fiet postremum, & tunc inuenientur *inimici eius sub pedibus eius* vel dicas si magis placet, deinde finis regni Christi, quum tradiderit regnum Deo & patri, sicut declarat ipsemet subdens: Quum euacuauerit omnem principatum & potestatem & virtutem. Oportet autem illum regnare donec ponat inimicos eius sub pedibus eius. Regnum Christi & regnum Dei hoc in loco differre declarat Paulus, quoniam Christi regnum est huius tẽporis quando sumus in via, & non est illud consummatum regnum, de quo dicimus patri: Adueniat regnum tuum. Interim enim regnũ hoc Chri
Matth.6. sti, est variabile ac fluctuabile respectu eorum qui reguntur, quoniã sumus velut in militia sub rege Christo, & sub eius ministris Angelis & Sanctis: in quo regno possunt esse, & sunt praeuaricatores & desertores & transfugae, qui in regnum Diaboli sese transferunt: & alij contrà inde ad nostras partes, quasi postliminio redemit: sed nullus ibi vi detinetur sed voluntate sua, nisi qui saeculum hoc excesserit. Hoc est ergo regnum Christi quod habebit finem, & non illud quo regnabit cum Patre in aeternum, quando pacatissimum erit regnum in coelis, & inimici eius omnes, praesertim illi insignes, manebunt prostrati sub eius pedibus nunquam surrecturi. Hic huius loci sensus non solum scrupulo caret, verumetiam mirè cõgruit alteri loco ad Thessal. Si cui tamen non placet, inueniat meliora, & nos libenter accipiemus, etiam cum gratiarum actione.

NOn obstat autem quod afferunt vltimò, quòd Christus asseritur in scripturis futurus iudex viuorum & mortuorum. Si enim ad tempus iudicij hoc referunt, certè non iudicabit mortuos Dominus. Omnes enim tunc erunt viui quos iudicabit: non enim

dicit scriptura, iudicabit viuos qui nūquam fuerunt mortui: sed dicit, iudicabit viuos & mortuos, & est vox ecclesiæ quæ cū sit intonāda vsque in extrema temporis, quando semper adhuc inuenientur qui viuant nondum mortui, & adhuc qui sunt mortui necdum resurrexerint, semper verificabitur quòd Deus iudicabit viuos, id est eos qui tunc viuunt quum profertur ea vox, qui tamen morituri sunt & suscitandi, & similiter eos qui iam mortui sunt, quos tamen suscitabit ipse à mortuis, & sic iudicabit viuos omnes, à mortuis tamen suscitatos. Quòd autem hic sit verior sensus, manifestatur ex ipso Athanasij Symbolo, qui postquàm dixit quod venturus est iudicare viuos & mortuos, vt declararet quòd tūc erunt omnes mortui etiam quos viuos dixerat, adiecit confestim: Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis. Ecce quòd ait omnes homines resurrecturos cum suis corporibus ad aduentum Christi, & tunc erit iudicium, qui tamen dixerat continenter, quòd Dominus veniet iudicaturus viuos & mortuos. Nec me latet quod rectè possimus & sanè intelligere quod iudicaturus est Dominus viuos, id est, qui viuent vita gratiæ, & mortuos (id est) qui contra inueniētur mortui gratiæ Christi. Nam sic sæpe loquūtur scripturæ spiritualiter, & ideò à spiritualibus intelliguntur. Sed prior expositio omnibus potest satisfacere. Itaque concludendum quòd omnes morti debemur sicut ait sapiens. Cuncta subiacent vanitati & omnia pergunt ad vnum locum, de terra facta sunt, & in terram pariter reuertuntur. Quod verò multi arbitrantur de Henoch & Elia quod non sunt mortui, scripturam habent hoc testantem, quia Henoch raptus fuit & non apparuit: Elias similiter ascendisse dicitur per turbinem in cœlum: sed hoc palam habetur Eccle. xliiij. Henoch placuit Deo & translatus est in paradisum vt det gētibus pœnitentiam. Paulus dixit, translatus est ne videret mortem. Et de Elia eccl. xlviij: Qui inscriptus est in iudicijs temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob. & Dominus dixit, Elias veniet & restituet omnia. Quod verò quidam putant eos potiri perfecta gloria, etiam in corpore, non est concedendum. Credibile est enim, quod iam vulgo receptum est & scriptura testatur, seruari eos in Paradiso terrestri vsque ad tempora imminentis aduentus Domini, in ea persecutione ecclesiæ quæ futura est ab Antichristo, vt sint testes veritatis pro Christo. Non enim est alius locus illis conuenientior viuentibus. Nec est quouismodo arbitrandum quòd non sint morituri, quoniam in testimonio illo mactabuntur, sacrificium sui corporis offerentes Deo. Existimamus enim (quod quidam tradiderūt) hos esse

Eccle. 1.

Gen. 5.

4. Regū. 2.

R duas

duas illas oliuas, & duo cādelabra in cōspectu Domini terræ stātia, de quibus Dilectus in Apoc. qui tandē cōsummato testimonio pro Christo, occidēdi sunt à bestia quæ ascensura est de abysso. De Ioāne autē Euāgelista suo loco disserui. Interim cōcludēdū est, Hoc debitū moriēdi, quod est cōmune totius generis hūani, ab omnibus exsoluendū esse. Nam Christo ipso & virgine mortuis, qui minus debebant, quo iure aut qua gratia, eos qui verè debeant liberabimus?

Matth. 27. Hic verò nō importunè sese ingerit illa quæstio, eorū, qui apud Matthæum leguntur resurrexisse, an fuerit perfecta resurrectio: hoc enim non potest dici, si (vt ex filo euangelij videtur) ante Christi resurrectionem resurrexerunt, quoniam Christo hoc debebatur, vt esset primogenitus mortuorū. Si verò illi post Christū resurrexerūt, vt quidā volunt, tunc viget dubiū vtrū perfectè resurrexerint. Hoc enim Caie. probat, quoniā decebat etiam in perfecta gloria Christū habere socios, Nō enim corporalis eius felicitas plena videretur, si deesset & in hoc ipso societas. Est enim homo natura, animal sociale, nō solū propter necessaria vitæ, verūetiā propter iucūditatē quæ de cōuersatiōe accipitur. Pulchra profectò huius viri consideratio, sed nō cogitauit quod si cōtinuò habuit matrē, & filiā, & spōsam, & sororē secū gaudētē in gloria consummata, habuit suā societatem & gratā & cōgruā, & dignā quæ sola primū ingrederetur in thalamū, cū ab initio prima fuerit ac perpetua socia passionū. Et interim reliqui oēs expectaremus, quoniā oēs scādalū passi sumus in cruce. Hæc enī vna illa electa, vna formosa, cui soli dicitur primū, Veni de libano spōsa mea, veni de libano, coronaberis. Et nos canimus, Ascēdit Christus & præparauit suæ castissimæ matri immortalitatis locum. Hæc est Christi ceruix & honorabile collū, sicut ait Bern. sine quo nō est decēs manere caput, & ante quod indecētissimū erat alia mēbra capiti iūgi: nā ordo in resurrectiōe seruādus erat Pau. teste, quin etiā nō videtur cōgruū quod ante Ioan. Baptist. & Apost, & sanctissimos quosdā patriarchas atq; prophetas eximios, quorū cineres cōstat esse in terris, alij fuerint cōsummati. De Samuele enī ostēdūtur reliquiæ. Elias & Henoch & Dilectus seruātur morituri. Dauid probatus est iacere in puluere, vt Petrus dixit. Et Paul. testatus est generaliter, quod antiqui patres in cōsummatiōe gloriæ nō debuerūt præuenire posteriores, q in lege gratiæ inuenirētur quod & ipse Caie, à veritate pspicua superatus nō valuit ibidē inficiari, quāquā alibi aliter doceat, & illū locū declinet vt potest, Sed pro nobis est B. Th. & August, & ipse Hier, in eo loco apud Matth. sunt & multò euidētiores rōnes. Quòd si qs arguat, quòd si nō perfectè resurrexerūt, vbi degunt? quid agunt? quam viuunt vitā? Respondetur. Resurrexerunt vt testimonium resurrectionis multis darent, quo expleto resoluti sunt

Apoc. 1. — *Nota.* — *Cant. 6.* — *1. Cor. 15.* — *Act. 2.* — *Ad Heb. 9.* — *Aug. in epi. ad Euod.*

sunt in pristinos cineres, sed absq; vllo dolore mortis: vt darent spē nobis etiam resurrectionis futuræ consumatæ, ad quam ille & illa tribuant peruenire qui interim soli meritissimo fruũtur. Sicut enim primus vir & prima mulier soli prius in paradiso terrestri inuenti sunt in iustitia, quam amiserunt pro se & pro alijs, sic secundus vir & secunda mulier soli prius inueniẽdi erant in paradiso cœlesti per quos iustitia est omnibus qui voluerint, reparata ac restituta.

DE iudicio aũt Dei æterno, quod in æternũ ratũ erit, & æterna cõtinebit siue merita siue supplicia, cõsiderãti mihi, triplex (vt ita loquar) cõbinatio occurrit. Prima est eorũ q manifestē pfecteq; iusti fuerint in hac vita, Et q ecõuerso summē iniusti, & quorũ vita pessima manifestē fuerit, vt Pau. docet, ante iudiciũ. Hæc cõbinatio ab omni iudiciali discussiõe eximetur: Sed horũ alij ob excellẽtẽ & cõspicuã, & iã probatã sanctitatẽ, Alij verò cõtrã ob excellẽtẽ impietatẽ. Priores assumẽtur in resurrectiõe primi, iudicãtes cum Christo velut accessores magno Regi, probãtes regi ãsententiã & cõmẽdãtes. In horũ numero assistet prima Regina oĩm Christi mater & virgo spõsa: post quã Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, cõfessores siue mares siue fœmine, quorũ quarũq; iustitia pfecta fuit coram Deo. Si ergo inueniẽtur cũ Christo in aëre admixti myriadibus Angelorũ, sicut scriptũ est, Cũ eo sanctorũ milia. Et alius: Dominus ad iudiciũ veniet cum senibus populi sui, & principibus eius. Et Iudas Apost. Ecce venit Dominus in sanctis milibus eius facere iudiciũ contra oẽs &c. Qui aũt ijs opponũtur hostes Christi vel Apostatæ ac desertores, sub pedibus Christi prostrati iacebũt, nõ aliud subeũtes iudiciũ. Nã de his scriptũ est: Donec ponã inimicos tuos scabellũ pedũ tuorũ. Et ipse dixit, Qui nõ credit iã iudicatus est: nõ eñ intrauit in militiã, vel in cursum, vel in ciuitatẽ aut manifestē desertor & pduelliõis reus fuit, vt nullo indigeat iudicio discussiõis, cũ secũ iudiciũ ferat dãnatiõis. In horũ numero inuenientur principes Iudæorũ, & multi paganorũ aduersantes Christo, vt Porphyrius, Celsus, Auerrois, & alij similes. Item hæresiarchæ multi atque apostatæ, vt ille impius Iulianus, & innumerabiles hæresum excitatores.

1. ad Tim. 5. *Deute. 33.* *Isa. 3.* *Ps. 109.* *Io. 3.*

Secũda verò combinatio eorũ erit qui in fide manserint obstricti charitatis præceptis: & propterea iudicio discussionis subdẽtur, separabuntur autẽ tanquã oues ab hædis, sicut Dominus in parabola declarauit: quoniã hominum multi inueniẽtur seruasse tãdem ipsius charitatis præcepta. Alij verò ecõuerso vt transgressores præcepti, corripientur. Quare ambo dignam meritis sententiam audiant, vt clarē in ea parabola enarratur. De his enim perpetuò ferē loquitur in parabolis Dominus, de quibus non est hic enarrandi locus.

Matth. 25.

Erit & postrema combinatio eorum qui nec iusti nec iniusti (si propria eorum gesta respiciantur) inuenientur. Hi erunt qui in ea ætate decesserint, quæ expers est iustitiæ & iniustitiæ: quibus aggregantur perpetuò furiosi & insanæ mentis, quibus liberi arbitrij liber vsus nunquàm fuerit. Horum ergo alij erunt qui virtute sacramenti, siuè baptismi siue alterius quod Deus ipse probauerit, gratiam Christi accipientes consequentur salutem, gaudentes meritis & operibus Christi, cùm habere propria non potuerint. Hi ergo stabunt non à dextris aut à sinistris, sed ante faciem Iesu tanquam ad solam ipsius gratiam respicientes, illiq; accepto ferentes salutem cum gratiarum actione.

His opponentur paruuli, & alij quicunq; suæ mentis nunquam fuerunt, quibus nulla parentum fides, aut susceptio sacramenti succurrerit, sed obierint in antiquo delicto. Hi ergo ad æternam vitam euehi non poterunt, nec tamen perdentur cum impijs & peccatoribus in infernum. Quare in iudicio non videbunt faciem Domini, sed retro post eius terga respicient: de quorum sorte postquam de cœlesti gloria, ac de igne inferni, purgatorijq; veritate pauca præmiserimus, propria disputatione tractabo. Hîc autem futuri iudicij scæna clauditur.

DE VERITATE PVRGATORII, SEV POENARVM QVIBVS NONNVLLORVM ANIMAE EMENDANTVR, ET PVRGANTVR, VT INDE LICEAT FRVI GLORIA SEMPITERNA.

LIBER VNVS.

ESSE GENVS QVODDAM POENArum post hanc vitam, quibus pœnis illæ animæ sunt obnoxiæ quæ hinc licet cũ pœnitentia delictorum, non tamen purgatæ satis & emẽdatæ excesserũt, quod Purgatoriũ ecclesiastici vocant, iam qui dubitat, inter Christianos connumerari non debet. Cùm id constet satis à sanctis Patribus & Apostolis ipsis nobis ab initio traditum, & ab Ecclesia receptũ, & tam longis temporum & sæculorum spacijs absque vlla interruptione continenter semper seruatum, & à doctoribus assertum, & à concionatoribus Ecclesiasticis commendatum. Deniq; à scripturis sanctis irrefragabiliter, & à rationibus inuictissimè elicitum & comprobatum. Quæ cũcta aduersus impios, & illorum gratia qui non sunt multæ lectionis ante oculos euidenter obijciam.

PRimùm igitur. B. Dionysius Ariopagita Pauli discipulus, cuius & meminit scriptura sancta, de Apostolica traditione hunc orandi morem pro defunctis acceptum clarè testatur his verbis: Sanctorum preces, etiam in vita ista & non tantùm post mortem, prodesse ijs solis qui digni sunt vt pro eis preces fiant, nempe fidelibus. Et post pauca. Neque enim vnquam postularet sacer præsul, qui diuinæ iustificationis est doctor, quæ Deo sciret non esse gratissima, & quæ largiturum se ille nequaquam promisisset. Et ideo pro prophanis & baptismate non illustratis, si defuncti fuerint, preces eas nõ facit. Et iterum: Sanctus itaq; Antistes petit quæ diuinitus pro- B. Dionysius.

missa sunt,& quæ grata Deo,&quæ omnino daturum credit. Et iterum, Inter precandum igitur oratur diuina bonitas vt cuncta peccata defuncti per humanā infirmitatē admissa dimittat,eumq; in luce collocet & regione viuorum in finibus Abraæ,Isaac,&,Iacob &c. Hæc ille. Verum callidi Dæmones videntes per huius apostolici viri testimonia facilè destrui suas machinas mēdaciorum,quas nostra tempestate fabricarunt in petram,non valentes tanti martyris autoritatem sustinere,instruxerunt suos, vt negitarent(quanquam impudentissimè apud cordatos)ea opera quæ illi Dionysio ascribuntur, illius Dionysij esse. Hoc enim & Lutherus & Erasmus,& nescio quis alius irrisorum iactarunt in vulgus,vt viderentur ipsi sapiētes, & imponerent imperitis. Erasmus autem &hoc adiecit,eum,qui nomine Dionysij circūfertur Autor illorum,potius vnum esse aliquē de recentioribus. Quòd si verum est,sequitur etiam quisquis is fuit fuisse falsarium & nebulonem,cùm se discipulum Pauli & Bartolomæi Apostoli ibi prædicet. Et ad Timotheum scribat Pauli discipulum,exterq; illius Epistola ad Ioannem Euangelistam. Sed nebulo potius sit Erasmus & irrisor,qui se talem penè vbiq; ostentat. Qua tamen de re alibi fusius.

Hoc igitur solū Dionysij testimoniū,satis esse deberet omni prudenti ad huius rei probationē & persuasionē. Quòd si etiā nō esset, sunt innumerabiles ecclesiastici scriptores qui hoc testantur. Mitto Tertullianum in lib. de corona mlitis,Cyprianū epist. sexta,&alios antiquiores,ne putes hanc sententiam priuatorū esse. Est Hieronymus qui ecclesiæ fidem(quòd ad hunc articulum pertinet)his verbis contestatur. Sicut Diaboli & omnium negatorū & impiorū,qui dixerunt in corde suo,Non est Deus,credimus æterna tormēta,Sic peccatorum atq; impiorum & tamē Christianorum,quorum opera in igne probāda sunt atq; purganda,moderatam arbitramur & mixtā clementiæ sententiam iudicis. hæc ille. Eò autem quòd dixit,credimus &arbitramur,cōmunē Christianorū fidē satis videtur enunciare. Augustinus quoq; idē palam fatetur,& quòd ab Apostolis accepta est hæc traditio orandi pro mortuis,Et matris meminit in lib. confess. cap. vlt. quòd moribunda petierit orationum & sacrificiorum suffragia fieri sibi post mortem suam,& ipse de hoc sermonem habuit ad populum super verbis Apostoli numero.xxxiij. Ambrosius similiter eadē fidē & verbo & facto cùm catholicus esset episcopus obseruabat. In Epistola enim sua quadam hortatur Faustinum ne nimis de morte germanæ tristetur,sed vt eam orationibus prosequatur,& oblationibus ad Deum pro ea. Nam & pro fratre suo orat,vt patet in libro de excessu fratris. Et in funebri oratione pro

Hier. super If. lib. 18. in fine.

Aug. de uerbis Aposto.

Theodosio ait, Non deseram eum donec fletu precibusq; inducam virum, quò sua merita vocant, in montem Domini sanctum. De Gregorio verò summo Ponti. quem summa iniuria nebulones isti derident, nimis est manifestum. Nam plura suo tempore hanc circa rem fuisse mirabiliter patefacta ipse in Dialogo suo testatur. Sed nimis in re tam manifesta laboro ac moror. Nam vt cōpertissimum ab omnibus ecclesiasticis doctoribus, ab initio nascētis ecclesiæ ad hūc vsq; diem, traditum nobis est dogma hoc de Purgatorio igne, quo emendantur animæ, & mundantur vt possint solutis debitis Deo cum fiducia præsentes assistere.

Verùm obiectant nobis ij noui ex Græcia sapientes, Græcos & Græcam fidem. A quibus hoc ipse rogo, an producere quenquā veterum Græcorū valeant, quorum laus sit in ecclesia? Nō enim puto. Sed ijs nituntur qui se ab ecclesia Dei cōtumaciter segregarūt, & à suis maioribus qui longè aliter eos docuerunt desciscētes, eorum doctrinā insipiētissimè cōtēpserunt. Habebāt enim Athanasium, Basilium, Chrysostomum, Gregorium, quē Theologum appellabant, & alium Nisenum, Theodoritum, Deniq; Damascenum qui certò sermone cōtra impios hoc dogma probat. Hos igitur insignes viros quos autores habebant, improbè abijcientes obscuris homūculis ac deceptoribus præbuerunt aures. Quos cum isti sectentur, planè iudicant quales & ipsi sint, nempè tales quales illi quos imitari conantur quorum duram ceruicem & contumaciam sancta iandudum ecclesia reprehendit atq; explosit.

Ergo tantus omnium ac tam perseuerans doctorū consensus in hoc dogma, satis esse deberet ad persuadendū omni bene cōpositæ menti. Verùm si hoc nōn satis, aggregatur ecclesiæ autoritas quæ in cōcilio oecumenico Florētino, quò & Græci cōuenerūt & Armeni & omnes quicunque Christiana professione se censeri volebant, manifestissima pronunciatione hoc declarauit: Quod tamen antea etiam in alijs Synodis erat commemoratum. Et quod non minoris autoritatis est apud Catholicos quàm sit ipsa scriptura, Sic tam diuturnus & assiduus ac perpetuus mos in ecclesia vniuersa orandi pro mortuis, omnium non imprudentium mentes confirmare deberet, qui rectè secum de prouidentia Dei quam promisit verbo veritatis ecclesiæ suæ non defuturam, valeant deputare. Quì enim passus esset Optimus & Clementissimus Deus in cultu diuino, tanto tempore, rem adeò inanem ac superstitiosam à sua ecclesia obseruari, si nullæ possent releuari à pœnis animæ, quæ hinc excesserunt & euolare in requiem, cum hoc tantopere ipsa postulet, ipsa inquam ecclesia vniuersa?

Cōciliū Florent.

Tanta

sauit Augustinus vt non canonicam,cum ipse testimonium dedisset his libris,& inter canonicos deputasset in lib.de Doct.Christ. & alibi.Fateor tamen quòd olim aliquando non ita habebãtur vt canonici,nunquam tamen vt respuendi: ideò processu temporis in autoritatem meritò recepti sunt.Quod & alijs scripturis sanctis cõtigit,vt patet de Epistola B.Iacobi,& Iudæ,& Pauli ad Hebræos, & de Apoca.Ioannis.Et sic credendum est de cæteris: Non enim subitò eam sibi vendicant autoritatem scripturæ,nisi vsu,& temporis processione probentur à sapientibus,& ijs qui habent scientiæ clauem.Verùm hac de re alibi vt dixi.

Redeo nunc ad rem,Nam præter hanc adeò apertam scripturã, est Domini verbum,qui de insigni quodam peccato,hoc tanquam particulare pronunciauit,quòd non remittetur neq; in hoc sæculo neq; in futuro,satis indicans esse alia genera peccatorum,quæ & in præsenti & in futuro sæculo remittuntur.Alioqui si nullum esset remissibile in futuro,quid oportebat hoc dici notanter de isto,quòd nec in futuro remitteretur? Certè validum est argumẽtum,nisi quis velit blasphemare existimans Dominum temerè illam sententiam effutiuisse. *Matth.12.*

Adhæc certum est ex eiusdem Domini verbis,quòd non omnia peccata habent determinatam pœnam Geennæ ignis.Dixit enim quosdam fore reos concilio,& quosdam Geennæ ignis: Certum est autem Geennam ignis significare æternas inferni pœnas,quæ cum non determinetur ijs qui sunt rei concilio,manifestum relinquitur, quòd iste reatus nõ fert secum necessariò damnationem æternam. Poterunt ergo tales qui rei concilio fuerint,euadere aliquãdo cum pœnas luerint,& sic erit purgatoria pœna illis.Dixit & alibi Dominus de coniecto in carcerem,quòd nõ exibit inde donec reddiderit nouissimũ quadrãtem:licet enim ille de quo loquebatur,fortè esset debitor æternæ pœnæ,ac propterea minus potens ad soluẽdum, tamen hanc nobis videtur doctrinam tradere,quòd sicut apud homines sunt perpetui & temporales carceres,& perpetua exilia & temporalia(quæ relegationes dicuntur propter varia delictorum genera)sic etiam se habet in Dei iustitia. *Matth.5.* *Ibidem.*

Nec abijciendus est alius locus qui est ad Corinth.vbi legimus,Sic saluus erit quasi per ignem.Nam ad hoc purgatorij dogma illum referunt doctissimi & sapientissimi viri Augustinus, Ambrosius,Origenes,Anselmus,Thomas,& alij plurimi,quorum sensum omninò contemnere,manifestam sapit perfidiam,præsertim si vtrunq; dixeris,nec ex eo loco colligi,nec verum esse quod inde colligunt tanti viri.Quòd si fortassis & alium intellectum re- *1.Cor.4.*

cipiat locus ille, qui & stare possit, Nunquid propterea reprobandus est iste, cui & verba congruunt, nec ratio nec autoritas vlla etiã obsistat, sed contrà potius faueat & corroboret?

1. ad Cor. 15. Addam ego in gratiã benigni lectoris alium ex eodem Apostolo locum ad Corin. qui (vt mihi certè videtur) non aliud quàm hoc ipsum indicat quod probare nitimur, ac persuadere. Volens enim probare resurrectionẽ mortuorum, dixit: Alioqui quid faciunt qui baptizantur pro mortuis si mortui nõ resurgũt? Obscurus hîc fuit intellectus Apostoli multis, eò quòd vocem quæ plura significat, quasi vnum significaret, acceperunt. Non enim viderunt quòd baptismus pluribus modis accipitur in scripturis: Sed quia frequentius pro sacramento, ideò ad hoc tantum respicientes cogitabant quomodo posset aliquis pro mortuis baptizari. Quòd si hoc fieri non potest, quomodo Apostolus horum inducant factum in autoritatem quod erat improbabile? aut etiam ipsos quî facerent, cum rem improbabilem facerent? Ergo à viris bonis & charitate plenis accipit argumentum, qui baptizabantur pro mortuis (id est) pœnas sibi assumebant & afflictiones, sicut de multis sanctis legimus, pro mortuorum requie & salute. Quòd enim

Luc. 12. baptizari & baptismus hoc significent in scripturis, declarauit, Dominus quum dixit: Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur. Hoc autem dicebat de Cruce sua, &

Marc. 10. pœnis quas laturus erat pro nobis. Vnde & alibi dixit duobus fratribus: Potestis bibere Calicem quem ego bibo? & baptismo quo ego baptizor baptizari? Si sic ergo baptismum ibi acceperis, & ita vt expositum est intellexeris, nihil patieris angustiæ, sed videbis benè argui ab Apostolo, ab autoritate non improbanda, quoniam qui sic baptizabantur (id est) assumebant sibi pœnas quas pro mortuis luerent vt illis prodessent, erant viri insignis charitatis. Nam & hoc nos de pluribus sanctis habemus, & legimus de Patre nostro Dominico, quòd ter in die se atterebat flagellis, vt pro se, & pro peccatoribus qui viuerent, & pro defunctis satisfaceret coram Deo: vnum enim sumus omnes in Christo.

Sed vt iam finem faciam, illud solum commemorabo, quòd si nulla esset scriptura, nulla Ecclesiæ aut sanctorum autoritas, ratio tamen ipsa posset hominis prudentis cogere intellectum. Non enim negari potest, non omnia delicta esse pària sicut euangelium habet, & consequenter varia esse pœnarum genera: Et cùm non omnia delicta sint paria, recipiendum est etiam quòd aliqua sunt ita minima, aut maiora, quæ licet non mereantur

æternam

æternam pœnam, merentur tamen nonnullam. Et cum hoc, dandum est etiam, quòd illam pœnam hîc fortassè non luerint quam merebantur. Qui hæc concesserint iam consequenter dant quod petimus, videlicet esse aliquam animarum purgationem post mortem. Qui verò non concesserint, dicant quid negent, An non esse fortè peccatum quod æternam non mereatur mortem? At hoc austerum nec humanæ cogitationis est. Cùm enim vox illa etiam iustorum, & sanctorum sit dicentium, Dimitte nobis debita nostra, vt Augustinus testatur, durissimum est, imò maximè paradoxum, putare quòd qui iusti & sancti dicuntur in scripturis, teneantur tamen æternæ damnationis reatu, qui tamen solum iniustos tenet & manet. Si dicant quòd & si teneantur in vita homines his culpis atque reatibus, soluuntur tamen ab eis ipsa morte. At vnde hoc probant? Quot enim moriuntur repentè vt non valeant vel confiteri, vel alio sacramento purgari, & à mente alienantur vt cogitare ad peccata non possint, & veniam implorare? Quot etiam non cum illa charitate & pœnitentia, quæ possit prorsus abluere omnia (non loquor de sanctis) hinc discedunt? Cùm ergo non discedant purgati, quomodo possunt comparere ante faciem Domini, ante susceptas emendatorias pœnas? *Matth. 6.*

Adhæc detur homo qui baptismo suscepto offenderit Deum lætaliter multis modis, vt sunt plurimi, pœniteat tamen & suscipiat sacramenta & hinc excedat non aliter satisfaciens Deo pro culpis: Vtrum quæso iste statim audebit videre faciem Dei benedicti? Annuunt hæretici, qui auferunt tertiam partem sacramenti pœnitentiæ quæ est satisfactio, & consequenter negant illam iuris & iustitiæ partem, quam & Philosophi tradunt, quæ dicitur repassionis. Putant remissa culpa, simul etiam remitti pœnam, quod est falsissimum nisi per sacramentum baptismi. At ipsi eludentes Christum & ostentui habentes sicut ait Paulus, volunt similiter hominem purgari sacramento pœnitentiæ sicut sacramento baptismi: Et non vident quòd longè diuersa ratio est eius delicti quod patratum est ante notitiam veritatis susceptam, quod penitus baptismo abluitur: & illius delicti quod patratum est post datum nomen, & susceptā gratiam & iustitiam. Nam hoc oportet non solum diluere pœnitētia, verum etiam confessione sacramētali cū datur facultas, & omninò satisfactione. Et ideò in vsu ecclesiæ hoc semper fuit, vt pœnæ satisfactiōis à sacerdotibus etiā secretæ imponātur. Et post absolutionē *Ad Heb. 6.*

conſueuit oratio dici à ſacerdote, qua oratur Deus vt de paſſione Ieſuchriſti, & meritis B. Virginis & Sanctorum tribuatur in remiſſionem pœnarum, & quicquid boni fecerit peccator aut facturus ſit, imputetur ei in ſolutum. Hæc fruſtra fieri, & ſic perperam ordinata eſſe ab eccleſia, arrogantiſſimum eſt aſſerere, & proprium impiorum ac perfidorum. Alioqui ſi ſola fides (id eſt) fiducia in Chriſtum (vt aiunt) ad luendum omnia ſatis eſſet, quid oporteret ſuadere eleemoſynas ad redimenda peccata? Et tamen legimus, Peccata tua eleemoſynis redime. Et, Charitas operit multitudinem peccatorum: vbi charitas pro officijs charitatis accipitur. Quid opus item ſacrificijs & luctu? Quid etiam facerent orationes ſi Chriſtus ſoluat ſolummodo fidem ſiue fiduciam habenti in illo? O deceptores: ò perditores animarum. Ex dictis autem puto ſatis eſſe declaratum quod propoſitum fuit de Purgatorij veritate, & quantum paradoxum ſit aliter æſtimare.

F. AMBR. CATH. POLITI SENEN. DE BONORVM PRÆMIO AC SVPPLICIO MALORVM AETERNO, ET VERO IGNE INFERNI

LIBER VNVS.

NON MODO APVD ORTHODOXOS & catholicos viros, verùm etiam apud omnes qui non fuerint deprauati cordis, ea vel fides vel perſuaſio fuit, in hac mortali vita & benè & malè factorum merita comparari: & poſt hanc, in alia incorruptibili, dignam meritis reddi retributionem. Verùm circa genus & modum & locum & tempus ſiue præmiorum ſiue ſuppliciorum, ab ijs vehementer erratum fuit qui vel diuinis oraculis nō ſunt inſtructi, vel ijs abiectis, maluerunt vel de proprio ſenſu coniectare, vel alieno ac mendaci ſpiritu pronunciare. Quamobrem alij quidem in ſorte præmij, tantummodo ſenſum & corporis voluptates conſti-

constituerunt,& similiter in supplicij substantia,corporis solum dolores considerarunt. Alij verò pœnis quæ peccatoribus & impijs siue hominibus siue Dæmonibus decretæ sunt,finem aliquando fore finxerunt. Alij de locis vbi vel præmia recipienda sunt vel penè luendæ,incerta & falsa commenti sunt. Alij tandem de Iudicij tempore malè senserũt,putantes etiam post hanc vitam differri,nec statim vt quis hinc excesserit,reddi dignam operibus mercedẽ. Quæ tamen dogmata,cum iam satis cognita sint,& ab ecclesia iamdudũ ac meritò reprobata atq; explosa,non censui digna noua tractatione. Illud ergo modo sumpsi tractandum(perstrictis tamen prius ijs summatim in quibus conuenire ferè omnes videntur)quod maximè inter Scholasticos controuersum spectatur,& adhuc sub iudice pendet lis, videlicet,quodnam genus ignis ille sit,quem scriptura & Dominus noster ore suo veritatis pronunciauit futurum esse æternum malorum supplicium. Quo in loco admonitos velim eos qui non multæ lectionis sunt,sed solum suo,quem elegerunt,doctori & autori(veluti veteres illi Pythagoræi)incumbunt,ne incircũspectè(vt quidam sæpe solent)vel hæreticum arbitrentur,vel improbabile,quod non sit apud suum illum,quicunque fuerit,doctorem satis probatum. Matth. 25.

Non enim in hominum opinionibus sita est fides nostra,sed in certis Ecclesiæ sanctæ pronunciationibus ac sententijs,pro qua est oratum ab eo qui nunquam non exauditus est,ne deficiat fides sua. Ioã.17. Neq; id protinus improbabile est quod cuilibet videtur,sed quod ijs qui rectè sapiant,& discussis hinc inde ratiõibus absq; personarũ acceptione,queant facilè dijudicare. Quare non est improbum in his quæ certam non habuere definitionem vnunquenq; quod ipse sentiat proferre,sed morosum potius est nolle audire proferentem, modò is qui profert eius sit mentis,vt non ex contentione,sed solũ veritatis amore proferat,paratus non solum ecclesiæ sentẽtiam suæ opinioni præponere,verumetiam cuiusuis priuati,quod melius esse senserit,anteferre iudicium. Quem animũ cum in me esse nõ dubitem,qui mihi probè sum conscius,nec me arbitrer πάρεργον condere,atque aërem inaniter verberare,alteri animo quæ sum meditatus exponam. Luc.22.

Illud proculdubiò fide suscipiendum est,bonis qui hanc vitam excesserint beatitudinem reddi,quam vitam æternam scripturæ vocant:quam & rectè Boëtius definiuit,Statum esse omnium bonorũ aggregatione perfectum. Nam & Dominus dixit Moysi:Ego ostẽdam tibi omne bonum. Hæc autem bonorum omnium aggregatio in Deo est. Itaq; ipse Deus à nobis visus facie ad faciẽ atq; cognitus, Beatitudo quid. Exodi.33.

 nostra

Ioan. 17. noſtra eſt felicitas ac beatitudo: Propter quod dixit Dominus, Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te ſolum verum Deum. verùm quoniam nec naturalis acies mentis noſtræ, nec item lumen gratiæ ſuſtinere poſſet diuinam ipſam maieſtatem & gloriam, iam illud Eccleſiæ conſtat ipſam intellectus noſtri aciem nouo gloriæ lumine illuſtrandam ac roborandam, vt diuinam, quæ illi coniungetur, ſubſtātiam valeat quouis modo & vt fas eſt, recipere & intueri: propter

Apo. 21. quod etiam ſcriptum eſt de Eccleſia Sancta cum in thalamum col-

Pſalmo 35. locabitur, Claritas Dei illuminabit eam. Et alius, In lumine tuo videbimus lumen. Ineptum autem eſt valdè, putare poſſe Deum, id eſt, ipſam diuinam eſſentiam corporeis oculis cerni. Nam & Deum eſſe corporeū exiſtimare, vt ſic cerni etiam corporeo intuitu queat nephas eſt arbitrari, licet hoc quibuſdam & philoſophis & hæreticis placuerit, quod eſt inſipientiſſimum. Nec tamen me latet aliquādo Auguſtinum in priore quæſtione, ita eſſe locutum, ac ſi etiam vtraq; pars valeat ſuſtineri. Hæc enim ſunt eius verba cōcludentia: Aut ergo per illos oculos ſic videbitur Deus, vt aliquid habeant in tanta excellentia menti ſimile, quo & incorporea natura cernatur, quod vllis exemplis ſine ſcripturarum teſtimonijs diuinarū vel difficilè vel impoſſibile eſt oſtendere. Aut quod eſt ad intelligendum facilius, ita Deus nobis erit notus atque conſpicuus, vt videatur ſpiritu à ſingulis nobis in ſingulis nobis, videatur ab altero in altero, videatur in ſeipſo, videatur in cœlo nouo & in terra noua, atq; in omni quæ tunc fuerit creatura, videatur & per corpora in omni corpore quocunq; fuerint ſpiritalis corporis oculi acie perueniente directi. Patebunt etiam cogitationes noſtræ inuicem. Tunc enim im-

1. Cor. 4. plebitur quod Apoſtolus cùm dixiſſet, Nolite ante tēpus iudicare quicquā: mox addidit. Donec veniat Dominus & illuminet abſcōdita tenebrarum, & manifeſtet cogitationes cordis, & tunc laus erit vnicuiq; à Deo. Hæc Auguſtinus, quæ idcirco attuli, vt agnoſcat prudēs lector nonnulla nunc eſſe exploratiora in Eccleſia Dei quā olim fuerint, nec de ijs fas eſt modo dubitare, quò d olim non eſſent comperta ſatis: Quanquam circa hoc nec me latet illud, ipſummet Auguſtinum alibi confidentius quod eſt verū, aſſeruiſſe, confirmaſſeq; & Hieronymi & Ambroſij autoritate.

Verùm quia nō in hoc tātū hominis beatitudo perficitur, quod attingat intellectu ad ipſum Deū, cū homo nō ſit purus ſpiritus, ſed qui & ſenſibus corporeis vigeat, vt totus homo beatitudine integra fruatur neceſſe eſt & ipſum corpus ſuas dotes habere, & perfici etiā ſuo obiecto beatitudinis ſuæ, quod erit ipſe Chriſtus hō, cuius gloriā quaſi verè vnigeniti cōtēplabimur, ingenti cū delectatiōe, & dabitur eius veras audire voces, & vnà colloqui, & mirificam de illius

cai ne

carne sentire fragrãtiã.Et sic erit verũ quòd videbimus Deũ corporeis oculis,nõ solũ quia videbimus hominẽ Christũ qui est Deus,verũetiã quia ex eo viso facilè,etiã per sensus,colligemus inhabitare in eo plenitudinẽ diuinitatis corporaliter propter ingentẽ gloriam & dotes corporis singulares,quãquã & oculis mẽtis (vt diximus) eius diuinitatẽ directo intuebimur.Et idcirco postquã dixit Dominus, Hæc est vita æterna vt cognoscant te solũ verũ Deũ,vt beatitudinẽ etiã respectu carnis perficeret,adiecit.Et quẽ misisti Iesum Christũ, quod pleriq; nõ cõsiderãt.At certè incredibilis erit voluptas, etiã secũdũ carnẽ,cũ videbimus illũ hominẽ pulcherrimũ & speciosissimũ forma præ filijs hominum,& agnoscemus eum redẽptorẽ nostrum & glorificatorẽ & amicũ & fratrẽ,quoniã (quãtũ tamẽ fas est,& quisq; pro meritis dignus erit) cõformabimur illi p corporis dotes.Induet enim corpus nostrũ hoc nũc mortale & corruptibile,immortalitatẽ & incorruptionẽ: & cũ nũc sit ignobile & opacũ,vestietur mirifica gloria:atq; idẽ quod nũc est infirmũ & graue tũc reddetur mirũ in modũ potẽs & agile.Deniq; quod crassum nũc est & animale,tũc erit spirituale:non quod ex corpore spiritus fiat,sed quod abijciet hoc nescio quid crassitudinis terrestris vt cõueniat loco eximio in quo erit.Hoc,est cœlũ empyreum,licet quidam noui magistri hoc cœlum nobis conentur eripere. Ad Colo.2. 1.Cor.15.

Nec verò putã dum est,quod quidã hæreticorũ cõmẽti sunt,videlicet oẽs in beatitudine fore pares,quoniã differet stella à stella in claritate,Et mãsiones apud Patrẽ multæ.Nã cũ in beatitudine duo cõsiderẽtur,& quod principale est beatitudinis & essentiale,quod est videre Deũ,ac perinde p illã visionẽ illo frui: & itẽ alia multa quæ huic felicitati accedũt,& quæ ipsam quodãmodo circũstãt atq; adornãt,& excitãt miras voluptates & gaudia,quæ scholastici accidẽtalia appellãt,cogitãdũ est quod in vtroq; horũ alius alium excedit in regno Dei.Et quidẽ in principali in quo essentia beatitudinis cõsistit, quod est ipsa Dei visio,alius aliũ excedet,nõ in eo quod videbit,quasi alius nõ sit visurus,quia oẽs videbũt,& eũdẽ Deũ videbũt,secũdũ quã cõsiderationẽ dici potest omniũ idẽ & æquale præmiũ iuxta cõuentionẽ denarij diurni,Sed excedet alius aliũ in eo quod in Deo alius plura videbit quã alius,& lympidius atq; intẽsius,eòq; magis participabit lumẽ illud gloriæ quo fiet ad vidẽdũ potẽtior,ac propterea magis apprehẽdet & magis gaudebit,neq; tñ ob hoc cuiquã aliqd deerit,qm̃ qlibet plenus erit desiderio suo:nõ em̃ amplius qequã desiderabit,queadmodũ plenũ vas quod quãtũ capiet,tantũ recipiet,nec amplius poterit appetere,quilibet em̃ erit tũc qetus & cõtẽtus sorte sua,& in eo lætabitur lætitia inerrabili ac sempiterna.Erũt verò & in Io.14. Matth.20.

quæ

quæ accedunt beatitudini principali, multæ ac variæ differentiæ, dum alius alium in aliquo excedet, atq; etiam inuicem interdum excedetur. Sunt verò, quæ huiusmodi sunt, plurima, sed quædã principalia propter eximiam aliquam difficultatem, aut honorabilem laborem, sicut erunt qui continẽtia virgineum seruarunt florem, quibus lilia paradisi dabuntur, & sequentur agnum quocũq; ierit, cantantes canticum quod illis solis cantare dabitur, quia virgines inuenientur. Et qui plurimos erudierunt ac docuerunt laborantes, quos

Apoca. 14. effert scriptura, & describit quòd erunt vt splendor firmamenti, &

Dani. 12. sicut stellæ in perpetuas æternitates. Et Dominus dixit, Qui fecerit

Matt. 5. & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Postremò qui passi fuerint persecutiones, & extrema pro Christo, ijs profectò reddetur (teste ipso Domino) merces multa nimis. Hi accipient victoriæ palmas, & speciali ac magno excellentiq; gaudio gaudebũt, quòd pro sanguine reddiderunt sanguinẽ Deo suo & Christo. Sed non est hîc locus specialius de his disserere aut dicere. Illud multò præstaret, ita se nunc cum Dei gratia comparare, atq; ita vitam instituere ac ducere, vt digni simus aliquando, quæ nunc tanquam sub nube & mari cogitamus à longe, tunc re ipsa experiri ac tenere, adiuuante Domini nostri Iesuchristi gratia, cui tandem omnia referẽda sunt accepta: Illi ergo gloria & honor in sæcula. Amen.

Econuerso igitur considerantes nunc de eorum pœnis qui vel iniquitate vel impietate sua merebuntur æterna supplicia, illud primùm statuimus, quòd quanquam inenarrabiles atq; innumerabiles passuri sint cruciatus & in anima & in corpore, illud tamen eis erit summum miseriæ & calamitatis eorum, quòd priuatos se perpetuò beatifica illa Dei visione videbunt. Et hic erit summus eorum ignis, & secundum hoc æqualis quodammodo omnium pœna erit, quoniam omnes similiter ea visione priuabuntur. Verùm sicut in videndo Deo gradus ipsius visionis constituti sunt, vt declaratum est, ita & illa priuatio visionis non erit vnius gradus in omnibus, quia nec vocationes ad regnum Dei sunt eiusdem dignitatis. Ideò qui ad altiorem gradum se fuisse vocatos intelligent, profundius quoq; dolebunt & torquebuntur, quòd se priuatos maiore gradu, sua culpa vel impietate cogitabunt, sicut Lucifer & Iudas. Augebit & pœnam hanc, vel genus delictorum vel animus ipse delinquentis. Vnde quidam fortè multo magis à priuatione ista cruciabuntur, quia intensius de illa cogitabunt, hoc sic iustitia Dei dispensante. Accedunt autem & alia pœnarum genera, quibus & animæ & corpora iugiter torquebuntur.

Sed illa nunc obijcitur nobis quæstio de igne illo, de quo manifestẽ

festè locutus est Dominus,& scripturæ sanctæ. Primò enim illud cuilibet sese offert vt dubitet de eius natura, an verè sit materialis & corporeus. Quòd enim sit corporeus id ferè solum suadere videtur, quòd cum scripturæ ignem vocent, eius autem vocis prima & principalis & promptior significatio corporeum ignem nobis repræsentet, si non certa ratio cogeret vt aliter acciperemus vocabulum, promptius apparet illud in sua hac germana significatione accipere. Et hoc solum credo mouisse multos vt de corporali igne dictum Domini & scripturarum intelligerent, ac se propterea in plurimas & inextricabiles difficultates contruderent, sicut mox (ni fallor) manifestè ostendam. Quòd ergo non sit ignis ille corporeus, multa vehementer mihi videntur facere & vrgere.

Et primum quidem, quòd Dominus de illo loquitur igne, quē inquit paratum esse Diabolo & angelis eius, vt intelligeremus illū non esse corporeum, quoniam ignis corporeus ad crucianda corpora videtur aptus, in eo quòd ignis est, propter vim maximè actiuā. At iam ferè constat Dæmones non esse corporales, sed spiritus vt scriptura vocat. Igitur non de igne corporeo, sed spirituali quopiā cruciatu, metaphoricè hac voce significato, debere accipi dictum Domini, longe aptius videtur. Non me latet inuenisse scholasticos ab hoc argumento euadendi viam: an verò tuta sit illa, vt non quocunq; se mouerint offendant, paulopost videbimus: verum hoc illis satis est quauis data responsione si sibi videantur euasisse, parum admodum curantes etiam satisfacere. Quare prosequor argumenta in hanc eorum positionem. *Matth.25.* *Ps.103.*

Secundò qui dicunt Dæmones hoc igne corporeo cruciari, debent assignare locum vbi sit hic ignis. Certè nunc habitant ipsi Dæmones, vel plurimi eorum, hanc aëris regionem, illis & eorum naturæ caliginosam, vbi non esse ignem manifestum est. Sed aiunt, Dæmones secum portare ignem quocunque pergant: Suscipio, sed quòd secum vllum corporeum ignem ferant, non apparet. Si enim sic, totus iste aër vbi degunt, ferueret igne isto. Præterea multa corpora hominum Dæmones ingrediuntur, quòd si corporeum ignem secum gererent, quomodo non illo comburerentur correpti & energumeni?

Tertiò, quod & robustum argumentum mihi videtur, Ipse Dominus noster ignem hunc æternum, qui manet impios & peccatores, opponit æternæ vitæ tanquam quid magnum, imò summū malum atq; supplicium oppositum summo bono & summo præmio. At verò igne corporeo cruciari siue in corpore siue in anima, non est summum illud malum quod summo opponitur bono. Summū

enim bonum iam esse diximus videre Deum: summum ergo malũ consequenter est hoc, summo priuari bono, quia malum nihil aliud est quàm priuatio boni. Igitur quantò maioris boni priuatio fuerit, tantò maius malum. Igitur summi boni priuatio, summum malum est. Hic igitur est verus ignis, & ille quem scripturæ nobis eo vocabulo indicant, cum nequeat nobis, qui carnales sumus, commodius ac significantius exprimi illa summa miseria, & tormentũ ingẽs. Si enim Dominus simpliciter exposuisset æternum illud & summum supplicium esse priuationẽ vitæ æternæ, nos qui sumus mali & carnales, qui non valemus comprehendere quantum sit illud infelicitatis, & quantum cruciatus afferet tunc incredulis & proteruis, cùm cogitabunt & experientur, floccifaceremus illud, non ponderantes quàm sit graue & molestum. Nam quot sunt etiam nunc qui secum cogitant & dicunt, Si non esset aliud inferni pœna quàm priuatio illius vitæ, facilè posset hæc iactura tolerari. Prouidit igitur Dominus vt hac dicendi figura conciperent, id quod est de magnitudine & horribilitate supplicij, præsertim quòd nõ solũ illa voce (ignis) voluit intelligi certã hanc, quæ profectò est summa pœna, verũetiã totũ inferni suppliciũ, quod simul collectũ immensum erit, vt sicut præmiũ est ipsa vita æterna, ita suppliciũ est quod maximè & omni ex parte repugnat illi vitæ, quod igne significatũ est, quoniã summo pere destructiuũ est vitæ, & summum infert patiẽti dolorẽ. Et pro hoc vehemẽter facit. B. Tho. clara confessio, qui quodã in loco à vi
Sup. 4. sen. d. 50. ar. 3. q. 1. ad. 1. argumenti, & ab ipsa veritate coactus, ignẽ illum de quo Dominus apud Matth. c. xxv. declarat significare omnem afflictionem, & sic accipi solere in scripturis. Ergo potissimum illa debet intelligi quæ summa est, id est, priuatio vitæ cœlestis. Nec debemus pertinaciter semper insistere in prima vocis significatione, quando ratio postulat atq; exigit: sic enim quidam decepti sunt. Quia enim Dominus dixit, Vos baptizabimini Spiritu sancto & igne, acceperunt etiam
Luc. 3. baptismum ignis, inurentes corpus, ac dehonestantes faciem ignis quadam inustione, ignorantes metaphoricè ignem debere sumi eo in loco sicut & in alijs multis: Dixit enim & alibi Dominus, omnis igne salietur: Vbi proculdubiò ignis appellatiõe venit omnis affli-
Marc. 9. ctio, per quam eruditur ac salitur homo.

Quartò manifestè ipsemet Dominus ignem damnatorum cum verme componit. Etenim Geennam ignis his duobus definire vide-
Marc. 9. tur, Ait enim, Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Hoc & olim per Isaiam prædixerat. Modò autem certum est, vt. D. Thomas docet, ibi vermem non pro animali accipi, sed metaphoricè pro quadam corrosione quæ erit in corde à conscien-

tia delicti, assiduè exprobrâte atq; torquente: cur igitur non & hîc simili modo iste ignis metaphoricè capitur? Non enim par videtur in eadem colligatione verborum alterum metaphoricè, alterum propriè capere. Scio tamen hoc apud Aug. sub dubio relinqui, concedens optionem lectori: Videtur tamen tandem velle vtrũq; verbum pari modo esse accipiēdũ, id est, aut vtrũq; propriè, aut vtrũq; metaphoricè: hæc eius sunt verba: Eligat vnum de duobus quisque quod placeat, vtrum & vermem & ignem ad corpus propriè, an ad animũ, trãslato à corporalibus ad incorporalia vocabulo, existimet pertinere. Hæc ille & meritò. Scripturæ enim de his quæ ad alteram vitam spectant, cùm nobis ignota sint, eò quòd valdè aliena ab ijs naturis quæ sub corruptione tenentur, manifestè multa metaphoricè eloquutæ sunt: vnde dixit Dominus. Ibi erit fletus & stridor dẽtium. Quod & metaphorice dictum esse. D. ipse Tho. declarat. Iacobus frater Domini de auro & argento diuitum ait quòd ærugi nabit eis in die illa, & ærugo illa manducabit quasi ignis carnes illorum: vbi manifestè eorum vanum desiderium igni comparat deuoranti carnes, quoniam tabescent in desiderijs suis. Non est enim dubium quòd carnes ab igne non absumẽtur. Paulus dixit, Ignis æmulationẽ quæ cõmestura est aduersarios: in quo dicto etiã manifestã agnoscimus metaphoram. Psalmista quoque, vt multiplicem pœnã indicaret, dixit: Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum pars calicis eorum. Sunt & alia loca similiter sic accipienda, quæ studioso lectori relinquo.

De ciuit. Dei lib. 21. c. 9.

Iac. 5.

Ad Heb. 10.

Ps. 148.

Adhæc & quinto loco, satis mirari non possum, quòd qui locus maximè facit aduersus opinãtes eiusmodi corporeũ ignem, eo tamẽ maximè moueãtur. Quoniã enim diues Epulo in euãgelio introducitur implorasse in inferno auxiliũ à Lazaro, quoniã cruciabatur in ea flãma, quasi euictũ acceperũt, quòd flãma illa esset vera & materialis, proculdubiò petẽtes principium. Nam hoc est quod venit in quæstionẽ primùm. Sed quòd ibi metaphoricè accipi debeat, magna ratio est, quòd totus ille sermo metaphoris scateat. Quam rem & ipsemet Aug. acutè considerauit in hunc modum super eo disceptans. Dicerem quidem sic arsuros sine vllo suo corpore spiritus, sicut ardebat apud inferos ille diues quando dicebat: Crucior in hac flamma: nisi conuenienter responderi cernerem, talem fuisse illam flammam, quales oculi quos leuauit; & Lazarum vidit, qualis lingua cui humorem exiguum desiderauit infundi: qualis digitus Lazari, de quo id sibi fieri postulauit, vbi tamen erant sine corporibus animæ.

Luc. 16.

De ciui. dei lib. 21. c. 10.

Deniq; vt reuertamur ad id quod omiseram, multum debet mo

uere quenlibet, quòd qui voluerunt tenere illum ignem esse corporeum, magnopere vexantur atque torquentur in inueniēdo modum quo ille valeat per vllam actionem suam torquere non solum animas & spiritus, quod inopinabile videtur, verumetiam ipsa hominum corpora quæ tunc erunt incorruptibilia, præsertim si teneatur illa opinio, quòd cessante motu, nulla fieri possit corporum alteratio siue immutatio ab eorum naturali qualitate. Quare tot ac tantæ illud opinantibus emergunt quæstiones, vt si vellent ipsimet purè ad solam veritatem respicere, nec nimis amanter custodire positionem, haud dubium, faterentur esse inextricabiles. Nam illud ad quod se redigunt quidam, quòd in hoc erit pœna Dæmonum & animarum & adhuc corporum, quòd ipso igne quasi loco vilissimo inuiti detinebuntur, cum omni honore dictum velim qui debetur verè sanctis, & doctis viris: mihi quidem commentum videtur, non habens vllum scripturarum testimonium nec veritatis aliquem colorem. Primum quidem, quia si solum ad detinendum damnatos locus erat quærendus vt minime illis conueniens & gratus, debebat potius terreus & feculentus quàm igneus assignari, cum nobilius sit ignis elementum cæteris: & terra, quæ inferior est, longè sit ab eorum natura spirituali distantior. Deinde quia hoc videtur satis ineptum tribuere loco primam ac principalem pœnam, & ipsam quodammodo supplicij substantiam æterni, quod tamen indicant ipsæ scripturæ. Tertio quia iam non suum officium darent quod est agēdo dolorem inferre: igni, cùm loco carceris detinētis potius accipiat quàm per propriam actionem & naturalem, inferant pœnā. At hoc nō tam est ipsum ignem damnatos cruciare & affligere, quàm illos in ipso igne cruciari atque affligi: sed scripturæ dicunt illos igne vrendos, non solummodo detinendos. Itaque cum ad hunc ignem, sicut illum mihi suis glossis descripserunt, respicio & ad eius efficaciā, nihil minus video quàm ignē, certè multo alium ignem quàm quē susceperunt ab initio sustinere. Hæc autē placuit admonuisse, & illa tetigisse, quæ (ni fallor) possunt quēlibet sani & nō alligati iudicij mouere. Nec licuit vastos ingredi saltus disputationū scholasticorū, vnde exitum facile non inuenirem. Nec taxo doctores qui ab initio de eiusmodi inquisiuerunt & opinati sunt (quos video vt deferrēt sanctis scripturis, & in earū obsequium captiuātes intellectum, etiā ingenium acuisse vt eiusmodi ignem corporeū sustinerēt) sed eos laudare non valeo, qui cùm post multam inquisitionem ac disputationem, habuissent occasionem inspiciendi veri atque probandi, maluerunt absurda multa admittere quàm à positione recedere, vim tamē perpetuā argumētorū sentiētes, quæ nō possent aliter declinare. Videat

deat hæc qui volet,& probabit quæ loquor:mihi tædium magnum esset hæc vlterius pertractare.

Concludo igitur iam nihil esse periculi,si hoc in loco & articulo ignis appellatione metaphoricè summam,imò omnem pœnam intellexerimus.Primū enim ad hoc me adduxit ipsius rei natura quæ exigebat metaphoris representari,cum ad intelligēdū propriè esset obscura.Nā eorū quæ in alia vita nobis cōtingent nō valemus propriam atq; distinctam nancisci cognitionem.Quapropter etiā vitæ æternæ delitiæ per metaphoras & similitudines cœnæ,prādij,nuptiarū & huiusmodi carnalium operationū nobis significatæ sunt. Adhæc iam vidimus quòd sic oportet intelligere velimus nolimus plurima,vt illud de lingua diuitis,de digito Lazari,de verme,de fletu,de stridiore dentiū,de glacie deniq; & niue & grādine & spiritu procellarum,& si quæ alia huiuscemodi sunt.Cur igitur solus ignis excipitur,ne metaphoricè capiatur? Tertiò antiqui ipsi doctores nō omninò illi opinioni hæserunt quòd esset ignis ille corporeus.Ioānes enim Damasc.ignē illū non esse materialem,qualis est qui apud nos est,confidēter dixit.D.quoq; Aug.neminem scire posse qualis ille sit ignis nisi diuina reuelatione quodam in loco scripsit.B.etiam Thomas suspendere alicubi iudicium visus est,& sub incerto id cōstituere:dixit enim quasi subdubitans,supposito quòd ignis inferni sit verus ignis corporeus,oportet dicere &c.

Damasc.

Tho.sup.4. dist.44.q.3. ar.3.ad.3.

Deniq; si metaphoricè intelligēdo vitamus ne dixerim euidētia absurda(quod tamē iure optimo me posse dicere arbitror)saltē magnas & penè inextricabiles difficultates,quid malumus tātū molestiarū ac negocij gratis suscipere?vt rem aptemus quæ cohærere vix potest,& in cōmētis hominū desudemus?Sed sunt interdum quidā qui gaudent ænigmatibus & labyrinthis,vt in his ingenij sui periculum faciant,quoniam plerunque de labore quæritur laus.At non propterea ibi constituendus est nodus,aut quærendus vbi non est.

Illud tamē super omnia existimo prudētis esse,quod & à me hoc in loco seruatū esse protestor,vt nihil velim assertū esse temerè,sed solūmodo disputatū hortās meipsum tādē,ac lectorē pium hoc in primis satagere,vt per bona opera placeamus Deo,& quas hîc satis capere non possumus cœlestes paternæ domus delitias,his aliquando potiamur in cœlis,liberati ab illo igne,qualis qualis is fuerit,qui ingratos atq; impios modo mirifico cruciabit in sempiternum:sed illum à longe potius respiciamus in sinu Christi nostri,qui ad hoc venit in mundum & pro nobis passus est,vt inde nos eripiēs secum traheret in regnum Patris & suum,quibus cum communi Spiritu sancto laus,gloria & honor in sæcula sempiterna.Amen.

AD REVERENDISS. DOMINVM D. NICOLAVM Rodulphum S. Roma. Ecclesiæ Cardinalem F. Ambrosij Catharini Politi ordin. prædicat. in libellum ei dicatum de statu futuro puerorum sine sacramento decedentium Præfatio.

NVLLVM ESSE ADEO INGENS atque immane absurdum Reuerendissime Domine, quod apud aliquos quandoq; non inueniat fidem, Id cùm de multis hæreticorum placitis comprobare licet, tum ab eo quod quidam nunc etiam in ecclesijs prædicantes, imperitis persuadere conantur, scilicet, pueros absque sacramento decedentes igni æterno tradendos, qui paratus est Diabolo & angelis eius. Hæc igitur eorum audacia me perpulit, vt proprio libello, planè ostenderem huiusmodi tam crudele dogma, non solum non elici de scripturis sanctis, vt iactitant, verumetiam ex illis reprobari quàm maximè, atq; illam non fuisse perpetuam Augustini sententiam, contra quam & aliæ ipsius præclarissimi doctoris veriores doctrinæ, & omnis bonorum autorum schola, deniq; ipsa Pontificum Rom. traditio, fortissimè militant, indicarem. Hanc verò lucubratiunculam tuo nomini iccircò censui nuncupandam, vt per illam testarer tibi animum erga te meum non ingratum, qui tuo beneficio habui Romæ vbi cum pauperculis meis socijs habitarem, & hæc meditarer. Enimuero quàm clemens ac munificus semper fueris in eos qui aliquo literarum & scientiæ genere præstiterint, nemo ignorat. Quod quidem munificentiæ genus, quanquam verè laudabile sit, habet tamen quod constituat in munere quodammodo rationē mercedis. Nam quod in promerentem sua virtute beneficium conferas, fermè debitum videri potest. Quamobrem tua erga me liberalitas

ralitas eò splendidior censenda est, quò præter merã bonitatẽ tuã nihil causæ prorsus habueris, cur id feceris. Neq; tamẽ id opusculi tibi à me dicatũ puta quasi tuæ gratiæ ἀντιμισθίαν. Nã & hoc rursum gratiæ loco abs te accipiã, si hoc ipse gratanter acceperis, vt veritas quæ ibi defenditur & cõprobatur, tua (sicut ipsa meretur) protectiõe suffulta, minus pateat morsibus obtrectatorũ. In gratiã tamẽ eruditi lectoris quo plenior huius tractatus habeatur doctrina, adieci postremò quæstionẽ illam, Quisnã locus post vniuersale iudiciũ cõuenientior illos maneat: Nam quũ nõ est aliquid in scripturis apertũ, licet tractatori probabiliter (vt sapiẽter August. inquit) differere & cõiectare quid verius aut verisimilius videatur, modo nihil quicquã asseratur temerè sed animò sit paratus quicũq; disputat, nõ solũ ecclesiæ iudicio, verũ etiã meliorũ sẽtẽtiæ acquiescere. Quod à me (cõfido in Deo) nequaquã vnquàm desiderabitur. Vale literatorũ præsidiũ. Aug. de Assumptio. B. uirg.

Argumenta quibus mouentur, qui pueros æternis Geennæ ignibus dedendos esse, existimant.

IGitur qui pueros sine sacramẽto decedentes æternis ignibus cruciãdos in Geẽnã mittũt, hoc primũ mouẽtur argumẽto. Sumũt enim quod ij pueri in Adã peccauerunt, & iræ filij cõstituti sunt, illi autẽ peccato debetur æterna dãnatio, hoc enim Pau. videtur dicere, Sicut per vnius delictũ in oẽs homines in cõdẽnatiõnẽ, Dãnatio autẽ æterna non nisi vnius generis prædicari videtur in scripturis: videlicet æterni Geennæ ignis.

Ad hæc, Quis afferat hos pueros credidisse, qui sine baptismo decedunt? Si igitur non crediderunt, vt maneat verbũ domini, dãnabuntur: Ipse enim dixit: Qui nõ crediderit cõdẽnabitur. Sed qua dãnatiõe, nisi vna illa quã docent scripturæ, videlicet æterni ignis?

Denique sic arguunt, &, vt rentur, insolubiliter: sumunt enim à domino dictum: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritusancto, non intrabit regnum Dei: tum sumunt, nihil esse medium inter pœnas Geennæ, & præmium æternæ vitæ, & cùm manifestè à præmio vitæ æternæ, hi pueri excludantur, oppidò restat, vt in Geẽna sint: quod si quis hoc neget, & medium locum inter supplicium & præmium ponat, contra id quod sumunt illi, ecce obiectant nobis euangelium, vbi legitur: Omnes gentes ante Christum congregandas, & ibi segregandas, velut pastor oues segregat ab hœdis, & oues quidem à dextris: hœdi autem à sinistris constituentur: & ijs qui à dextris, dicetur: Venite benedicti patris mei, accipite regnum æternũ: his autem qui à sinistris: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis eius. Ex hoc autem euãgelij loco iactant, duo tantum loca parata esse omnibus hominibus, videlicet & vitæ æternæ, & supplicij, id est ignis æterni. Cùm autem nemo catholi-

cus his pueris vitam æternam assignet, Quid restat nisi vt æternum ignem illis concedat? Nam hic est verus & summus ignis, priuari visione Dei. Confirmant hoc ipsum ex Augu. sententijs, qui multis locis negat esse, medium locum. Nam & ad Marcell. inquit: Nec est vllus vlli medius locus, vt possit esse nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo, Qui non est mecum (inquit ille) contra me est. Hæc illi in Summa. Tu vero pie lector attende: Agnosces fallacias.

Resolutio argumentorum in ueritate.

AD primum facile fateor, quod nemo secundum fidem negare potest, omnes in Adam peccasse, & ideo pueros omnes illud vitium contrahere, ac secum ferre damnationem: At quod illa damnatio & ira ob illud peccatum, in nobis qui non nostra, sed parentum primorum voluntate peccauimus, secundum omnem pœnam sit æterna, primum negamus: & quod sit damnatio æterni ignis etiã pernegamus. Quod enim æterna non sit secundum omnem pœnam, factum est per Iesum Christum Dominum nostrum, qui venit peccatum illud sufferre, sicut enim dictum est à Paulo: Sicut per
Ro.5. vnius delictum in omnes homines in cõdemnationem, sic & ab eodem dictum est: Ita & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ: non quod velim dicere, quod ij pueri, nisi applicetur eis vita per Iesum Christũ in sacramento, iustificentur ad vitã
Nota bene hæc. æternam, absit hæresis, sed quod non perpetuæ subdentur condemnationi mortis: quia & pro illis vltimo loco inimica destruetur mors, neq; sub Diaboli perpetuo potestate erunt: quia & pro illis
1. Cor. 15. eiectus erit Diabolus foras, in die nouissimo, vt nihil iuris habeat vlterius in illos: Illa ergo damnatio ob illud peccatum non erit perpetua, ac multo minus æterni ignis: Non enim dignum est quod idem pœnæ genus huic debeatur peccato, quod à parẽtũ culpa descẽdit, quod debetur actuali cuiusq; proprio. Homo enim qui peccat in patre, id est, qui patre peccante & ipse censetur offendisse maiestatem, hactenus plecti debet, quatenus in patre consyderatur. Consyderatur autem in patre filius in hoc quod naturaliter lucrum ex patre referre debet & hæreditatem. Patrum est enim (vt ait Paulus) filijs
2. Cor. 12. thesaurizare: ergo peccãte patre, in hoc tantum plecti filium, iustum est, scilicet vt lucro priuetur, quod patris gratia in ipsum poterat prouenire, non autem vt personaliter affligatur: quẽadmodũ in humanis, Nõ enim sæuior Deus quàm homo, & cœlestis princeps terreno principe. Læserit autem maiestatem terreni principis homo quilibet, nunquid sicut ipse, etiam filij eius capite truncabuntur? Minime.

Minime,sed satis est iræ Cæsaris,priuari illos ciuitate & hæreditate paterna,& cæteris commodis,quæ à patre in illos poterant proueni re: Quare & B.Tho.id eleganter declarat his verbis dicens: Pœna debet esse proportionata culpæ vt dicitur Esaiæ.xxvij.In mensura contra mēsuram,cum abiecta fuerit iudicabit eam. Defectus autem per originem traducitur,rationem culpæ habens,nō per subtractio nem vel corruptionem alicuius boni,quod naturam humanam cō sequitur ex principijs suis,sed per subtractionem,vel corruptionē alicuius,quod naturæ superadditum erat,nec ista culpa ad hunc ho minem pertinet,nisi secūdum quod talem naturam habet,quæ hoc bono quod in eo natum erat esse,& possibile conseruari,destituta est: & ideo nulla alia pœna sibi debetur nisi priuatio illius finis,ad quem,donum subtractum ordinabat,ad quod per se natura huma na attingere non potest,hoc autem est diuina visio: & ideo carentia huius visionis,est propria solaq; pœna originalis peccati post mortem,si enim alia pœna sensibilis pro peccato orig.post mortem infligeretur,puniretur iste non secundum hoc quod culpam habuit, quia pœna sensibilis pertinet ad id quod personæ propriū est,quia per passionē huius particularis,talis pœna est: vnde sicut culpa non fuit per operationem eius,ita nec pœna per passionem ipsius esse de bet,sed solum per defectum illius,ad quod natura de se insufficiens erat.in alijs autem perfectionibus,& bonitatibus,quæ naturam humanam consequuntur ex suis principijs,nullum detrimentum susti nebūt pro peccato originali damnati: hæc ille.Ira ergo Dei in filios Adæ,& odium,& damnatio sic intelligitur vt solam gratiæ,& gloriæ,vitæq; æternæ priuationem respiciat,non etiam,iudicium ignis æterni,quo intelligitur cruciatus animi atq; corporis.Nō enim semper ira Dei idem significat in scripturis: Est enim ira quæ non omni no abijcit misericordiam,sicut scriptum est. Nunquid continebit in ira misericordias suas? Nunquid in perpetuum irascetur? Et iterum: cum exarserit in breui ira eius,& cætera.Et est ira quæ licet æterna sit non tamē habet perfectum odium: de quo scriptum est: Perfecto odio oderam illos.Denique est ira quæ integrum continet odium, & hanc deprecatur Propheta dicens: Domine ne in ira tua corripias me.& alius: Ne irascaris domine satis.Et hæc ira dicitur ira vsque in finem,Esaiæ.lvij.Et per hæc iam planè resoluitur argumentū,quod quidam parum attendentes insuper addunt.Priuari cœlesti regno, summum est malum,& summa pœna.Imò nec irrationabiliter quidam dicūt,hoc esse verum ignem,scilicet priuari illo summo bono. Quomodo igitur stabit(aiunt)quòd hanc pœnam pueri sustinentes non torqueantur,& ita non patiātur pœnam sensus? At verò tu

2.Sent. dist. 33.artic.2.in corpo.

Nota.

Ps.76.

Ps.2.

Ps.117.

Ps.7.

bone lector id nota primum: quia enim hanc pœnam præcipuam habent pueri, vt ipsi putant se probasse, videlicet tristissimam illam vitæ æternæ priuationem, hinc etiã concludunt eos habere alias, videlicet corporeas, & ab igne (vt volunt) corporeo: verũ quomodo istud etiã probãt? Sed, vt eorũ eneruemus argumentũ, hoc etiã accipe, Priuationẽ esse proprie, vt philosophus docet, quũ aliquid eo habitu caret cuius est susceptibile, & quẽ iam habuit, aut saltẽ innatum erat habere, si tunc eo careat quãdo innatum est. Ecce, homo qui caret visu quẽ habuit aliquãdo, priuatus dicitur visu, quia iam est potitus: & si nũquam habuisset, etiam priuatus diceretur, quia innatus erat habere illum. Catuli autẽ non dicuntur priuati visu statim cùm oriuntur, quia eo tẽpore nondum sunt innati habere: neq; edẽtulus dicitur infans cũ nascitur, quia non est tũc innatus habere dẽtes. Sed sunt etiã quædã animalia, quæ in sua specie non sunt innata habere visum, vt talpæ. Et quædã alia. Nũquid igitur & hæc dicemus priuari visu & cæca esse? Vix profecto: sed quodammodo, scilicet propter genus ipsum animãtium, quod innatum est vniuersaliter habere visum. Ergo in re proposita, hos pueros quodãmodo dicemus priuari regno, & quodãmodo non, Respectu enim speciei, quia erãt homines & ad illud saltẽ eleuari poterãt, aliquo modo priuari dixeris. At respectu suijpsorũ, quia nõ erãt innati in seipsis habere regnum: nõ erãt innati in seipsis habere regnũ: nõ proprie, neq; omnino verè dicũtur priuati regno, & ideo nõ dolebũt cũ viderint se carere illo, ad quod non sunt vnquam agnati cũ cæteris. Nã valde impropriè priuatio dicitur eius quod quis nõ sit innatus habere. Quare eleganter summus pontifex Innocentius tertius nõ priuationẽ vocauit huiusmodi pœnam, sed carẽtiam vitæ æternæ. Potest & nihilominus priuatio dici, ob hoc tantum, quod saltem in patre Adam erant innati habere, si stetisset: sed cum videbunt non culpa propria amisisse illud, & iustè carere, non erit insignis illa pœna Geennæ, imò nec verè aut propriè pœna. Nõ enim torquebũtur, nec torqueri quidẽ poterunt. Nã tales erunt cũ Deo, quales ratio suadet esse, vt ament iustitiã, nec afflictionẽ aliã vllã patiẽtur, vt cogãtur dolere, sed erũt cõtenti sua sorte, quæ certè nõ erit parua, vt præsenti disputatiõe indicabimus lectori benigno. Libet autẽ & pro his quæ diximus afferre interim & aliã. B. Th. pulchrã, ac multã, paucisq; perstrictã, circa hoc doctrinã. Etenim ille de his pueris sic ait, Omnino, & eadẽ ratione qua dolorẽ sensibili, & dolorẽ exterius affligente, non punientur, etiam dolore interiorẽ non sentient, quia dolor pœnæ delectationi culpæ respondet. Vnde delectatione remota à culpa originali, omnis dolor ab eius pœna excluditur: & ideo alij dicunt quod cognitionem

C. cum Marthæ de cele. miss.

B. Th. 2. Sent. d. 33. quæstio. 2. art. 2. in corpore arti.

gnitionem perfectam habebunt eorũ,quæ naturali cognitioni subiacent,& vita æterna se priuatos esse cognoscẽt,& causam quare ab ea exclusi sunt,nec tamẽ ex hoc aliquo modo affligentur:quod qualiter esse possit vidẽdũ est.Sciendũ ergo quòd ex hoc quod caret aliquis eo,quod suam proportionem excedit,non affligitur si sit rectæ rationis,sed tantũ ex hoc quod caret eo,ad quod aliquo modo proportionatus fuit.Sicut nullus sapiens homo affligitur,de hoc quod non potest volare,sicut auis,vel quia non est Rex,vel Imperator, cũ sibi non sit debitũ:affligeretur autẽ si priuaretur eo,ad quod habendũ aliquo modo aptitudinẽ habuit.Dico ergo,quòd omnis homo vsum liberi arbitrij habens,proportionatus est ad vitam æternã cõsequendam,quia potest se ad gratiã præparare,per quam,vitam æternam merebitur.Et ideo si ab hoc deficiant,maximus erit dolor eis quia amittunt illud,quod suum esse possibile fuit:pueri autẽ nũquam fuerunt proportionati ad hoc,quod vitam æternam haberẽt, quia nec eis debebatur ex principijs naturæ,cum omnem facultatẽ naturæ excedat,nec actus proprios habere potuerunt,quibus tantũ bonũ consequerentur:& ideo nihil omnino dolebũt de carentia visionis diuinæ,imò magis gaudebunt de hoc quod participabunt multum de diuina bonitate,& perfectionibus naturalibus.Nec potest dici quod fuerunt proportionati ad vitã æternam consequendam,quãuis non per actionẽ suam,tamen per actionẽ aliorum circa eos,quia potuerunt ab alijs baptizari,sicut & multi pueri eiusdẽ cõditionis baptizati vitam æternam consequuti sunt,hoc enim est superexcedentis gratiæ,vt aliquis sine actu proprio præmietur,Vnde defectus talis gratiæ non magis tristitiam causat in pueris decedentibus non baptizatis,quàm in sapientibus hoc,quod eis multæ gratiæ non fiunt,quæ in alijs similibus factæ sunt,hæc ille.Ex dictis autem facilè patet & aliorum resolutio obiectorum : Nam quod subijciebatur ex Paulo, Sicut per vnius delictum & cæter. eodem modo exploditur,quòd condemnatio ex eo delicto sic intelligitur,vt sit ad mortem gratiæ,quæ est prima mors,non autem ad secundam mortem,quæ est summi supplicij:hãc enim puto Dilectum vocasse mortem secundam, Nam prima mors est nobis ex primo peccato Adæ,Secunda autem ex delicto proprio(quod absit à nobis)post iam adeptam aut recusatam gratiam Christi.Non enim existimo secundam mortem dici,respectu corporalis mortis, cùm sint diuersi generis mortes,& diuersi ordinis & æquiuocè valde dicatur mors,vt nõ sit proprie primũ & secũdũ in huiusmodi,si rectè deputes:sed nõ est omniũ intelligentia,& plures ab ijs,in quibus assueti sunt,& ab initio persuasi,nec ratiõe vlla cõuelli possunt.

Nota. *Nota quid prima mors & quid. 2. sit in scripturis.* *Apo. 2.*

Ait enim Dilectus, Qui vicerit, non lædetur à morte secunda: permittit ergo hic sermo quòd læsus fuerit à morte prima. Sed nequaquam hoc verum, si primam mortem intelligat corporalē, quia qui vincunt, per illam vincunt, & non læduntur ab ea verē, in qua etiā vincunt & merentur, quia vsque ad illam perseuerauerunt, nec vlla læsio corporalis in cōsideratione est spiritus, cùm sit finis malorum, & nonnunquam per illam victoria paretur atq; triumphus: Illa igitur mors spiritualis, qua in Adam mortui sumus gratiæ Dei, illa est quæ prima mors meritò dicitur, & cui morti subiacuere omnes & læsi sunt, sed respectu cœlestis æternæ illius alterius vitæ, mors dicitur. Sicut enim est vita homini duplex, altera est illa cœlestis & æterna felicitas, quæ humanam facultatem & naturam excedit: Altera verò quæ est terrestris vita, & humana felicitas, quæ naturæ hominis congruit: Ita & duplex mors. & prima est quæ eripit primam vitam, id est illam cœlestem beatitudinem: Et hac morte prima mortui sunt, vt diximus, omnes ex primo peccato, quia amiserunt vitam illam cœlestem. Secunda autem mors est, quæ eripit, non solum primam vitam, sed & secundam, id est omnem humanam felicitatem, & hæc perfecta est mors, vtpote continens vtriusque vitæ priuationem perfectam: quoniam ducit hominem in miseriam & luctū æternū, sicut ait Dilectus: Pars illorum erit in stagno, igne ardenti, & sulphure, quod est mors secunda.

Homini vita duplex: et mors duplex.

Apoc. 2.

Quòd autem ex verbo Domini afferebant, qui dixit: Qui verò non crediderit condemnabitur, nihil habet momenti, non enim ad propositum attinet: nam minimè potest intelligi de condemnatione quæ est ex peccato originali, quoniam iam facta est, non futura: damnati enim iam & mortui sumus in Adam omnes, vt nō maneat alia propter istud peccatum damnatio aut sentētia dicenda. Loquitur ergo dominus ibi manifestè de nouo peccato infidelitatis, quod manifestè patet, quia de ijs loquebatur quibus prædicaretur euāgelium, & resisterent derogantes fidei. Quare locus ille in eos potius iure ac meritò retorquetur, si bona fide integer textus proferatur, vt quidam dixit, de legibus. Inciuile est non tota lege perspecta de vna eius aliqua particula iudicare. Dominus enim ibi mandatum illud Apostolis præmiserat, Prædicate euangelium omni creaturæ, Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit: qui verò nō crediderit cōdemnabitur: vt intelligeres eos ibi tantum comprehendi, qui prædicato sibi euangelio non crediderint, propria temeritate contemnēdo oblatam salutem. Condemnabitur ergo ex proprio non ex antiquo delicto: illud enim iam retulit condemnationem suam. & hoc fortè voluit innuere Dominus cum dixit: Qui non credit, iam iudicatus

Nota.

ff. de leg.

Ioan. 3.

dicatus est,quoniam ex primo peccato habet iudicium factũ,& fun datam etiam radicem futuri iudicij,quoniã sua culpa manet in peccato illo.Vnde bis iudicatur,ex peccato communi primo illo,quo à facie Dei proiectus est,& quo ad hoc iudicatus iã est:& ex proprio addito,quoniam sua culpa factum est,ne euaderet prius iudicium, & quo ad hoc futura est condemnatio,& iudicium noui & ingẽtis delicti.Vnde & hoc iudicium declarans adiecit Dominus dicẽs:In hoc est iudicium,quia lux venit in mundum,& dilexerũt homines magis tenebras quàm lucem.Sed quis dixerit sub hoc iudicio comprehendi pueros, qui non dum venerunt in mũdum vt illuxerit eis vera lux,& ipsa reiecta optauerint tenebras?cùm nec maiores,quibus euangelium prædicatum non fuerit,eo nomine teneãtur,quòd non crediderint,cùm dicat Dominus:Si non venissem,& locutus eis non fuissem,peccatum non haberent.

Venio ad eorum Achillem,sumunt enim sententiam Domini dicentis:Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non intrabit in regnum Dei.Tum & illud sumunt quòd quicunque à regno Dei excluduntur,seruantur Geennæ:quod si negemus cogunt nos argumento irrefragabili,vt arbitrantur.In scripturis enim solũ duo loca disponi legimus hominibus in die iudicij,cœlum scilicet & Geennam ignis,vt exponit Dominus in parabola ouium & hœdorũ: Qui igitur non admittuntur in cælum,vbi erunt?nisi in alio qui relinquitur,videlicet supplicij loco & æterni ignis?Sed & hic idẽ eorum error qui suprà in argumento superiore,quia non lectus est textus totus.Si enim integrè textus lectus fuisset,iam pateret manifesta solutio,& conuerteretur suus ipsorum Achilles in ipsos,Dominus enim ibi ait,congregandos coram se omnes homines ad iudicium: sed non est putandum,cùm de iudicio agitur,(quod discussionẽ aliquam sonat anteactæ vitæ),illic interuenire pueros,qui nullo huiusmodi iudicio indigent,qui nihil egerunt,quod cadat sub discussione:neque sub Christo vnquam fuerunt(id est Christi lege)vt debeãt iudicari velut præuaricatores,à Christo filio hominis,id est ad salutem hominum venienti,tanquam spretores illius & conculcatores sanguinis.Illi enim iudicium datum est,quia filius hominis est id est,propter nos passibilis & mortalis.Nõ intelligent fortè aliqui quod loquor,neque admittent,sed hæc dicta sint volentibus doceri.Nũc ad eos qui doctrinã nolũt,sed vinciri magis oportet,me verto:dico enim palàm,quòd illa condemnationis sententia non attingit pueros,quia & ibi palam exprimitur ratio condemnationis,nõ illa quidem antiqui peccati,qua pueri continentur,sed noui & personalis cuiusque delicti sub qua pueri comprehendi non possunt.

Ioan.15. Matth.25. Nota. Ioan.6.

Adijcitur enim, Esuriui enim & non dedistis mihi manducare, Sitiui & non dedistis mihi bibere, & quod excurrit: An quæso hæc iudicij causa & ratio conueniat pueris? Si igitur non conuenit ratio iudicij, quomodo poterit cōuenire iudicium? Et planè ridiculum est, quod quidam proteruè respondent, quòd ratio est particularis non pertinens ad omnes, iudicium autē vniuersale quod ad omnes pertinet: nam vt iurisconsulti aiunt, omninò ineptum est rationem assignari generali dicto, quæ sit ipso dicto angustior. Quæro enim, an inter hœdos, id est eos qui à sinistris constituentur, connumerentur pueri? Hoc enim ipsi volunt: & nunquid ea verba, quæ dicet illis dominus, Discedite à me maledicti in ignem æternum, etiā cōuenient illis pueris? & hoc similiter volunt. cur igitur nō & illa quæ subinferuntur: Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare? cùm in eosdē intendantur, in quos illa superiora? Hic respondere directè non possunt, sed conquirunt fugam & negantes rationem illam esse vniuersalem. Adhuc enim demptis pueris, aiunt non esse illam rationem vniuersalem, licet sit iudicium vniuersale, vt ipsi ponunt: nam, ponatur quòd quis ob aliud quoddam proprium delictum, aut facinus damnetur, præter illa quæ ibi annumerantur misericordiæ opera prætermissa, vt quod quis non crediderit Christo, aut in hæresim lapsus fuerit, aut peierauerit, aut blasphemauerit Deū, aut aliud quiddam tale, extra illas omissiones officiorum charitatis. Sed nil obstat argutiola hæc. Primo enim falsum isti assumunt, quòd ibi per eam parabolam, iudiciū vniuersale omniū hominū declaretur. Sunt enim quidam insigni suo ipsorum peccato fermè extra omne iudicium. Iudicium enim discussionē quandam notat (vt diximus). Quamobrem qui sese manifeste opposuerit Christo, absq; iudicio erunt discussionis: ipsi enim secum ferunt iudiciū, Et ideo sub eo iudicio non comprehendentur, nisi fideles mali, vt eleganter docet Greg. his verbis: Isti autem quibus hoc dicitur, videlicet, Discedite &c. sunt mali fideles qui iudicantur & pereunt: non enim tunc eorum causa discutitur, qui ad conspectum districti iudicis, iam cum damnatione suæ infidelitatis accedunt, professionem verò fidei retinentes, sed professionis opera non habentes, redarguuntur, vt pereant. Isti enim saltem iudicis verba audiūt, quia eius fidei saltem verba tenuerunt, Illi in damnationem suā æterni iudicis nec verba suscipiunt, quia eius reuerentiam nec verbotenus seruare voluerunt. Nam & princeps terrenam Rempub. regens, aliter punit ciuem interius delinquentem, atq; aliter hostem exterius rebellantem: In illo enim sua iura consulit, contra hostem vero bellū mouet: & de pœna eius quid lex habeat, non requirit. Hæc perpulchrè & sapienter doctissimus

Greg. in homi.

doctissimus pontifex. Nam & hoc Apostolus prædixerat. Quorundam esse peccata manifesta & præcedentia iudicium. Videant ergo hi viri quòd etiam absq; pueris, hoc iudiciũ domini non est vniuersale in omnes homines, sed solũ in fideles, qui susceperunt Christianam professionem. Nam ab his demum exiguntur opera charitatis in Christo, qui sub Christi lege fidem suã astringũt, & quicunq; dãnabũtur ex ijs, ob huius dilectionis officia nõ exhibita Christo, damnabũtur. Qui enim fecerit maiora his crimina, puta, Subtraxerit aliquid furto, aut occiderit, aut patri honorẽ surripuerit, aut Christũ blasphemauerit, aut Deũ, aut sanctos, & huiusmodi talia cõmiserit, nonne dici poterit hunc nec pauisse Christũ, nec potum illi dedisse, nec alioquin misertũ esse: certe q maiora admiserit etiã nec ista opera fecerit, & reus tenebitur hoc ipso nomine, quòd non fecerit ista. Dominus enim per hoc quod exigit pasci proximũ sui gratia, & reliqua illi exhiberi officia, voluit intelligi quod multo magis eo iudicio tenebũtur, qui nõ solũ nõ pauerint, sed occiderint, aut talia fecerint, quæ statim arguũt ista esse omissa. Deniq; vt cõfutẽtur vel ipsius Aug. autoritate qui in eo fidũt, ipse exponẽs hũc Matthæi locũ, sic ait: Erit ergo æterna cõbustio sicut ignis, & eos in illã ituros veritas dicit, quorũ nõ fidẽ, sed bona opera defuisse declarabit. hæc ille, quibus quid clarius pro sentẽtia quã probamus? Sed vt eius loci perfectam intelligentiam assequamur. Nolo existimes, si forte fecerit quid eorum operum externẽ, piẽ fecisse. Conuincitur enim non fecisse propter Christum, Augustino teste, qui eius mandata reliqua non custodiuit. Hic enim locum habet quod frater Domini rectẽ pronunciauit. Qui offendit in vno, omnium reus factus est. Nunc ergo iam consydera, vt suum ipsorum in ipsos telum conuertitur. Ipsi enim tertium locum esse negabant in quo pueri collocandi essent, ob eam causam, quia duo tãtummodo loca in scripturis legerent. Vbi autem (inquiunt) vos tertium legistis? & nos dicimus, ibi tertium collegimus, vbi ipsi, duo tantum. Etenim cum pueri sine sacramento defuncti, cœlum ingredi nequeant, & ideo non sint inter oues, quibus destinatum est regnum cœli: ac propterea excludantur eo primo loco, & similiter non sint ponendi inter eos qui in Geennam detrudentur, quibus dicetur: Esuriui, & non dedistis mihi manducare: quoniam hoc pueris conuenire non potest, Profectò superest, si non nullibi mansuri sint, vt tertius eis assignetur proprius locus, Quare & apud Danielem sic legitur: Et multi de ijs qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt, alij in vitã æternam, alij in opprobriũ, vt videant semper. At tẽde lector, Non dicit, omnes qui dormiũt: sed multi de ijs qui dormiunt:

Aug. de fide & ope. c. 15.

Nota.

Danie. 12.

Nota locũ.

miunt: vt clare satis innuat, aliquos superesse dormientium, qui nec in vitam æternam, nec in opprobrium æternum vigilaturi sunt. Hi autem quinam esse possunt, nisi pueri isti? Alioquin dent nobis cõtradicentes, quinam hi sint. Certè hic locus irrefragabiliter contra eos concludit. Quod si pergant inquirere, Quis ergo hic tertius locus? Respondebo non esse meum hoc illis declarare, qui fortè nesciã aut si forte sciam: ipsi tamen fortè non audirent. Alioquin cum dicat Dominus: Mansiones multæ sunt in domo patris mei, ego contrà rogarem illos, quænam sint istæ, & quales mansiones? & cum hoc nobis ipsi similiter assignare non possent, nisi prius in cœlum rapti viderent, opinor & ego liberarer à quæstione sic respondẽs, me tertium quidem his pueris locum deberi, satis videre in scripturis, qualis autem sit ille, nõ satis perspicere: Satis autem est mihi hoc iam me consequutum esse vi veritatis: necessario tertium dari locum pueris istis debitum, quisquis is locus fuerit, Propter amicos tamẽ, etiam de loco paulo post, quid sentiam, & quid super hoc probabiliter, citra vllam assertionis temeritatem, existimem explicabo.

Quod verò vltimo afferebatur, id est domini sententia dicẽtis, Qui non est mecum contra me est, manifestè in ijs, qui poterant consentire, & vocabantur vt secum essent, locũ habet: qui ideo contra eum sunt, quia vocantem renuentes, spreuisse cõuincuntur: Vnde & sequitur, & qui non colligit mecum, dispergit: manifestè loquens de eo qui iam colligit, sed non cum Christo. Attamen Cyrillus & Chrysostomus non hanc accipiunt vniuersalem sententiam, sed de Diabolo particularem: & sic non faceret contra nos. Hactenus autem satisfactum sit obiectis omnibus, quæ de scripturis mouent, aut moueri possunt.

Confutatio iniqui dogmatis, & confirmatio ueræ & ecclesiasticæ sententiæ.

NVnc igitur ad confutandum errorem ac simul comprobãdam veritatem nostram, id est ecclesiæ, quam sequimur, Primum illud affero, quod per Ezechielem dictum est, Quid est quòd inter vos parabolam vertitis in prouerbium istud in terram Israël, Patres nostri comederunt vuam acerbam, & dentes filiorũ obstupuerunt. Viuo ego dicit Dominus, si erit vltra vobis parabola hæc, prouerbium in Israël: ecce omnes animæ, meæ sunt: sicut anima patris, ita & anima filij. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. & iterum: Nõ portabit filius iniquitatem patris, nec pater portabit iniquitatem filij. Iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum. Anima quæ peccauerit ipsa morietur. Quid adhæc possunt respõdere ad-

uersantes

uersantes veritati? Ibi enim parabola illa & prouerbiũ illud: Patres comederunt vuã acerbam, & dentes filiorũ obstupuerunt, vt proinde falsum reprobatur. Sicut & apud Hieremiã dicit dominus: In diebus illis, nõ dicent amplius, Patres comederunt vuã acerbam, & dẽtes filiorũ obstupuerunt: sed vnusquisq; in iniquitate sua morietur. Omnis homo qui comederit vuã acerbã, obstupescẽt dẽtes eius. Comedere enim vuã acerbam, est immature abuti voluntate sua, cõtra præceptum Domini aliquid faciendo. Sin autẽ vera esset horũ opinio, qui dicunt paruulis obesse peccatum parẽtum primorum in iudicio magno, vsq; ad stuporẽ dentium, id est vsq; ad pœnam sensus (hoc est enim obstupescere dẽtes ab esu immaturæ vuæ, scilicet supplicium pati positiuũ, sensibile, & non tantum priuationis cuiuspiã lucri) si inquam vera esset horum opinio, non esset vera illa sententia quod hoc prouerbiũ non dicetur vltra, quinimo id possent huiusmodi paruuli verè dicere, & conqueri velut iniquum, quòd dentes ipsorum, ex parentum duntaxat immaturo illo esu, obstupuerint. Non me latet Moysi à Domino fuisse dictũ, Visitabo iniquitatẽ patrum, in tertiam & quartam generationẽ. At sententia illa Domini: quòd filius non portabit iniquitatẽ patris, primum restringenda est vt de pœna spirituali intelligatur, & nõ de pœna corporali, de qua loquitur Deus per Moysen. Deinde excipiendum est, nisi filius ipse participet culpã parẽtũ vel per originẽ, vel per imitationẽ. Sic enim exponit Tho. ex August. doctrina in epistola ad Auitum. Verùm si rectè loqui volumus, iuxta verborum vim, hæc vltima resolutio nõ facit veram exceptionem, nec angustat verba sententiæ. Si enim filius quia participat quauis ratiõe delictũ patris ideo punitur, iã dicẽdus nõ est ex patris delicto, sed ex proprio puniri, vt ob hoc lynceã maneat illa sentẽtia, Filius nõ portabit iniquitatẽ patris. Non enim patris iniquitatem portat, sed suam, præsertim si imitetur patrẽ in peccato, sic enim quàmeuidentissimè apparet separata esse peccata filiorum à peccatis parentũ, & quisq; suum onus portabit. At alia consideratio est, si participatio delicti sit per originem. Tunc enim idẽ est & patris & filiorum peccatum, & magis videtur lædi regula hæc, eò quòd parentũ peccatũ videtur obesse filijs, nec quiescit animus audientis, quòd illud peccatum est similiter filiorum, vt patris, quoniã hoc ad sensum nõ videtur, cum pater ipse actualiter peccauerit quãdo nec dũ essent filij in rerũ natura, vt peccare potuerint. Ac deinde subingreditur quæstio magna quæ negociũ fecit Augustino, nos explicauimus ni fallimur suo loco: quamobrem illa primorum parẽtum prima culpa participent filij, & non alijs culpis primorum parentum, neq; etiam quauis culpa parentum proximiorum. Et nunc

Nota pro intellectu prouerbij Patres co. uuã acerbam

Exo. 20.

Supra de peccato origin.

X quantum

quãtum ad propositum attinet, dicimus cum Thoma nostro & cæteris communiter, quòd hæc Domini sententia vera est omnino, & sine vlla exceptione, Filius non portabit iniquitatem patris, iniquitas enim antiqui delicti, vt fuit patris nostri, meruit æternam pœnã sempiterni ignis. Hanc autem non portant filij, nec si priuentur ob illam iniquitatem bonis cœlestibus, ideo illam iniquitatem portãt, id est illi iniquitati conuenientem pœnam: quoniã nec illa Adæ iniquitas fuit nostra, nisi quadantenus, vt dictum est. Nos enim quatenus in Adã existentes reputati essemus iusti, vt bona per illum susciperemus, si stetisset, quia natura parens thesaurizat filijs, eatenus in eodẽ cõsiderari debemus peccatores, cũ nõ steterit, scilicet dũtaxat ad eorũ priuationẽ bonorũ sustinendã, quæ nobis per ipsum obuẽtura erant, nõ autem vt prorsus puniatur anima nostra, æterna illa & secunda morte, quæ tantũ debetur actuali peccato. Sic est verum quod sequitur: Anima quæ peccauerit ipsa morietur, & ob hoc præmissum fuit à Domino, Ecce omnes animæ meæ sunt, sicut anima patris, ita & anima filij. Sensus est, quòd quia non à patre venit anima, sed à Deo immediatè, non est conueniens vt delictũ animæ patris, sequatur animã filij, positiuè & personaliter, videlicet infligẽdo pœnam positiuam, personalemq; quod esset portare patris iniquitatẽ. Et hoc propriè significat, portare iniquitatẽ, premi pœna quasi onere quodã quod portatur. Vnde Paulus: Vnusquisq; onus suum portabit, Priuari autẽ bono & lucro aliquo, nõ est propriè portare quicquã. Sicut neq; est obstupescere dẽtes per comestionẽ vuæ acerbæ, quam fecere parentes, si non aliud pœnæ ex hoc sequatur, quàm vuæ bonæ & maturæ priuatio.

Ad Gal. 6.

Adhæc reuolue vniuersam scripturam, & vide vbicunq; fit mentio iudicij extremi, solum considerari propria delicta, nec vllum prorsus verbum antiqui delicti. Certè in parabola ouium & hœdorum manifesta est ratio iudicij defectus operum charitatis, sic & in parabola decem virginum causa reprobationis fatuarum est, quia non sumpserunt oleum secũ, Sic & in parabolis cœnæ & prandij & nuptiarum, vbi inuitati & recusantes condemnabuntur, & qui non tulit vestem nuptialem, id est charitatem & ausus est illuc ingredi. Hæc autem non valent ad pueros attinere, qui nec inuitati fuerunt, nec poterit imputari eis charitatis defectus, & audacia vlla aut præsumptio voluntatis ingrediendi regnum, vt inde eijci possint. Similiter & in parabolis talentorum, & minarum confunditur seruus nequam, quia non est operatus, & illi qui legationem miserunt, nolentes regnare Dominum super se, Inter hos enim non cõnumerantur pueri. Similiter operarios iniquitatis excludit à regno

Matth. 25. & 22. & Luc. 14. & 16.

cœli,

cœli, vt detrudantur in locum tormentorum, vbi est fletus & stridor dentium. Item seruum percutientem conseruos & ancillas & edentem bibentem & ebrietati studentem puniendum proponit, & qui cognouit voluntatem Domini & non se præparauit, aut etiã non cognoscens fecit digna plagis, & seruos qui non vigilauerint in occursum Domini reuertentis à nuptijs, Et in parabolis diuitis epulonis, & diuitis auari propria condemnãtur peccata. Itẽ in Pharisæos & Scribas & Iudæos nullum væ comminatur Dominus, nisi ob certa ipsorum delicta, hypocrisim, perfidiam & cæte. Item in parabola Sagenæ manifestè iudicium fertur, in eos qui congregati sunt in euangelium, & malè se habuerunt in illo, vt in fine separandi sint à bonis. At pueri isti nunquam in sagenam venerunt. Ioann. vniuersalem iudicij causam indicans & rationem, In hoc est iudicium, inquit, quia venit lux in mundũ, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucẽ: quod certè in pueros verè dici nõ potest. Paulus vniuersale iudiciũ describẽs, dixit, κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ. Et dominus, κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ, vt propria opera significarẽtur: vnde & in Symbolo apertè: Reddituri sunt de factis proprijs rationẽ. Vnde ipsemet Paulus postquam dixit, Qui reddet vnicuique iuxta opera sua, adiecit: His quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: His autem qui sunt ex contentione & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum. Et alibi, vnusquisque onus suum portabit, Græce ἴδιον, id est proprium, & omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum siue malum. Audis propria corporis, id est, pro vt gessit existens in corpore, quæ omnia pueris non conueniunt. Petrus & Ioannes, & Iacobus, & Iudas (lege si placet, & expende singula) non alijs comminantur iudicium, & cruciatus æternos, nisi ijs qui flagitia propria admiserint. Denique illud frequens væ, in Apocalypsi, & quæcunque tandem sunt iudicij & damnationis, in eos prænunciantur, qui in operibus manuum suarum contaminati sunt, & corruperunt terram: vidit enim Propheta iudicatos esse singulos sicut scriptum erat in libris eorum secundum opera ipsorum. Nam & hoc ait ibi Dominus: Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secũdum opera sua. Quid ergo fingunt iudicium & damnationem quæ statim primo audito piorum aures facit horrescere? Cur non magis probant sententiam Innocentij tertij & doctri-

Matt. 23. & 24.

Ioan. 3.

Ad Rom. 2.

Matth. 16.

Ad Gal. 6.

2. Cor. 5.

Apo. 20.

Psal. 91.

na & sanctitate clarissimi, & vt esset fortior, in Decretis ipsis conscri ptã, vbi plane legitur, Pœna peccati originalis est carentia visionis dei: Actualis vero peccati pœna, est Geēnæ perpetuæ cruciatus. Nec quicquã est quod quidã aiunt, nõ negare Pontificē deberi originali peccato pœnã Geennæ, per hoc quod carētiã visionis Dei assignauerit eis pro pœna. cõstituitur enim apertè ibi differētia inter pœnã originalis & actualis peccati, nimirũ ista, quòd pœna originalis est carētia visionis Dei: actualis autē, etiam cruciatus æterni ignis. Quòd si peccato originali, etiã debetur hæc pœna, certè illa ibi assignata differentia perit, & nõ erit differentia, quã tamē pontifex ibi statuit esse differentiam.

Marthæ de bapti.

Innuit Grego. Arim.

Adhæc pro hac sentētia facit cõmunis opinio recentium theologorũ, qui quanquã August. sententias legerint, & viderint, quid ipse aliquãdo senserit, omnes tamen (vno Gregorio Ariminensi excepto qui cũ formidine pro Augustino disputat) non potuerunt sequi, id quod sedere animo pietatis causa, nõ poterat. Sed benignè exposuerũt verba Aug. propter reuerētiam tanti doctoris. quãquam fortè illud satius fuisset, simpliciter fateri, quòd aliquãdo illud sensit Augustinus, & excusare potius autoritatē, propter humanam conditionē erroribus & peccatis, donec in hac misera vita sumus, in omni viro (vnum tãtũ semper excipimus) miserabiliter subiectã. Sanctus enim Bonauentura non dubitauit hoc in loco dicere. B. Augustinũ excessisse, vtpote contra Pelagianos differentē, & in partem contrariam nimis inclinantē, quod rhetores sæpe faciunt. Poterat nihilominus, & aliter euitari, circa hoc August. autoritas, tum quod varie locutus est, & aliquando oppositam dixit sententiam, tum verò quod cùm illud existimauit, nõ sine angustijs etiã maximis poterat cõprobare. Fateor ergo primum in libro de fide ad Petrum hanc sententiam legi. Sed hunc librum (vt liberè loquar quod sentio) vix adducor credere, esse Aug. cum ibi nec acumē, nec stylus, nec humilitas, nec circũspectio Augustini agnoscatur. Verũ adijcitur, quod ipse ad Renatum scripsit, videlicet his pueris medium assignare locum, inter Gehennæ supplicium & cœlorũ regnũ, hæresim esse Pelagianã. Quod si verum fuerit, cõsequens est, vt omnis schola hæresim Pelagianam defendat. At cur non potius fateamur, quòd Aug. humani aliquid passus est, & excessit Augustinus in hoc dogmate? quod illi eo tēpore, quũ hæc exacte tractata non erant, excusabile fuit, At his nũc qui hæc sequi pertinaciter volunt, iã reddi inexcusabile, quoniã iã patet quo ex loco cœperit ille fallaciam.

Hic addo, vt ora obstruã cõtradicētiũ, quod Aug. quãdoq; cõtrã docuit. Quibusdã eñ imperitis sic interrogãtibus de pueris, Quid opus

opus erat vt nasceretur, qui antequā iniret vllū vitæ meritū excessit è vita? Aut qualis deputabitur in futuro iudicio, cui neq; inter iustos locus est, quoniā nihil rectè fecit neq; inter malos, quoniā nihil peccauit? Quibus sic respōdet. Ad vniuersitatis cōplexū, & totius creaturæ, vel per locos vel per tēpora ordinatissimā cōnexionē, nō posse superfluo creari qualēcunq; hominē, vbi folium arboris nullū superfluo crearetur, sed sanè superfluo queri de meritis eius, qui nihil meruit. Non enim metuendū est, ne vita potuerit esse media quædā inter rectè factū atq; peccatū, & sententia iudicis media esse nō possit inter præmiū atq; supplicium, hæc ille. quibus nescio quid clarius exprimi poterat? Sed & ad Iul. sic ait. Quis dubitauerit paruulos nō baptizatos, q solū habēt orig. nec vllis proprijs aggrauātur, in dānatiōe omniū leuissima futuros? quæ, qualis, & quāta erit, quāuis definire nō possim, nō tamen audeo dicere, quòd eis, vt nulli essent, quā vt ibi essent potius expediret, hæc ille. Quæ certè nō stāt cū tā crudeli sentētia. Si enim pœna eorū sit Geēna ignis, qua crucientur cū dæmonibus, iā satis cōstat quænā sit & qualis. Vide ergo prudēs lector ꝙ nō sibi semp cōstitit Aug. Quòd aūt nec sibi vnquā placuerit illa sæua opinio. Ipsemet enim ad Hiero. his verbis indicat. Cùm ad pœnas ventum est paruulorum, magnis mihi crede coartor angustijs, nec quid respondeā prorsus inuenio, non solū eas pœnas dico quas habet post hanc vitam illa damnatio, quò necesse est trahantur si de corpore exierint, sine Christianæ gratiæ sacramēto, sed eas ipsas quæ in hac vita dolētibus nobis versantur ante oculos, quas enumerare si velim, prius tempus quàm exempla deficient, languescunt ægritudinibus, torquentur doloribus, fame & siti cruciantur, debilitantur in mēbris, priuantur sensibus, vexantur ab immundis spiritibus. Demonstrandū est vtiq; quomodo ista sine vlla sua mala causa iuste patiantur. Nō enim dici fas est, aut ignorante Deo ista fieri, aut eū non posse resistere facientibus, aut iniuste ista vel facere, vel permittere. Nūquid nā sicut illa animalia irrationabilia rectè dicimus in vsus dari naturis excellentioribus, & si vitiosis: sicut apertissimè in Euangelio videmus porcos ad vsum desyderatum concessos esse dæmonibus, hoc & de homine rectè possumus dicere? animal est enim, sed rationale, etsi mortale. Anima est rationalis in illis mēbris, quæ tātis afflictionibus pœnas luit. Deus bonus est, Deus iustus est, Deus omnipotēs est, hoc dubitare omnino demētis est. Tantorū ergo malorū quæ fiunt in paruulis, causa iusta dicatur, Nēpe cū maiores ita patiuntur, solemus dicere, aut sicut in Iob merita examinari, aut sicut in Herode peccata puniri: & de quibusdā exēplis quæ Deus manifesta esse voluit, alia quæ obscura sunt hominū cōiectare cōcedi-

Aurea verba Aug.

tur, sed hoc in maioribus. De paruulis aũt quid respõdeamus edisse re, si pœnis tãtis nulla in eis sunt puniẽda peccata. nã vtiq; nulla est in illis ætatibus examinãda iustitia. De ingeniorum vero diuersitate quid dicã? quæ quidẽ in paruulis latet: sed ab ipsis exordijs naturalibus ducta, apparet in grãdibus, quorũ nõnulli tam tardi & obliuiosi sunt, vt ne prima quidẽ discere literarũ elementa potuerint. Quidã verò tantæ sunt fatuitatis, vt nõ multũ à pecoribus differãt, quos moriones vulgô vocãt. Respondetur, Fortasse corpora hoc faciunt: Sed nũquid secũdũ hanc sentẽtiã, quã defendi volumus, anima sibi corpus elegit, & in eligẽdo cũ falleretur, errauit? aut cũ in corpus cogeretur intrare necessitate nascẽdi, alia corpora præoccupãtibus animarũ turbis, ipsa aliud non inuenit? Et sicut in spectaculo aliquo locũ, ita carnẽ, nõ quã voluit, sed quam valuit, occupauit? nũquid hæc & talia vel dicere possumus, vel sentire debemus? Doce igitur quid sentire, quid dicere debeamus: vt constet nobis ratio nouarum animarum, sigillatimq; factarũ singulis corporibus. Hæc ille. Agnoscisne tandem lector viri gloriosi anxietatem in hac re, quæ ex peccati illius ignorantia veniebat, quod cuius esset ponderis nesciebat, & quid deus in misericordiæ suæ thesauris seruaret pro illis, non tũc poterat diuinare, cum odium dei in scripturis & iram in illos legeret. Non enim venit in mẽtem (vt erat verè humilis) quod honoris & gloriæ eius causa dictum volo, quod diuina benignitas nõ continet, etiã in ira misericordias suas: & nihilominus ad hoc cogitandũ spiritus ille bonus eundem aliquãdo impellebat. Nã in alio libro nõ est veritus pro pueris hæc verba proferre. Quis autẽ nouit quid paruulis de quorũ cruciatibus duritia maiorũ cõtendere, aut exercetur fides, aut misericordia probatur, quis inquam ergo nouit quid ipsis paruulis in secreto iudiciorũ suorũ bonæ cõpẽsatiõis reseruet Deus? quoniã quãquam nihil rectè fecerint, tamẽ nec peccãtes aliquid ista perpessi sunt. Nec me latet aliquãdo Augustinũ retractasse sua verba hæc, ad Hieronymũ scribẽs, Nõ tamẽ in libro Retract. Sed quid vetat hominẽ retractare interdum quæ rectè sunt dicta: sic retractat quod dixerat, Vanitas vanitatũ, & censet legi debere, vanitantiũ, nesciens Hebraicũ tropũ. Sic retractat quod dixerit, omen, vsus verbo, quod in scripturis nõ reperiatur, cum verè reperiatur. 1. R. 20. Mitto alia. Hæc enim satis vt agnoscat amator veritatis nõ in omnibus quæ vtcunq; protulit Augustinus quiescẽdũ esse, cùm nec ipse hoc velit, imò etiam prohibeat, & duros esse nimis, nec excusabiles, qui huius vnius authoritati innixi (qui tamẽ & cũ formidine hoc docuit, quod isti probant, & contrarium etiam nonnũquam ipsemet protulit) nihil aliud audire volunt. At magna, inquiunt, est authoritas Augustini,

Lib. 3. de lib. arbi. cap. 3.
Nota uerba.

ni,magna profectò,sed veritatis quæ iam pateat,longe maior. Longe maior Pontificũ authoritas & Ecclesiæ,de cathedra docentis: & communis doctorum sententia. Quare optimum arbitror,vt in omnibus,ita & in hac quæstione, prudentis apis imitari sedulitatem, quæ de multis flores deligit meliores.

De conuenienti statu & loco qui pueros non initiatos manebit post iudicium.

HActenus satis arbitror ostensum esse, neq; de scripturis accipi, neq; Aug.autoritate satis defendi,Pueros istos æternis ignibus cruciandos: Sed vt est communis sententia,mediũ illos sortiri statũ & locũ,quia nec Christũ agnouerũt,vt eius gratia cœlo possent potiri,nec itẽ oderũt,vt hoc demerito possent in cõtrariũ perfectum Dei odiũ incurrere. Nunc tandẽ videndũ superest,quidnam exigat iste status illorũ medius,& quẽ sibi cõgruẽ locũ vẽdicet,& an omnino isti sint expertes omnibus commodis à Christo venientibus. Est enim in nouissimis resurrectio mortuorum, quæ per Christũ est,& hac certè nõ carebunt pueri,vt nemo dubitat:quia verũ est omninò quod ait Paulus.nouissimè autẽ inimica destruetur mors,& iterum. Quoniam quidem per hominem mors,& per hominẽ resurrectio mortuorũ. Sicut in Adã omnes moriũtur,ita in Christo omnes viuificabũtur. Ergo erũt perfecti tũc homines per Christum,secundũ cõpositionem animæ & corporis,quoniã vlterius non expectabũt corruptionẽ ac mortem,vt sit Christus instaurator & gratiæ in multis,& naturæ,in his qui gratia participare nõ valuerunt,eo quod nõ sunt applicati Christo, Quia enim nõ erat cõueniens,vt quidquam fraudaretur suo fine,id est illo,qui ei iuxta naturã suã cõpetit:idcirco illa eos manebit felicitas,quã homini dignũ est competere vt homo est. Illa enim cœlestis vita & beatitudo,naturæ humanæ cõditionẽ lõgissimè superat:qui enim ordinãtur ad illã,nõ iã homines,sed dij sunt,vtpote filij Dei,sicut probat scriptura. Ergo istis pueris qui humanã naturã sine crimine habebunt,illa quæ humanæ naturæ cõuenit,& quodãmodo ipso iure debetur,felicitas dabitur. Noscẽt ergo(quatenus naturalis cognitio se extẽdere poterit)Dominũ Deũ & substãtias separatas longe super omnes Philosophos,nõ enim habebunt vllum impedimẽtũ ex corpore neque interius,neq; exterius & in æternum viuentes proficient quodãmodo in immensum. Probabile etiam mihi videtur,quòd cùm nõ sint futuri propriè exules à regno Dei,sed relegatis magis similes,nõ carebunt angelicis reuelationibus,& visitationibus,etiam eorum qui erunt in cœlis,qui sic recreabunt eos & solabuntur,vt præter diuinæ visionem maiestatis nihil

Nota hæc.

nihil eis deesse intelligamus.

Qui autem locus illis conueniat, mecum animo meditans probabilissimum iudicaui, quod quidam dicunt, habitationem eorum forè super hanc terram, quia locus est proprius hominum, vbi contemplabūtur opera Dei. Et huc aspexit forsan qui dixit: Cœlum cœli Domino, terram autē dedit filijs hominum. & fortasse hoc est etiā quod dixit Apostolus, instaurata per Iesum omnia & quæ in cœlis, & quæ in terra, id est quæ cœlestem habitationem habebunt, & quæ terrenam. Est & alia ratio pro hoc non reijcienda quā docti quidam induxere: quoniam cùm terra hæc mansura sit in æternum & purgatior, & pulchrior, sicut scriptum est: Et vidi cælum nouum & terram nouam. Sicut autem cœlum nō nudè pro cœlo sumitur absq; habitatore, ita nec terra: & vere valde incongruum videtur, & locum talem & tantum forè perpetuo vacuum sine habitatore, & similiter terrenos homines carere habitatione sua propria, quæ est terra hæc: nam sub terra manere tales, & minus conueniens eorum conditioni videtur. Quòd si nunc animæ tenētur limbo, sicut olim sancti patres detenti sunt, qui locus sub terra esse merito creditur, hoc illi originali peccato datur interim, vsq; ad diem magnæ resurrectionis. Quando enim totum Christi corpus resurrexerit, scilicet in sanctis suis, tunc æquum erit & istos potiri perfectione sua, nimirum iuxta eorum naturalem conditionem: Hoc enim mihi admodum probabile visum est semper, & tamen quicquid sit, nolo aliquid temerè à me assertum esse, Illud potius valeat, quod aliquando probarit ecclesia. Interim liceat cum catholicis probabiliter talia disputasse, & prudēti lectori ac sapienti occasionem dedisse aut probandi quæ diximus, aut excogitandi afferendiq; meliora. Et pro his benedictus Deus in secula. Amen.

Nota.

ΤΈΛΟΣ.

De certa gloria,

INVOCATIONE AC VENERATIONE SANCTORUM DISPVTATIONES ATQVE ASSERTIONES CATHOLICAE ADVERSVS IMPIOS.

F. Ambrosij Catharini Politi Senensis ord. præd.

ἐκ πόνου ὁ βίος:

Sic ars chalcographi saxea monstra domat:



Sic labor alatum te super astra feret.

LVGDVNI,

Apud Mathiam Bonhomme.

1542.

REVEREND. DOMINO D. NICOLAO GADDO FLORENTINO SACROS. RO. ECCL. CAR.

F. Ambrosius Catharinus Politus Senen. ordi. Prædi. ueram felicitatem.

TVA illa pietas, Reuerendissime D. quam præ te fers, tuaq; illa erga me & beneuolẽtia & liberalitas, insuper & existimatio, quòd inter eos quos zelus domus Domini urget aliquem mihi locum ego uendicauerim, ad hoc me impulit, ut quæ de certa sanctorum gloria, & debito illis cultu iam olim scripsi, & latitabãt, nunc tandem in lucem æderem. Quamuis enim & alij plures id argumenti eleganter atque idoneè tractauerint, interest tamen ecclesiæ Christi (ut Augustinus uerè ait) esse multorum scripta, quæ hæreticorum perfidiam atque improbitatem, callidasq; deceptiones, quasi uno spiritu contundant atque elidant. Non enim ad omnium manus omnium libelli perueniunt: nec omnes omnia exactè tractant, & ad persuasionem cunctis: nec omnium est idem stilus, ordo, modus: & cùm sint uaria sæpe media quibus idem probatur, non tamen

omnia afferuntur ab omnibus. Denique sicut in multorũ ferculorum mensis idem cibus nõ æquè omnibus sapit, sed qui forte ab uno quolibet auidè sumitur, ab alio respuitur: sic & plurium disputationes, ob uaria hominum ingenia atque iudicia, uarium quoque sui gustum præbent. Scimus quodcunque minutum in gazophilatium tẽpli mittitur, à Domino respici, & probari: & illum dare satis, qui, quod habet, hilari animo elargitur. Itaque modò prædicetur Christus, modò eius gloria & gratia, quæ præcipue post illum in sanctis suis manifestata est, & iure optimo recolitur, defendatur, operæprecium fore semper existimaui. Hoc uerò quodcunque operis nostri est, pietatem tuam promeruisse suoq; iure illud sibi uendicasse inficiari non ualeo. Quare tibi meritò dicatũ est, uel ob eã gratiã, quòd orationes, atque intercessiões pro te sedulò fieri ab his quos tu, uel in terris, Deo charos & amicos putas, tam sæpenumero tamq; instanter & postulas & efflagitas. In quorum numero, cùm etiam me cõstituas (quanquã non absque pudore meo ac dolore, quòd me talem qualem tu arbitraris minimè agnosco) hoc tamẽ facto facilè declaras, quàm in alijs fidas, qui uitæ meritis me longè superãt, & quàm uehemẽtius illos (ut par est) obserues & colas, de quorum sanctitate, & gloria, post Dei iudicium ore Petri pronunciatum, nefas est homini Christiano ambigere. Qua de re primo huius tractatus li

bello, contra hæreticorum manifeſtam inſaniam, & quorundam etiam ſiue cordis duritiem, ſiue incircunſpectionem (ni forte fallor) idoneè diſputo & ſuadeo. Quòd uerò omnibus pijs mentibus etiam perſuaſurus ſim, ob dilucidè demonſtratam ueritatem, nec dubito. Non autem hæc aiens mihi uideor meipſum commendare, mi domine, quippe illud uerißimi prouerbij non ignorans, Sordere laudem ex ore proprio manantem: ſed quòd ea lux catholicis ueritatibus ſemper aßiſtit (modò non uſquequaque ineptè tractentur) ut continuò piarum mentium ſibi trahant aſſenſum. Tuo tamen hæc iudicio feliciori probanda dimitto. Iam enim ab ea die, qua incepimus de ſcripturis nonnulla ſimul tractare, plane noui quàm habeas tã ſenſus exercitatos ad diſcretionem boni & mali. Sed tã, ne uidear tibi adulari atque blãdiri, quod nõ eſt meũ, mißis alijs, inuocato tamẽ prius ipſius ſancti ſanctorum præſidio D. N. IESV CHRISTI, in ipſam diſputationẽ delabẽs cominus pedem confero.

DE CERTA SANCTORVM GLORIA,

LIBER PRIMVS.

CVM HOC NOMINE DIVINAE
illius triadis personæ glorificetur,
vt dicantur sancti, sicut beatissimo
rum spirituum vox illa testatur, *San
ctus, sanctus, Sanctus Dominus Deus Sa
baoth*, & ecclesia Angelico hymno
soli CHRISTO id concedere videa
tur, dicens, *Tu solus Sanctus, Tu solus Do
minus &c.* mirabitur fortasse quis
piam, quòd eodem titulo etiam alij
honorentur, qui & ipsi Sancti vo
cantur, Sed nihil mirum. Nam si & ipsum primum diuinũ no
men, Deus, & Filij eius, sortiti sumus, per eius ineffabilẽ gratiã,
ut & Dij dicamur, & filij Dei, propter benedictum filium suũ,
per quem sanctificamur, & in hanc sortem euehimur, ut scriptu
ræ passim testantur, & uox ipsa diuina pronunciat. Ego dixi dij *Psal. 81.*
estis & filij excelsi omnes, mirandum non est, si & alia diuina
nomina nobis immẽsa Dei benignitate sint impartita, ut & san
cti & beati nos quoq; dicamur, qui initiati sumus Deo per ado
ptionem filiorũ. Sed imprimis ualde interest inter nos & ipsum
Dominum Deum, nam sanctitas nostra, si illi comparetur, im
mũditia est. Ille enim natura sanctus, imò sanctitas ipsamet, nos
(ut diximus) participio quodam per ipsum sancti sumus. Vnde *Gregorius.*
eleganter Gregorius super illis uerbis Iob, Non æquabitur ei to
patiũ de Aethopia, sic ait. Ne acceptis quisq; uirtutibus extolla
tur à sancto uiro dicitur, nõ adæquabitur ei topatiũ de Aethio
pia, acsi aperte dicat: Nullus sanctorum quibuslibet uirtutibus
plenus ex ista tamen nigredine mundi collectus, se æquare po
test ei de quo scriptum est: Quod ex te nascetur sanctum. Nos
quippe & si sancti efficimur, non tamen nascimur, quia ipsa na
turæ corruptibilis conditione restringimur, ut cum propheta
dicamus: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in *Psal. 50.*
peccatis peperit me mater mea. Magna ergo non tam differẽtia

quàm diuersitas est inter Dei sanctitatem ac nostram, ut quæ in uicem comparationem non recipiāt, cùm plusquàm genere distent. Sed & hominum ipsa sanctitas licet una genere sit, tamen adhuc differentijs scinditur. Non enim dubium quòd quicunq;
1. Corint. 6. lauacro uitæ regenerati sumus (ut Paulus ait) sanctificati sumus, sed non continuò ad eum dignitatis gradum peruenimus, ut ijs æquemur de quibus est sermo, qui propter illustrem cordis mūditiam, & heroicam quandam imò cælestem uitam, & cōsequēter peculiarem cum Deo amicitiam, hoc nomen sibi insigniter vendicarunt. Nam sanctitas idem est quod munditia, Munditia autem nostra (cùm immundi natura omnes simus) comparatur nobis per abstractionem nostri cordis ab affectu terrenorum ac mūdanorum, & per adhæsionem ipsi Deo per iustitiam & charitatem nostro cordi infusam per spiritum suū, vt cum illo quo
1. Corint. 6. dammodo vnum simus qui summa sanctitas est. Qui igitur perfecte quantum fas est & natura hominis fert in hoc mundo, sese ab his per copiosiorem Dei gratiam abstraxerūt ac propterea Deo lōge magis adhæserunt, sancti præcipue præ nobis, qui adhuc prope terram subuolamus, dicūtur. Nam & puriorē quoq; quæ in cælis est sanctitatem, & locum promeruerunt, ipsi altissimo Deo propinquiorem. Quoniam verò dum hic manemus in hoc mūdo secundum communem regulam in periculo sumus ne decidamus, & ideo non est certa sanctitas, idcirco non de ijs loquimur, sed de ijs qui cursum uitæ huius feliciter terminātes adepti sunt gloriam sempiternam Deo peculiari amicitia coniuncti in æternū. Neq; tamen inter hos nulla differentia est. Nam & in ipsa perfectione gradus varij constituuntur, vt sicut
1. Corint. 15. stella à stella differt in claritate, ita & ipsi inter se. Sed hoc nō est nostrum cognoscere nisi quantum ex reuelatione daretur accipere, aut ex scripturis sanctis liceret elicere. Quæ nec est huius loci consideratio. Illud ergo firmum nunc sit, quòd sunt multi quos sanctos insigniter vocamus, imò ipsæ scripturæ sanctæ sanctos specialiter eos vocāt, qui inter alios excelluere gratia Dei & virtutibus, vt plurimùm sint chari Deo, & multā habeāt cōfidētiā apud illum, & magnis sint ab illo muneribus & prærogatiuis honorati. Nam de ijs dicimus. Laudate dominum in sanctis eius. Et iterum: Nimis honorati sunt amici tui Deus: Et gloriosus Paulus: Sancti de hoc mundo iudicabunt. Et iterum: Sancti per fidem vicerunt regna &c. De ijs igitur est sermo noster.

Psal. 150.
Psal. 138.
1. Corint. 6.
Hebr. 11.

Quod enim tales sunt non est in disputationem ponēdum: scripturæ

pturæ enim quàm manifestißime probant.

Quòd non sit humani iudicij decernere de hominum sanctitate.

ILlud ergo primum in disputationẽ vertitur, quinam sint illi qui hoc nomine digni sint, vt vocentur Sancti, & cuius sit hominis discernere de quouis homine, quòd sit sanctus. Si enim nullus de seipso certus est donec in hoc vitæ stadio constitutus est, sicut scribitur: Sunt iusti atq; sapiẽtes, & opera eorum in manu Dei, veruntamen nescit homo vtrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurũ seruantur incerta, quo modo erit quisq; certus de cuiusuis alterius statu coram deo? Ideoq; videtur non esse iudicium in terra, quo sancti discernantur, sed hoc iudicium solùm modo eius esse, qui scrutatur corda & renes, idest Dei. Quamobrem quidam hæreticorum licet non negent esse sanctos, non enim possunt, cum scripturæ tam manifestè loquantur, tamen nolunt recipere quoscunq;, vt sanctos, nisi à sanctis ipsis scripturis canonizati fuerint. Alios ergo quos ecclesia recepit pro sanctis, non teneri se recipere contendunt. Vnde Erasmus ille sapiens in colloquijs suis (de quibus bene dicitur, Corrumpunt bonos mores colloquia praua) obliquè canonizationem. B. Catharinæ Senensis vellicans, obiecit quòd in gratiam ordinis & vrbis canonizata fuit à Pio papa. Quod tamen dãnũ illatum nobis, vt resarciret vir iustus, ipse propria autoritate Ioannem Reuclinum ob linguarum peritiã retulit inter Sanctos, & propriam supplicationem in eius commemorationem composuit. Sic enim in re tam seria ac religiosa ludũ sibi, sed flagris dignum, permisit. O' pestem ac perniciem iuuentutis. Similiter & quosdam sanctorum, quos ecclesiæ Dei venerãtur quasi apocryphos reijcit & deridet, vt diuum Christophorum, Georgiũ, Erasmum, Rocchum, Barbaram, & si quos alios memorat, motus quòd eorum legendæ (vt ita loquamur) sunt apocryphæ, nesciens ineptè colligi à legendis apocryphis, etiam personam de qua ibi fit sermo apocrypham esse, cùm personas norit ecclesia, non legẽdas. Et ob eam gratiam Gelasius Papa prudenter hæc discernẽs, docuit à Romana ecclesia nõ reijci sanctos ipsos, & si quorundam, imo pene omnium Martyrum, historiæ siue legẽdæ, quòd nõ certæ sint veritatis, prudẽti cautela in Ro. eccles. inquit, non admittantur. Sed illa quidem Erasmus. Lutherus vero

Eccle. 9. *Hier. 17.* *Erasmus.* *Gelas. in decret. dist. 15.* *Lutherus.*

verò etiam furiosius, quoniã manifestè in sanctos debacchatus est. Nam quod sancti Thomæ doctrinam egregiã & illustrem etiam hæresis nomine arguere non sit veritus, minimè mirũ est. Nã per illã maxime iugulatur. Sic enim in me scribẽs homo infe lix de sancto illo uiro εἰρωνικῶς loquutus, dixit. Nõ quòd negem Thomam esse sanctum, licet reuera hæretica doceat. Alibi verò ira sæuus ac superbia turgidus, multoq; veneno redundans, vt hac atq; illac virus efflueret, dixit: Si negauero Thomã esse sanctum non propterea ero hæreticus: Sed contra has feras pessimàs scripsere Catholici viri, & in primis Roffensis episcopus, vir & doctrina & vita & morte (quæ ob martyrium preciosa in conspectu Dei fuit & nobis venerãda) insignis, & diuorum nu mero meritò aggregandus, Lutherum in illo dicto velut impio eleganter arguit & reprehendit. Albertus autem pius similiter, pia & graui censura Erasmi arrogantiam hac parte fregit. Nos verò super hac re latius & à fundamentis differemus. Illud ergo videtur omnino constituendum esse, quòd non sit iudicium in hominibus ad probandum quorũcunq; vitam certæ esse munditiæ coram Deo, ac propterea illos certa & speciali beatitudine potiri ac frui. Quòd si hoc verum est, videtur quòd solùm ex reuelatione diuina probari valeat sanctitas hominũ. Quod proculdubio & firmiter est tenendũ, quoniam ex principio firmissimo id probatur. Non enim iudicium rectum ac certum secundùm veritatem esse potest, sine certa notitia eius quod iudicatur, sed notitia sanctitatis cuiusuis hominis, solius Dei est, & eius cui voluerit Deus reuelare, ergo sæculi huius iudiciũ huius causæ certum esse non potest: quia nec eius notitia certa esse po test. Iudicium autem in huiusmodi quæ attinent ad rem diuinã, certum esse oportet, vt inferius declarabo. Quoniam ergo non volũtate humana, sed spiritusancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines in scripturis (vt ait. B. Petrus) proculdubio sunt habẽdi sancti, qui à scripturis probati sunt. Ergo de cæteris, qui non memorantur in scripturis, & post ipsarum scripturarũ con sistentiam venerunt, dubium superest. Nam si de illis non sit di uina reuelatio & certa, consequẽter nec certa potest haberi sanctitas. Quid ergo? Nunquid Spiritussancti prouidentia hîc defuit, vt qui post scripturas venerunt careant certo suæ sanctifica tionis testimonio, & certo cultu ac veneratione, cùm probabile sit post Apostolos fuisse multos qui insigniter Deo placuerũt? Nam plurimi maxima constantia sanguinẽ suum fuderunt pro Christo,

Roffensis. Albertus pius. 2. Petr. 1. Nota.

Christo, ut Dionysius, Ignatius, Polycarpus, Laurentius, Vincentius, Sebastianus, & alij sine numero. Nunquid ergo hi deterioris conditionis erunt quia scripturæ sanctæ non attestentur eis? Igitur terminari sanctorum gloriam, & quod, illis debetur, in his solis dicemus quos diuina scriptura probauit? certè non est uerisimile. Dicet ergo aliquis, sed vita illorum sancta illis attestatur. Respondebitur, vnde hoc scio quòd fuerit vita sancta? An quia eorum legendæ hoc narrant? At hæ legendæ non sunt indubiæ fidei. Diximus enim multas esse apocryphas, & nihilominus nullas ita certas ut illis certam fidem habere debeamus. An ergo quia homines testantur? At iam diximus, quòd homo non est certus de statu proprio, quantominus de alieno. An fortè quia signa fecerunt? Sed negabunt multi hæc signa quæ narrantur ab eis facta, aut dicent non fuisse uerè miracula. Deniq; calumniam facile pati possunt. Nam multa & stupenda prodigia possunt fieri Dæmonum potestate, permittente Deo, Sic enim de Antichristo legimus & illis pseudo prophetis qui venient facientes signa & prodigia, ut in errorē inducantur, si fieri posset, etiam electi. Quanquàm (vt dixi) non omnibus nota sunt hæc miracula, nec vox siue scriptura quælibet attestantium talia signa, certam nobis reddit horum sanctitatem. Sunt enim homines, de quorū cōditione scriptum est: Omnis homo mēdax. Quocirca ob has rationes Caietanus in ea fuit opinione, ut diceret sanctos huiusmodi quos ecclesia canonizat & recipit non habere certitudinē apud nos suæ sanctitatis, nisi humanam, id est fallibilem & verè incertam. Quæ opinio in superficie uidetur habere colorem, eo quòd eorū canonizatio inde uenire uidetur: unde non alia certitudo nisi humana, id est, fallibilis & nōnunquā fallax accipitur. Nam ecclesia instruitur de sanctitate horum uirorum per attestationes hominum, qui illorum uitæ & moribus & gestis & signis reddunt testimonia: quæ omnia possunt esse fallacia: quia & homines ipsi sunt, & fallere possunt mendacia proferētes, & falli etiā dū pro miraculis habent, quæ verè non fuerūt miracula: & pro bonis operibus, quæ de se non erant bona: aut si forte de se bona, ex hypocrisi tamē conficta ac per hoc non verè bona. Adde quòd Pontifex aliquis talia decernens posset hac in re duci affectu aliquo, siue patriæ, ut obiectauit Erasmus in Pium, siue ordinis, vt posset aliquis calumniosus dicere de. B. Bonauentura, quem xistus quartus eiusdem ordinis frater in Sanctorum Catalogū ascripsit. Ecce igitur quod omni ex parte nulla certitudo hinc accipitur, nisi humana, id est, præsumptio potius quàm certitudo

Caietanus.

Regula iuris.

B quia

quia pro sententia iudicum in re dubia semper præsumitur, donec oppositũ constet, quanquam sæpissime falluntur & fallunt. Hæc ex Caietano partim in tractatu suo de B. Virginis conceptione, partim verò in alio de indulgẽtijs. Et, quod magis displicuit, hæc putauit docere ex doctrina D. Thomæ, sed vtrunq; falsò prorsus & proculdubio, quod facile norint, qui diligentius speculati fuerint verba Thomæ. Dico autem utrunq; falsum, id est, & id quod concludit, & quòd eius conclusioni S. Doctor adstipuletur. Absit enim absit vt à doctore sancto & pio, eiusmodi colligatur doctrina aduersus sanctos. Quæ vt ordine disputentur, primũ de re ipsa contra ista Caietani commenta contendam. Deinde de testimonio D. Thomæ, quòd non illi, sed nostræ quam prædicamus, mirum in modum attestetur ueritati.

Rationes quòd ecclesia Dei in canonizatione sanctorum non potest errare.

STatuo ergo primùm & ut certissimum prædico & assero cum catholicis uiris, cuncta tamen subdens S. Roma. Ecclesiæ iudicio, si quid fortè in hoc aliter sapio, quàm habet veritas, quod minimè puto, nec valeo vel suspicari. Statuo ergo inquam primùm & prædico & assero, quòd ecclesia sancta Dei (sicut per illam edoctus sum, & per scripturas sanctas, & doctores catholicos) in canonizatione sanctorum nõ potest errare: ut quæ in hac re, & ijs quæ huiusmodi sunt, diuina regitur prouidentia, vt nec fallere nec falli possit. Quod, vt in primis ipsa certa ratione cõuincam, sic demõstro. In his quæ ad fidem pertinent, aut quæ rẽ fidei secum trahũt, uniuersalis ecclesia errare non potest: quia in hac causa, firmissima Dei summi & spiritus sancti prouidẽtia regitur, ne quouis modo fallatur: canonizatio autem, rem fidei secum habet annexam, vt si hac in re deciperet aut deciperetur, præiudiciũ fidei generaretur: ergo euidentissimũ redditur quod iã statuimus, uidelicet Ecclesiam in huiusmodi causa errare non posse. Maior syllogismi huius recipitur ab omnibus uerè catholicis, & ipse Caietanus post B. Thomam sæpius docuit, de qua etiam re particulari quæstiõe tractaui. Sed nunc cum his loquor qui non penitus insaniunt, sed admittunt hanc dignitatem, & ut rem certissimam statuunt. Minor uerò, quã didici à D. Thoma, pluribus de causis patere potest. Prima est: Qui canonizatur vt sanctus ab ecclesia, ex hoc ipso etiam ab eadem proponitur aut ipse colendus, aut Deus in illo: in quo

Th. in quod lib. 9 ar. 16.

cultu

cultu inest protestatio ac professio fidei nostræ,qua credimus sanctorum gloriam,ut eleganter docet.S. Doctor,quanquam id ex se pateat.Si ergo coleretur vt sanctus,ac propterea vt vnum & honorabile Christi membrum,qui forte non tale esset,sed abiectum ac mortuum,& deniq; Diaboli membrum,nonne mendacium cõperiretur in cultu nostro,& falsa fidei nostræ protestatio?imò nõne quoddã idololatriæ genus per ipsam ecclesiam(quod horreo dicere)cõtra Christi verbum,qui promisit illi in huiusmodi omnẽ veritatem,introduceretur?Quod vt euidentius declarem,attẽde. Hieronymus rectè docet quòd sanctorum fides & cultus terminatur in Deum,Deus enim ipse creditur mirabilis in sanctis,non autem Deus abstractè colitur in sanctis aut metaphysicaliter,vt quidam aiebat,sed in illo certo homine,in illo inquam,de quo habita est cognitio & tractatus ab ecclesia an sit sanctus,& qui probatus est ab ea sanctus.Ille igitur certus,puta Frãciscus,Dominicus, aut quiuis alius,colitur in diuinis mysterijs,aut deus in illo,ex quo canonizatus est.Neq; cõditionaliter colitur aut inuocatur,sed simpliciter & assertiuè,vt quod est externi cultus congruè interno cõueniat,quia sic simpliciter ac firmiter creditur,sicut simpliciter ac firmiter asseritur sanctus & beatus.Sic enim de.B.Petro simpliciter ac confidenter canit Ecclesia ad Deũ:Deus qui.B.Petro Apostolo tuo collatis clauibus regni cælestis ligandi ac soluendi pontificium tradidisti &c.Et iterum:Deus cuius dextera Beatum Petrũ ambulantem in fluctibus ne mergeretur erexit, & coapostolum eius Paulum tertiò naufragantem de profundo pelagi liberauit, exaudi nos propitius & concede,ut amborum meritis æternitatis gloriã cõsequamur.Et de.B.Stephano:Da nobis domine imitari quod colimus,ut discamus & inimicos diligere,quia eius natalitia celebramus,qui nouit etiã pro persecutoribus exorare.Sicut ergo hoc de his dicimus assertiuè, simpliciter,cõfidenter,absq; dubitatione vlla,autoritate scripturæ,imò & autoritate ecclesiæ,unde & ipsa scriptura recepit autoritatem,sic eiusdem ecclesiæ autoritate freti simpliciter & assertiuè,nec minori cõfidentia dicimus de alijs sanctis ab illa probatis,vt de Beato Laurẽtio:Da nobis quæsumus Domine vitiorum nostrorum flãmas extinguere,qui Beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare.Et de Beato Dominico:Deus qui ecclesiam tuam Beati Dominici cõfessoris tui illuminare dignatus es meritis & doctrinis, concede, vt eius intercessione temporalibus non destituatur auxilijs,& spiritualibus semper proficiat incrementis. Et de.B.Francisco:Deus

Hier.super. Epi.ad Phi.

B ij qui

qui ecclesiam tuam beati Francisci meritis fœtu nouæ prolis amplificas, tribue nobis ex eius imitatione terrena despicere & cœlestium bonorũ semper participatione gaudere. Vbi vides in omnibus his oratiõibus similem esse nostræ fidei professionem, nec vllò modo discrepantem in his sanctis qui post scripturas fuerunt, ab ijs qui ab ipsis scripturis sunt commendati, vt per hoc significetur eadem prorsus fidei firmitas & ueritas beatitudinis eorum. Facit enim pro hoc regula quam Caietanus ipse probauit & verissima est quanquam nec seruiat in eo loco sibi, & contra ipsummet militet in loco isto. Ait enim & verè. Verba exterius absolutè prolata, sunt signa interioris mentis absolutè credentis & venerantis. Si igitur quod profero verbis non ita animo concipiam, mentior coram Deo, quia dico sanctum quod non credo sanctum, si autẽ credo & fallor, mendacium dico in cultu externo, quia non ita est in re sicut ego credo & profiteor, & sic idololatria esset, sicut accidebat colentibus Deum in creaturis iuxta Varronis theologiam. Non enim defendebantur ab idololatria qui Deum putabant esse animam mundi, & sic illum colebant, eò quòd verum Deum dicerent se colere. Deus enim colebatur tanquam sic esset in creaturis vt illi putabant, videlicet anima mundi, sed nõ talis erat Deus, & ideo falsò Deus putatus colebatur, & propterea non Deus, idolatræ erãt ergò. Sic in proposito cum adoratur Deus in illo qui dicitur in cultu sanctus, qui tamen non est sanctus, falsa est profectò adoratio, falsus cultus: quia & ipse Deus sic adoratus, nullus est. Non enim vt est absolutè in seipso Deus, adoratur: sed vt est in illo per amicitiam & gratiam. Quòd si talis in illo non est, inuenitur nõ adoratus uerus Deus, & ita superstitiosa ac vana adoratio. Idolum enim idem est quod vanũ, vt vox Hebræa significat. Nã & quum hostia non consecrata pro consecrata adoratur, adoratio ipsa quidem falsa est, & idolatriã continet: quoniam etsi qui adorãt hostiam mente bona, interiori fide ferantur in Christi corpus, quia illud reuera adorant in mente, quia tamen cultus exterior fertur in illam particularẽ hostiam, super qua fallitur, quia putat esse consecratam, cum non sit consecrata, & consequenter inadorabilis inuenitur, idololatria hic profectò committitur. sicut & D. Thomas docet & alij. Neq; hic mihi quisquam dicat, quòd sicut toleratur hic error in ecclesia, ut adoretur hostia non consecrata pro consecrata, & consequenter toleratur huiusmodi idololatria, ita etiam tolerari debeat, si Deus colatur in sancto qui non est sanctus. Non enim similis ratio est. Nam error qui in hostiæ adoratione

(margin: 2.2.q.1.ar.5. Nota. — Nota.)

ratione committitur, non lædit fidem interiorem, quia fides eccle-
siæ adorantis hostiam (vt rectè declarat. S. Doctor) nō fertur in il- Tho. 2.2. q. 1. ar. 3.
las vel illas species panis, non enim adoratur species panis sed cor
pus Christi. Ergo in corpus Christi fertur, nec vt est sub illis spe-
ciebus certis vel sub illis, quia ecclesia non determinat de particu-
laribus hostijs quòd ibi sit Christus, sed vniuersaliter sub hostia
qualibet ritè consecrata: & ob istam causam non est error in prote
statione fidei nostræ circa illud in quod fides ipsa fertur: solum est
defectus in opinatione mea de certa hostia particulari, quia puto
consecratam quæ nō est consecrata, vt propterea reddatur cultus
ipse exterior tantum falsus, non fides: nec tamen mihi hoc imputa
tur ad culpam, qui illud opinor quod debeo, videlicet quod sacer
dos consecrauerit: nec meritum meum adorationis debitæ dimi-
nuitur, cum vacem culpa: nec etiam culpa potest vlla in ecclesiam
aut error fingi, quia vt dictū est, ecclesia nihil statuit de hostia par-
ticulari, neq; cognoscit quidem de illa sed sacerdotis est flagitium
& sacrilegium, ideo huius idololatriæ crimine tenebitur, & quasi
idololatra, in illis qui piè & simpliciter venerati fuerint quam ipse
impiè obtrudit falsam hostiam & vanam, pœnas pro omnibus qui
adorauerint luet. At uerè lōge aliud in sancto est qui proponitur
nobis ab ecclesia colēdus, aut in quo Deus ipse adorandus propo
nitur. Fides enim mea fertur in illum sanctū quē mihi sanctū pro-
ponit ecclesia: hoc enim ab ecclesia fit non à sacerdote priuato, vt
proponatur mihi homo certus quē debeam colere. Nā ecclesia de
ipsis sanctis particulariter inquirit, & particulariter iudicat atq;
pronūciat, esse puta illū sanctū: & proponit illū colēdū. Nō autē
proponit ecclesia quālibet particularē hostiā dicēs & cōstituēs ibi
esse Christū. Nā si quæratur ab ecclesia de particulari quouis san-
cto quē ipsa canonizauit vtrū sit verè sanctus, Respōdebit. Quid
me etiā rogas? nōne super hoc iā cognoui? nōne cēsui? nōne deter-
minaui simpliciter & absolute quod est sanctus? nōne colēdū etiā
illū particulariter tibi proposui? nōne etiā ipsamet inuoco illū &
clamo, Sancte Laurēti ora pro nobis, & sic de singulis? si autem
quæreretur ab illa de quauis hostia, quæ vt consecrata à sacerdote
adorāda proponitur, nūquid uerè ibi sit Christus, nonne diceret,
nescio an ibi sit Christus? sed si respōdere vellet sub cōditiōe sic di Nota.
ceret. Si rite cōsecratū est ibi Cristus, quòd si & hoc rogaretur nū-
quid ritè est cōsecratā? nūquā diceret, ritè, sed diceret Nescio, opi-
nor tñ quod sic, nec enim ad me attinet hoc discernere de particu
laribus hostijs sicut de particularibus sanctis: Nō enim sic interest

ecclesiæ & fidei, canonizare particulares hostias, sicut interest particulares sanctos canonizare ob plurimas causas: Gaudet enim optimus ac cœlestis pater, & Dominus Iesus etiam optat, in singulis coli, & in quibusdam etiam magis, sicut quosdam etiam peculiarius dilexit. Gaudet etiam varijs titulis decorari, illos Apostolico, alios prophetico nomine, quosdam vt patriarchas, plurimos vt martyres, aut virgines, aut doctores. Disponit prouinciarum, aut vrbium, aut oppidorum, aut domorum patronos & aduocatos speciales, Franci Dionysiũ colũt: Hispani, Iacobũ: Veneti Marcum: Florentini Baptistam: similiter & aliæ gentes, alios. Quin & particulares homines aliquem sibi sanctorum eligunt, nec (vt piè creditur) sine boni spiritus instinctu, quem peculiariter colant, & precatorem sibi parent apud Deum. Sunt & regularium institutores disciplinarum, vt Augustinus, Benedictus, Franciscus, Basilius, & alij, qui & hoc particulari nomine vt duces ac patroni suarum congregationum glorioso ac peculiari hoc titulo gaudent venerari, & quisq; inuocari à suis. Gaudet item sapientissimus Pater (licet Erasmus illa sua admirabili arrogantia hæc irrideat) de varijs eorum gestis, ac suis in eos donis, cultus varios & speciales gratiarum actiones suæ maiestati institui. Iccirco inspirauit propter egregium sanctificationis donum coli Ioannem in sua natiuitate, honorari Paulũ in sua mirifica cõuersione, in cõsecratione Ambrosiũ, in stigmatibus Franciscũ, & in his atq; alijs huiusmodi excellentibus sed particularibus beneficijs suis, gratiã & gloriam suæ maiestati referri. Verũm de his suo loco inferius. Hæc verò iccirco fusius pertractaui propter quosdam, vt cernere valeãt quòd manifesta est ratio cur ferat Deus idololatriam quæ per malitiam

Nota. sacerdotis non consecrantis venit, non autem illam quæ ex iudicio ecclesiæ cognoscentis & determinantis procederet. Nam error ecclesiæ in huiusmodi si daretur, redundaret in Deum, quoniam promisit illi spiritum veritatis in huiusmodi, & ita inueniretur fallax, quod est horrendum vel cogitare. Nõ autem error priuati sacerdotis. Et in errore quidem ecclesiæ circa sanctos læderetur protestatio fidei nostræ (vt diximus) non sic autem si ex malitia sacerdotis hostia non consecrata pro cõsecrata colatur, vt ostẽsum est, Nec est ecclesiæ decernere de particularibus hostijs an sint consecratæ in veritate, sicut de sanctitate particularium hominum decernit atq; pronunciat, idq; ex spiritu Dei ecclesia sancta. Nec hic mihi obstet aliquis ex Caietani doctrina & dicat, quòd satis sumus certi de sanctitate hominis canonizati humana quadam

certitudine

certitudine. Hoc enim dici, ac dictum ferri, posset, si res cum Deo non ageretur, sed inter homines. Modus enim humanæ certitudinis, humanis conuenit actionibus & causis & negocijs, nō ijs quæ cum Deo agitur, qui est summa veritas. Et hanc ob gratiam etiā illud est quod ait Augustinus & Thomas, qui omne mendacium in cultu Dei esse perniciosum asserunt: nimirum quia res cū Deo agitur qui diligit veritatem & abominatur mendacium. Quamobrem si quis in professione sua & voto mentitur ferè inexpiabile est. Ob hoc enim Ananias & Saphira Petri spiritu absumpti sunt quia mentiti fuerunt Deo quemadmodum in illum obiecit Petrus, non es mentitus hominibus sed Deo. Ob hoc in sacramentis non absq; sacrilegio admiscetur mendacium, vt si quis fictè baptizetur aut fictè confiteatur, violatio est enim sacramenti. Similiter qui scripturas ad mendacia scienter detorquet, quia Dei sacram violat veritatem, &(quod est in se) Deum facit mendacem. Ob istam causam excanduit summus Ponti. in Pelagianos qui in ecclesiæ oratione fatebantur inueniri mēdaciū: Exhorrescens enim ac detestans dictum. Quis ferat (inquit) ad Deum orantem mētiri? Marcus quoq; Tullius in lib. de Diui. etiam ui ipsa naturæ doctus in hunc modum scripsit elegantissimè, Cum in omnibus rebus in asserendo temeritas turpis est, tum in eo loco maxime in quo iudicandum est, quantum auspicijs diuinisq; rebus religioniq; tribuamus. Est enim periculum, ne neglectis his, impia fraude, aut susceptis, anili superstitione obligemur. Hæc Cicero, cuius testimoniū iccirco adduxi, vt cogitet prudens lector, si homo paganus & cui de purissima Christi luce nitor ille veritatis pulcherrimus non illuxit, ita tamen syncere de religione diuorum ac cultu sensit, vt quodcunq; non certum esset, asseri temerarium & superstitiosum censeret, quid facere debeat homo Christianus, qui audit à summa veritate, quòd Pater veros quærit adoratores, qui adorent in spiritu & veritate, non iam in vmbris & figuris? quanto minus in mendacijs & falsis cultibus? Si Paulus cultum ignoti Dei non probat Atheniensibus, eo quòd sciri debet id quod colimus, quid dicendum quando & id quod colimus potest esse forte non solum non colendum sed detestandum? Et verè despicit has doctrinas summa illa & pura veritas. Adhæc, nonne inuocantur sancti & ab eis pro nobis orationes ac beneficia poscimus? ergo tolerabit Deus quod inuocetur eius inimicus quasi amicus, vt apud se intercedat pro nobis, & id fieri ecclesiæ suæ testimonio? Si quis hoc absurdum non sentit, valeat: mecum vlterius non contendat

Nota & cape.
Aug. in li. 9. mend.
Tho. 2. 2. q. 93.
Act. 5.
Nota.
Cicero.
Io. 4.
Act. 17.

tendat

tendat iam enim iudicari poteſt ἄλογ☉. Equidem quum hæc mecum cogito, perhorreſco.

Adde & aliam fortiſsimam rationem. Cùm enim nullus probari valeat ſanctus niſi ex operibus & geſtis eius, continuò vt probatus eſt ſanctus, etiã probata ſunt eius opera fuiſſe bona, quæ ſi non fuerint bona, vt iſti tanquam poſsibile admittunt, quia vera ſanctitas fortè nõ fuit, cùm in hoc errare potuerit eccleſia, vt aiũt, nonne eccleſia etiam in hoc erroris labeſceret, quod poneret ma-

Iſa. 5. lum bonum, & tenebras lucem? Quòd ſi admittitur nonne propheticum, Væ, competeret in huiuſmodi cultus autorem, ipſam (ſcilicet) eccleſiam? Væ enim minatur per Iſaiam Dominus ijs qui dicunt malũ, bonum: & bonũ: malũ, ponentes tenebras, lucẽ & lucem, tenebras. Quis verò id in illam impingere auſit, imò in ſpiritum ipſum Dei, quo regitur in huiuſmodi, vt ſæpe dixi, niſi ſpurius aliquis, & ab illo contaminatus qui ſemper illi aduerſatur atque inſidiatur calumnioſiſsimè, vt dignè vocetur Satan, Serpens, Diabolus?

Adde & aliam rationem ſimiliter vehementem, quæ tamen priori coniungitur. Sancti proponuntur nobis vt ſpeculum atque exemplum vitæ ac bonorum operum, in quæ intueamur, non ſolùm vt collaudemus & admiremur glorificantes Deum in illis,

Hieron. ad Terentiam. verùm etiam vt imitemur. Vita enim ſanctorum, vt eleganter ait Hieronymus, & Auguſtinus, eſt interpretatio ſcripturarum. Dominus enim factum diſcipulorum, quòd in ſabbato famelici con fricarent ſpicas & comederent, ſancti Dauidis, qui probatus erat

Matth. 12, 1. Reg. 21. in ſynagoga ſimili facto, defendit: qui à pane propoſitionis eſuriens non abſtinuit, quos tamen edere non niſi ijs qui præſto erãt altari licebat. Eccleſia ergo quæ probat ſanctum, cùm id ex vita probet, & illam vitam conſequenter imitãdam proponat, in hoc nos periculum adeo magnum cõijceret, quòd mali mores & geſta improba pro bonis ac rectis, iſta autoritate per eccleſiam facta, facile recipi à nobis poſſent, ac defendi ab improbis, cum ſicut quæ dixerunt, ita etiam quæ egerunt ſancti nõnullius autoritatis, ſed magnæ ſint. Hoc autem adeo intolerabile abſurdum, & fidei morumque diſciplinam lædẽs ab eccleſia ſuboriri poſſe, cõcedere,

Nota. proculdubio malè pium eſt. Neque enim eadem eſt ratio ſanctorũ & præpoſitorum: horum enim doctrina, tantum, illorum autem,

Matth. 23. etiam vita probatur. De ijs dicitur. Super cathedram Petri ſedẽt, quæcunque ergo dicunt vobis ſeruate & facite, ſecundùm autem operà illorum nolite facere. Sancti autem de ſeipſis prædicant

quod

quod Paulus de seipso etiam audebat imitatores nostri estote si- Cor.1.2.
cut & nos Christi.

Adde his quòd sunt ordinum & regularum institutores Basi-lius, Franciscus, Dominicus, Augustinus, Benedictus, & alij. Tan quam enim Christi imitatores, euangelicæq; & purioris vitæ & peculiarium discipulorum Christi affectatores sua ipsorum vita, atq; institutis & traditionibus sese nobis declarauerunt. Quòd si eorum sanctitas vocetur in dubium, nec sit firma & inconcussa, nonne simul eorum instituta labascent? nõne inuenientur humanæ constitutiúculæ, vt sæpe irreligiosè ac temulenter blasphemauit Erasmus? nonne vota, quæ ad perfectionem facere eleganter D. Thomas probat, superflua essent ac vana, & mendicitas improbabilis, vt qui secundùm Luciferum superbè sapiunt iactare in vulgus cœpere, grandi cum imperitorum & infirmorum scandalo? Sed quid est ferè aliud eorum quæ iactant hæretici, adeo scelerosum? hinc enim via patet sacrilegis obscœnisq; impuritatibus, in quæ omnia miserè ac sacrilegè incurrerunt ipsi hominum spurcissimi. Quare hoc potius mordicus retinendum est, quia contra religionem, &, quam oportet esse immaculatam, fidei veritatem, quam protestamur in Dei cultu, peccaremus, si Deus in vllo mendacio coleretur: quod fieret si coleretur in homine quasi sancto, qui non esset sanctus sed peccator, Retinendum inquam mordicus est, quòd ecclesia errare non potest in hoc, ex quo tanta prouenirent absurda, etiam idololatriæ cultus horribilis, quod absurdũ hæretici non sentiunt, quia hæretici sunt, ac de veritate nihil pertinet ad illos.

Tho.2.2.q. 186.art.6.

Ad hæc, vt quod dicimus etiam alia ratione iuuetur, Docet. S. Doctor blasphemiam propriè accipi pro illo scelere quod fidei confessioni opponitur: cui dicto adiunge, quòd quæ etiam in sanctos, id est, in eos quos vt sanctos colit ecclesia irrogatur contumelia, verè blasphemia est, vt idem. S. Doctor eleganter docuit, quia contumelia sanctorum resultat in Deum. Si contumelia in sanctos, in Deum redundat, ergo & illorum laus, conuersa ratione, redundat in Deum. Sicut igitur contumelia in eos fidei confessioni opponitur, ita econtrario laus illorum fidei professionem habet. porro in fidei professione inueniri mendacium, iam vt rem horribilem catholici detestantur. non ergo patitur Deus hoc erroris in sua ecclesia, eò quòd fidem sugillaret.

Tho.2.2.q. art.1.

Adhæc quod etiam nonnihil mouere debet fidelem hominẽ, dixit ipse Dominus verbo sancto suo, ego vobiscum sum vsq; ad

consummationem sæculi. Est autem nobiscum per prouidētiam suam, ergo & omnia quæ necessaria erant prouidit, & quæ erant decentia procurauit. Vidit autem quòd post Apostolos erant futuri multi sancti in ecclesia sua, digni memoria & cultu & imitatiõe, tum propter seipsum qui vult glorificari in sanctis suis, tum propter ipsos sanctos quos vult & à nobis honorificari, tum propter nos, præter causas prædictas, vt haberemus quos imitaremur & si quis dignus, etiam sanctè æmularetur vt similis illis fieret, nã plures sanctorum, aliorum factis atq; exēplis excitati, hac via profecerunt. Vidit autem quòd ad hæc necessarium erat habere certã de eis fidē, vt tuto & securè possemus hæc agere. Sicut enim prouidit multis sanctis per ipsas scripturas vbi canonizati sunt, & nõ certitudine humana quæ incerta est, sed diuina, ita & in hac parte non debuit eius prouidentia defuisse alijs, quin & ipsi pariter certissima certitudine fidei scirentur sancti. Quòd si hæc certitudo non venit à iudicio ecclesiæ, iam nullibi est. Defuit ergo hic prouidentia Dei, quod est blasphemum concedere, & absurdum est recipere, quòd eorum quos ecclesia celebrat, quidã sunt sancti certitudine diuina, & quidam certitudine humana, quod est trufa & contra ipsius ecclesiæ vsum, quæ sub vno catalogo indistinctè implorat sanctos, nulla differentia notãdo illos, vt minor certitudo signetur de quibusdam, quàm de alijs: & hoc magnum est argumentum & signum.

Nota

Certa signa quòd ecclesia in canonizatione Sanctorum errare non possit.

Sunt verò & præter hæc, signa multa quæ huic veritati adstipulantur, & primũ quidē, quia nunquam deprehensum est hac in re errasse ecclesiam, quod non accidit in ijs in quibus errare potest. in ijs enim compertum est & falsam fuisse sæpenumero ac fefellisse, vt ipsamet de se confitetur, quod vtinam non pateret plus satis. Secundum signum est quod nullus verè pius, ni fallor, animo cogitauit assentiēs quòd de facto errauerit ecclesia recipiens aliquē pro sancto, qui nõ sit sanctus. Nã talē cogitationem indignum piaculum arbitratur. & ideo pij viri excanduerunt in Erasmum & Lutherum, qui in has impias venerunt cogitationes, & effutiuerunt. Sed non esset tale piaculum, si errare posset ecclesia, talis cogitatio, videlicet quòd errauerit in certo aliquo. Igitur hanc animi conceptionem, fidelis latenter habet ex fide, quæ

quæ in hanc existimationem impellit eum, Ex eo enim impium arbitratur putare quod erret, quoniã & hoc menti habet impressum, scilicet quòd non possit errare, quando intus rem secum tractat, & ex intimis iudicat, & non ex his quæ extra. Et utinam quæ nunc loquor quisq; lector intelligat, nam & comprobabit in seipso. Tertium signũ, quòd in hac re aliud sentire, & asserere quòd errauerit Ecclesia, proprium fuit semper hæreticorum, qui ut derogent autoritati sanctorum quos aduersum se militare perspiciunt, & ipsorum dogmata, etiam opus habent derogare sanctitati. Vnde non mirum quòd Thomam nostrum negent esse sanctum, à cuius doctrina confodiuntur. Et hinc est quòd ipsi etiam inuocandos esse sanctos & venerandos negant, Sanè enim vidẽt quòd quorum non sit certa sanctitas, periculosa sit eorum inuocatio ac veneratio: & hoc rectè: quanquàm alijs de causis, sed friuolis, se moueri dicant. Quare qui dicunt Ecclesiam in probatione sanctorum errare posse, & ita statuunt incertam esse sanctorum gloriam quos veneramur, fauent proculdubio huic dicto hæreticorum, qui aiunt, periculosam esse sanctorum inuocationem. Nam verè sic esset, vt Beatus Bonauentura rectè dixit in re proposita, vt inferius manifestabo. Quartum signum est quòd hæc est vna de summis & grauissimis causis, quæ iccirco summis Pontificibus determinãda seruatur. Non enim ob aliam gratiam, nisi vt certam & fidelem determinationem accipiat propter verbum Domini & orationem sicut ipse testatus est. Rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua: quod & planè accipitur ex Decretali. Maiores, de Baptismo. Quintum signum est quòd Ecclesia non orat pro sanctis, sed iniuriam arbitratur inferri Deo & sanctis si pro eis orari permitteret. Orat autem pro omnibus quanquam probabiliter iustis, imò etiam pro sanctis ipsis, antequàm canonicè probati sint, aut saltem quadam communi omnium existimatione tacitè, sint quodãmodo canonizati ob euidentem sanctitatem. Ex quo more persuadetur Ecclesiam certam esse (nec humana certitudine certam, cui possit subesse falsum) quòd qui ab ea probantur vt sancti, non indigent suffragijs nostris, sed econtra nos eorum potius, Et iccirco ad eos dirigit supplicationes, quòd si dubitaret aut suspicaretur quouis modo de eorum certa salute, profectò non fraudaret illos suffragijs, & hoc mihi potentissimum argumentum videtur. Adde Augustini sententiam iam inter Theologos detritam, quòd infidelitas est orare pro sancto, quod exponens.

Nota.

Quare hæretici præcipuè in Diuum Thomam insiliant.

Luc. 22.

Bonauētura. B.Bonauētura sic ait.Sicut nullus debet de sanctorum gloria dubitare,ita nullus debet pro eis orare,si enim pro aliquo oret,videtur præsumere illū nō esse in gloria,quod est infidelitas:Hæc ille.

Doctorum sententiæ pro ecclesia, quòd in canonizatione Sanctorum errare non poßit.

Thomas. VEnio nunc ad autoritates Doctorum atq; sanctorum. Primū autē affero.D.Thomā propter excellentiā,cuius elegās doctrina nullis nisi indoctis aut hæreticis,ac valde suspectis displicet. Ipse enim in Quodli.ix.ar.xvi.eā proponēs quæstionē,vtrū canonizati tanquam sancti,sint in gloria,quod est quærere,vtrū ecclesia in canonizatione sanctorum possit errare, disputans in vtramq; partem & arguens,incipit duo componere argumenta, &,vt semper solet, primū pro parte falsa,videlicet quòd ecclesia possit errare,deinde duo pro parte vera,videlicet quòd non possit errare:Post hæc docens,determinat veritatem,pro qua secundo loco argumentatus est.Sic enim consueuit semper præmittere argumenta pro falsitate:Post determinatam autem veritatem,soluit argumenta priora pro falsitate adducta.Quæ autem pro veritate attulerat,quia concludebant,insoluta dimittit,vt semper solet quando benè concludunt,alioqui consueuit etiam ea soluere, si qua forte media opinio esset,quæ magis placeret,aut si fortè vellet is vtramq; partem vt probabilem,quasi in re dubia,sustinere. Ergo pro falsa parte in hunc modum argumentatur,vt cuilibet poterat in promptu occurrere.Nam ijs motus est Caietanus,& quicunq; hanc falsitatem accipiunt.Videtur inquit. S. Doctor, quod aliqui possint esse in inferno de ijs qui sunt in ecclesia canonizati,nullus enim potest esse ita certus de statu alicuius,sicut ipsemet de se:quia quæ sunt hominis,nemo nouit nisi spiritus hominis qui in ipso est:sed nemo potest esse certus de seipso,vtrum sit in statu salutis,dicente Ecclesiaste, nemo scit vtrum dignus sit odio vel amore,ergo multo minus Papa scit de alio quem canonizat.potest igitur in canonizando errare.Et hoc primo.Secundo sic arguit: Quicunq; in iudicando innititur medio fallibili, potest errare:sed ecclesia in canonizando sanctos innititur testimonio humano,cùm inquirat per testes de vita & miraculis: ergo,cum testimonium sit fallibile,videtur quòd ecclesia in canonizando sanctos possit errare,hoc secūdo pro falsitate. Tum pro veritate primum,sic argumentatur:Ab ecclesia non potest prouenire

uenire error damnabilis: quòd autē veneretur tanquam sanctus, qui fuit peccator, & eius opera consequenter reputentur iusta, quæ verè essent peccata, esset error dānabilis: ergo ecclesia in talibus non potest errare. Et hoc est primum argumentum, & validum pro veritate. Adiecit & secundum sic. Augustinus dicit: Si in scriptura canonica aliquod mēdacium admittatur, mutabitur fides nostra, quæ ex scriptura canonica dependet: sed sicut tenemur credere ea quæ sunt in sacra scriptura, ita illud quod est communiter per ecclesiam determinatum, vnde hæreticus iudicatur, qui sentit contra determinationem conciliorum, ergo commune iudicium ecclesiæ erroneū esse nō potest, ergo idem quod prius. Post hæc autem, quæstionem resoluit eleganter, in hunc modum: Aliquid potest iudicari possibile secundum se consideratum, quod relatum ad aliud extrinsecum impossibile inuenitur. Dico ergo quod iudicium eorum qui præsunt ecclesiæ, potest errare in quibuslibet, si personæ eorum tantum respiciantur: Si verò considere tur diuina prouidentia, quæ ecclesiam suam spiritu sancto dirigit, vt non erret, sicut ipse promisit, quòd spiritus adueniens doceret omnem veritatem de necessarijs ad salutem, certum est quòd iudicium ecclesiæ vniuersalis errare in his quæ ad fidem pertinent impossibile est, vnde magis standum est sententiæ Papæ, ad quem pertinet determinare de fide quam in iudicio profert, quàm quorumlibet sapientum hominū in scripturis opinioni, cum Caiphas quamuis nequam, tamen quia pontifex, legatur etiam inscius prophetasse. In alijs verò sentētijs quæ ad particularia facta pertinēt, vt quum agitur de possessiōibus vel de criminibus & huiusmodi, possibile est ecclesiam errare. Canonizatio verò sanctorum medium est inter hæc duo: quia tamen honor quem sanctis exhibemus, quædam professio fidei est qua gloriam sanctorū credimus, piè credendum est quòd nec etiam in his iudicium ecclesiæ errare possit. Hæc. B. Thomas ad literam. Quare miratus sum supra modum, quòd ex his verbis collegerit Caietanus tanquam certā Thomæ sententiam, quòd verè ecclesia in his possit errare, cùm tamen dicat Thomas tam expedite, piè credendum esse quod non possit errare. Nunquid ergo suadeat. S. Doctor credendum esse mēdacium? Si enim verum est quòd potest errare in his ecclesia, mēdacium est consequēter dicere quòd non possit errare & cùm Thomas hoc ipsum credēdum piè esse concludat, piè igitur esse credēdum mēdacium docet Doctor Angelicus. Quis ista dicat? At inquiet aliquis, non dixit Thomas hoc de necessitate fidei credēdū

C iij sed

sed ex pietate, distinguunt enim quidam inter ea quæ credi oportet, nam ad quædam compellimur necessitate, ad quædam verò solum pietate. At hæc alia quæstio est, nōdum enim hoc agimus, an hoc sit ex pietate credendum an ex necessitate, sed hoc mihi satis nunc est euincere, nullum falsum esse ex pietate credendum. At verò sunt, qui ea quæ credi suadet pietas, nolint credere tamē, & cùm non credant nihilominus dicunt pium est credere, sed nō cogimur. Quid est hoc autem, nisi quod ipsimet testimoniū reddunt nobis impietatis suæ, qui, quam pietas exigit fidem, nō reddunt? At inquiunt: Non tenemur credere. Quid ergo, o pie? Nūquid teneris propterea non credere, cùm te tamen pietas ad credēdum alliciat, vt ipse fateris? Ad hæc, scire velim, nūquid qui credis Christum crucifixum id credas ex pietate. Augustinus enim ait, Pietatis esse, diuinæ credere autoritati. Quando igitur dicunt autores quidpiam piè credendum esse, certè nō adeo sunt inepti, vt per id quod aiunt, piè, significare velint non esse credendum, sed potius credendum, scilicet ipsa pietate saltē suadente. Pietas enim non respicit falsitatem, sed veritatem: nec tamen necessitatem credendi doctores excludunt quia dicant, piè credendum esse. Nam & quæ necessariò sunt nobis credenda piè credimus. Quin fidei pietas etiam magis vrget ista credi, quæ vt credamus mandantur. Non negamus tamen quòd eorum quæ fidei sunt quædā ita nota sunt ac determinata, vt omnes fide illa suscipere obligemur, quædam verò nō ita: illa iubet pietas vt suscipiamus & firmiter ab omnibus teneantur: hæc autē, solùmodo suadet. Nec tamen video cur non teneretur homo credere pietati id suadenti, si hoc ille sentiret loqui in se pietatem. Nam quod. B. Thomas per id verbum (piè) noluerit tollere obligationem fidei hoc in loco, satis patet in vltimo eius argumento, quod tanquam verum concludēs, insolutum reliquit: vbi ait, quòd tenemur credere id quod communiter per ecclesiam determinatum est, ita vt hæreticus censeatur, qui commune ecclesiæ iudicium contēnat in his. Alibi etiam idē Thomas piè credi Christi aduentum dicit, quem tamen necessariò debemus credere. Adhæc, rationes quas affert. B. Thomas cur piè credendum sit ecclesiā non posse errare ostēdunt etiā fidei huius necessitatem. Ait enim quoniam ista res tangit attinentia ad fidem, nam ex canonizatiōe alicuius sancti sequitur veneratio & honor & cultus illius, ac Dei in illo: honor autem inquit, quem sanctis exhibemus est quædam protestatio fidei nostræ, qua sanctorum gloriam credimus: ideo piè credendum est, quòd nec

in his iudicium ecclesiæ errare posſit. Hæc eſt prima ratio quæ certe concludit conſiderantibus eam & acceptantibus, abſolutè credendum eſſe eccleſiam errare non poſſe, cùm per hunc errorem læderetur fidei veritas, quam ipſo cultu proteſtamur exhibentes honorem ſanctis. Et nota quæſo verba. Nec in his (inquit) ac ſi apertius dixerit. Sicut in his errare non poteſt quæ manifeſtè ſiue immediatè ad fidem attinent, ita nec in his, ſcilicet, ex quibus ſequitur aliquid quod ſimiliter ad fidem attineat. Nam quod aliquis ſit ſanctus vel non, & egerit opera bona vel non, non admodùm attinet ad rem fidei niſi ex hoc, quòd ſi talis approbetur ſequitur cultus eius ac imitatio vitæ & doctrinæ, quæ trahunt ſecum res ad fidem pertinentes, quibus validè præiudicari poſſet, ſi eccleſia errare poſſet in probatione Sancti: tum quòd impia fraude negligeretur eorum cultus qui verè ſancti eſſent ab ijs qui ſubdubitarent, tum verò quod inani & improba ſuperſtitione coli poſſent indigni & peccatores pro ſanctis, & nonnulli imitarentur mala pro bonis, quod vehementer pernicioſum eſſet. Hæc verò argumenta præmiſit Sanctus Doctor quæ quoniam concludebant, meritò inſoluta dimiſit. Ergo ex illius ſententia ſimpliciter credendum eſt, Eccleſiam in talibus errare non poſſe: Quod etiam euidenter probat in ſolutione argumentorum quæ propoſuerat pro parte falſa, Cùm enim primum ſumpſiſſet quod nemo poteſt certus eſſe de ſtatu proprio, quantominus de alieno: ac deinde induxiſſet, quòd eccleſia innitatur hominum teſtimonijs, qui etiam fallere ac falli poſſunt, continenter atq; audacter pius & ſanctus Doctor in hunc modum reſpondet, quòd Papa ſiue eccleſia, & ſi quærat certior fieri per inquiſitionem vitæ & atteſtationem miraculorum, illud tamen præcipuum eſt quòd per inſtinctum ſpiritus ſancti certificatur. qui ſcrutatur non ſolum hominum, verumetiam profunda Dei: & quòd diuina prouidentia præſeruat eam ne in talibus per fallibilia hominum teſtimonia fallatur. Quid clarius ad manifeſtationem ſuæ ſententiæ potuit dicere ſanctus Doctor, quàm hoc tam aſſerte prolatum, quòd certificatur per inſtructum Spiritus ſancti eccleſia, & præſeruatur à diuina prouidentia ne per fallibilia hominum teſtimonia fallatur? Si igitur ſpiritus ipſe certificat de ſanctitate, & diuina prouidentia præſeruat Eccleſiam ab errore teſte noſtro magiſtro, quæ nos pietas in dubitationem impellet de eo de quo certifi-

certificamur à spiritu? aut qua sapientia audebimus dicere, ibi posse errorem esse, vbi diuina prouidentia præseruat ne possit esse error? Valeant igitur iam qui ex doctrina. D. Thomæ tam amenter sapiunt, vt credant eum conclusisse ecclesiam errare posse in canonizatione sanctorum, cuius oppositum tam manifestè docuit & explanauit.

Bonauentura. Post Thomæ testimonium adijcio & illud. B. Bonauenturæ cuius verba superius ex parte produximus, latius autem & vehementius contra quendam Guilielmum scribens grauissimis eum retundit sententijs, concludens horribilissimum & incredibilissimum esse ecclesiam in approbatione sanctorum errare posse, *Nota uerba* nec fas esse dubitare de huiusmodi, quia si vnus sanctorum vocatur in dubium, pari ratione possent & cæteri. item in talibus, imitari sequiq; dubia atq; incerta periculosum est, vnde fieret verum (sicut & supra diximus) quod aiunt hæretici, videlicet, quòd inuocare sanctos periculosum sit. Nam. B. Paulus ob eam gratiã Athe- *Act. 17.* niẽses quasi superstitiosos reprehendit eò quòd ignotum Deum, colerẽt: quoniam oportet nos scire quod colimus. Hac etiam de causa Dominus noster Samaritanum cultum improbauit, probãs magis illum qui erat in Iudaismo, cùm inquit. Vos adoratis quod *Io. 4.* nescitis, nos adoramus quod scimus. Oportet ergo nec falsum esse nec dubium aut incertum quod adoratur, vt sit adoratio digna quæ fiat in conspectu Dei. Et nota lector quòd hæc sunt testimonia Dei non hominum.

Adde & præterea Bernardi testimonium, qui per diuina in- *Bern. ad canonicos Lugdun.* structus oracula circa Dei cultum ait, ego quæ ab ecclesia accepi securus teneo & trado. si securus tenet ac tradit, non ergo cogitat illam in huiusmodi errare posse. Vnde enim potest formidari error, inde securitatẽ capere dementiæ est. Fauet & huic veritati. *Augustinus.* Augustinus qui dixit. Infidelitas est orare pro sancto, Quomodo autẽ esset infidelitas si non ex certitudine fidei haberemus eos esse in gloria, qui ab ecclesia Sanctorum catalogo sunt ascripti? *Innocentius. c. cum Marthe de cel. miss.* Quapropter & Innocentius Pontifex annotauit rectè mutatam esse orationẽ quæ in commemoratione. B. Leonis Papæ olim dicebatur, qua videbatur orari pro illo. Licet enim glossis quibusdam aliò torqueretur, tamẽ rationabiliter fuisse mutatam satis in- *Nota.* dicat per id, quod rationẽ mutationis reddẽs, sic ait. Cùm sacræ scripturæ autoritas dicat quod iniuriã facit martyri, qui orat pro martyre, idem est simili ratione de alijs sanctis sentiendum, pro eò quòd cùm sint perfectè beati, omnia eis ad vota succedũt: Sed

nos potius eorum orationibus indigemus &c. Vbi nota Pontificem etiam sacræ scripturæ autoritate ad hoc motum, vt illa diceret. Sunt &. B. Hieronymi egregiæ pro hac veritate sententiæ, nã abominandum illum esse censet apud Deum, qui aut sanctum esse dixerit, quod non est sanctum: aut contrà qui non sanctum dixerit, quod est sanctum. Et Christum violare (inquit) qui hominẽ non sanctum sanctorum iunxerit societati. Adiecit & vnam esse fidem quæ in Deum simul & in sanctum refertur, sicut vna est dilectio quæ in Sanctos & Deum fertur. Ex ijs autem facilè accipitur quàm sit incredibile tantum errorem in ecclesia Dei permitti à diuina prouidẽtia, vt in huiusmodi ipsa ecclesia aut fallatur aut fallat adeo periculosè, adeo pernitiosè, vt ipsamet violet imprudenter Christum: & dum eius gloriæ studet in mẽbris suis, illum potius fœdet. Est &. D. Gregorij sacrosancta professio, qui non solum de doctrina hominum, verumetiam de ipsis personis sic cẽset. Postquàm enim sic sanctè se suscipere quatuor celebriora cõcilia, sicut quatuor euangelij libros, & similiter quintum concilij in quo confirmata. B. Cyrilli fides fuit, in hunc modum etiam de personis adiecit, cunctas verò quas præfata concilia personas respuũt, respuo: quas autem venerãtur amplector: quia dum vniuersali sunt constituta consensu, se & non illa destruit, quisquis præsumit absoluere quos ligãt aut religare quos absoluunt. Hæc ille, quæ non possunt sapienter dici, si in huiusmodi posset error deprehendi. Nec deest Ambrosij testimoniũ, qui ad Martyrũ venerationem excitans populum in celebritatibus eorum hortatur, vt sine vlla dubitatione cõcurrant, quia qui illos honorat, Deum honorat in illis. An quæso sine dubitatione cõcurrẽdũ est ad cultũ cùm error posset esse in ipso cultu? Descẽdo ad humiliores. Et primũ affero Cardinalẽ Turrecrẽ. quẽ pontifex hoc epitheto honorauit, vt protector fidei diceretur propter illius libri catholicã doctrinã, quẽ edidit de potestate Papæ. Hic enim in suo illo nobili tractatu cõmemorãs inter ea quæ sunt fidei, & in quibus ecclesia errare nõ potest, canonizationẽ sanctorũ, adiecit, quòd qui aliter sentiũt errãt perniciosissimè: fidẽ, imò etiam fidei fundamẽta, eneruãt atq; subuertũt, & Christianã religionẽ maculant. Deniq; hunc errorẽ cõmunẽ fuisse omniũ hæreticorũ rectè testatur. Hãc sententiã planè sequitur Petrus de Palude, Ioannes de Neapoli, Petrus Garf. Episcopus Vssell. in libro cõtra Apologiam Pici mirandulani, qui ex Thomæ sententia hæresim esse docet aliter opinari, sicut & ipse Ioannes de Neapoli rectè vidit: quorũ sentẽtias

Hieronymus super Epistola ad Phil.

Gregorius Epistolis & habetur dis. 15. c. sicut.

Nota.

Ambrosi.

Cardinalis de turre.

Nota.

Petrus de Palude Io. de Neapoli Epis. Vssell.

hic breuitatis gratia omitto: nam alibi eas latius recensui. Confirmant hoc ipsum recentiores qui in Lutherum & Erasmum scripsere cum laude, vt Episcopus Roffensis, Albertus pius Carpensis, & alij, quorum gloria viget inclyta in ecclesia. Viderunt enim & experimento probauerunt, si hoc admittimus, videlicet ecclesiam posse in hac diffinitione errare, multū detrahi nobis ad compescendum hæreticos vim atq; autoritatem. Nam sanctorum sententias maximè in illos obijcimus, quæ profecto si liceat eorum pernegari sanctitatem, vt faciunt, eneruantur & futiles inueniuntur. Nam ad hoc tandem effugium conuolant, quum primum vident se per horum doctrinam obrui & expugnari.

Episcopus Roffensis. Albertus Carpensis.

Resolutio eorum quæ in contrarium afferuntur.

VEnio nunc ad ea quæ in cōtrarium adducuntur, non tam vt resoluam, quàm ut, iam resoluta esse in predictis, demōstrē. Non enim quicquàm prorsus afferunt, nisi quod & ipse. B. Thomas iam olim attulit atq; resoluit. In sententijs (inquiunt) quæ ad particularia facta pertinent, vt in possessionibus & criminibus & eiusmodi Ecclesia potest errare, Teste Thoma. Sed vtrum aliquis Sanctus fuerit necne, pendet ex actis particularibus & gestis eius, Ergo Ecclesia potest errare in huiusmodi. Respondeo, imò ipse Thomas respōdit. Si hoc tantum cōsideraretur quod pertinet ad particulare factū & interesse, possibilitas errandi concedi posset: quia tamen propter cultū, qui iam probato per Ecclesiam sancto, illi debetur, in quo est protestatio fidei nostræ, res extēditur nō in particulare tantum, sed publicū & vniuersale interesse, cōsideret asserimus quòd diuina prouidētia præseruat ecclesiā in talibus ab errore. Adde, quòd nō solum colendi sed imitādi quoq; nobis sancti proponūtur, vt dictū est. Regula ergo illa Thomæ nō dicit quòd in his quæ sunt facti ecclesia decipi potest, sed in his quæ ad facta particularia pertinent, hoc est, quæ nō publicā vtilitatem & doctrinam concernunt sed particularia facta solum respiciunt, & quæstiones de his solummodo implicant. Alioqui & Christū natum fuisse de virgine, & prædicasse, & crucifixum fuisse, non nisi particularia facta fuerūt: quæ tamen ab Ecclesia nobis proposita piè credenda sunt, & quidē necessariò ad salutē. Hoc autē est quia ex his factis publica omniū salus sequitur, atq; ideo hæc maximè recipere, etiam maximè ad fidem pertinet. Si autem res nō se extenderet

Nota proin telligentia. doctrinæ. Thomæ.

tenderet vltra bonum aut intereſſe particulare, nec quouis modo ſpecialem fidei noſtræ doctrinam tangeret, rectè credimus Papā & Ecclesiam per ſuos Pontifices poſſe, tales etiam determinando cauſas, facilè falli & fallere. In re autem quæ quouis modo fidem tangat, minimè. Quare & illud friuolum eſt quo Caietanus mouetur, videlicet quòd Pontifex ipſe ad canonizandum mouetur hominum teſtimonijs. Non enim per hæc potiſſimum mouetur, vt ait B. Thomas, ſed inſtinctu Spiritus Sancti, cuius adeſt prouidentia ne fallatur. Quapropter in canonizationibus ſanctorum ipſimet Pontifices altius aſpicientes verba huiuſmodi, cum rem determinant, adiungere, aut ſimilia cōſueuerunt. Confidentes igitur in miſericordia Dei aut prouidentia, autoritate ipſius omnipotentis, & Beatorum Apoſt. Petri & Pauli catalogo ſanctorū N. aſcribimus &c. xiſtus uero iiij. in canonizatione B. Bonauenture, etiam explicitius auſus eſt dicere, & rem declarare, his verbis. Xiſtus. Confidentes quòd in hac canonizatione nos Deus errare nō permittat. Et quod amplius eſt, poſtquàm declarauit illum ſanctum eſſe, etiam decreto præcepit firmiter ſic ac fideliter eſſe credendum: quod certè non valuiſſet, ſi hac in re potuiſſet quouis modo à vero declinare. Non eſt enim Pontificiæ autoritatis cogere quendam ad credendum ea quæ non ſunt fidei. Et hæc Pontificis autoritas, quia Pontificis eſt, multorum (vt notant ſancti doctores) præualere debet doctorum etiam Sanctorum autoritati: quanquàm, vt vidimus, illam etiam cōprobet D. Thomas. Nec mihi obijcias, ſi Spiritus Sāctus in his inſpirat, cur ergo humanæ adijciūtur inquiſitiones, & tractatus & probationes? Reſpōdeo, Nota. vult Deus nō omitti, imò adhiberi ab eis humanā induſtriā & inquiſitionem, & rei cognitionē in huiuſmodi, ne cogatur ad patētia miracula perpetrāda. Ipſe autē occultè inſpirat & dirigit in ueritatē, vt ſalua ſit exercitatio fidei. Ob eā cauſam etiā de illo Apoſtolorū tractatu, in primo concilio de quo Lucas in actis Apoſt. Act. 15. legimus, quòd præceſſit diffinitionē illam multa inquiſitio. Nam quilibet ſuam afferebat opinionē antequàm cōcluderetur diffinitiua ſentētia, Et nihilominus in ipſa ſentētia auſi ſunt adſcribere, Viſum ſic eſſe Spiritui Sancto & ſibi, & hoc ad noſtrā doctrinā, vt declararent humanæ illi inquiſitioni admixtā fuiſſe ipſius Spiritus directionē ac prouidentiā. Quare ſi Papa vellet abſq; inquiſitione, quā & humana ratio flagitat, iſta decidere, nō id ageret vt Nota. oportet, & tentaret Deū, nec certò dirigeretur in veritatē: ſi verò quod in ſe fuerit illud egerit, tunc quod humana facultas non

assequitur, id meritò & opportunè supplet Spiritus Sanctus. Qua de re etiã particulari tractatu differui. Nihil ergo est hactenus quod obijciunt contradicentes. Nec aliud video ab eis exquiri posse: dignum quod in seriam disputationem afferatur. Vnum tamen admoneo, quòd quædam sententia, quæ quasi Augustini citatur, & vulgò sæpe iactatur non absque scandalo, quæ sic habet. Multorum corpora venerantur in terris, quorum animæ cruciantur in inferno, nusquàm in libris Augustini legitur, ni me oculus fefellit, nec digna erat tanto viro, cum in vulgo sit scandalosa: & nihilominus patitur expositionem. Non enim vt benè notat Petrus de Pal. intelligenda est quouis modo, de his qui ab Ecclesia sunt canonizati: quin etiam animaduertendum, quòd non loquitur hæc sententia de sanctis, sed de corporibus quæ relicta sunt in terris. Esse enim potest, propter episcoporum inuigilantiam, quòd quædam corpora, vt certorum sanctorum corpora venerentur, quæ non verè sunt illorum, & forte etiam sunt corpora damnatorum, sicut legitur de quodam latrone in historia Diui Martini, cuius corpus quasi martyris venerabatur à populo, quã quàm non Ecclesiæ aut Episcoporum autoritate, sed ipsius populi temeritate id fieret, quem errorem esse in Ecclesijs nunquam permitteret Spiritus Sanctus, si Episcopi suas partes agerent ac vigilarent. Solum ergo superest nunc vt admoneamus non latere nos quosdam summularios tumultuanter hanc rem tractantes aliter docuisse, opinor autem iccirco, quòd magis essent canonistæ quàm Theologi, Nam cuiusdam glossulæ autoritate moti videntur: quæ tam doctè loquuta est, ut cum quæreret, quãobrem canonizationis negocium solum modo ad Papam pertineret, eas reddidit rationes & bonas certè & veras, quibus tamen illud suum dictum, videlicet quod Papa possit in hoc errare, quàm euidentissimè confutatur. Prima enim eius ratio est, quia causa canonizationis est de maioribus causis, quæ ad summi Pontificis decisionem pertinent. At (vt Caietanus ait) & rectè in hoc, idcirco maiores causæ ad summum Pontificem deferuntur, quia ipse super eis infallibile habet iudicium. Secunda ratio est, quia miracula attribuuntur fidei, cuius cognitio solius Papæ est. Sed & hæc ratio concludit apud nostros & benè Catholicos, quòd in hoc Papa errare nõ potest, quoniã in his quæ fidei sunt, vt sanctus Thomas rectissimè docet, Papæ iudiciũ infallibile est & indefectibile, licet hoc quidam canonistæ non credant & secus doceant, contra sanctorũ doctrinam, & Ecclesiæ sensum, Decretaliumq́;

Glossa quæ concludit cõtra nos probat contra seipsam.

Caieta. in Apologia sua.

Nota.

taliumq; tenorem. Vnde non mirum si fateantur Papam in sanctorum canonizatione falli posse, cùm in cæteris omnibus quæ fidei sunt idem fateri non vereantur. Tertia ratio est, quoniam (inquit) si dubia scripturarum quæ emergũt, ab ipso Pontifice declarantur. C. per venerab. Qui fil. sint legi. quanto magis dubia sanctitatis? Qua ratione idem similiter facilè comprobatur: nam in declaratione sctipturarum iudicium Papæ, etiam ex doctrina Thomæ, errare non posse perspicuum est. Quarta ratio est ne propter episcoporum simplicitatem populum decipi contingat, quod facilè indignos possent canonizare. Et hinc profectò satis infertur, quòd si Papa decernat, non poterit populus decipi: ex quo & illud sequitur, quod nec potest in hoc errare: alioqui etiã decipi posset populus à falsa Papæ sententia sicut à sententia Episcoporum, quandoquidem contingere posset Episcopos plures, etiã ipso summo Pontifice doctiores, sanctiores, & circunspectiores esse. Ergo quod à Papa non ueniat deceptio, non ratione personæ est, sed à prærogatiua sedis propter uerbũ Domini. Rogaui pro te ne deficiat fides tua. Vide igitur quàm bellè glossa illa se metipsam expugnat. Et reuera vt S. Doctor ait: inconsonũ & de risibile est, quòd sacræ doctrinæ professores iuristarum glossulas in autoritatem inducant, & de illis disceptent. Attamen propter infirmiores oportet etiam quandoq; descendere. Nequeo tamen interdũ non moueri, quum quædã adeò indigna cõsidero. Nam Felinus cum rectè vidisset ac protulisset ex Thomæ doctrina hoc esse, quòd in canonizatiõe sanctorũ errare nõ potest ecclesia, nihilominus cõtempta tãti viri autoritate maluit sequi doctrinã glossulæ, quæ tamẽ adeo imperitè loquuta est vt vidimus, vt non minus à semetipsa quàm ab aliis dissideat, dũ pugnãtia loquitur. Nõ inficior. B. quoq; Antoninũ nostrũ prima facie videri cõtrariã sententiã sequi, qui tamẽ si subtilius cõsideretur, facilè cum doctrina Thomæ, & cũ ipsa iã manifesta veritate conciliatur. Hoc enim in summa cõcludit, quòd quãquàm in canonizatiõe sanctorũ ecclesia possit errare, piè tamẽ credẽdũ est quòd Deus nõ permittat eã errare: quod in id recidit tãdẽ, quod ipse. B. Thomas prædixerat, videlicet quod ecclesia si cõsideretur in semetipsa, hoc est secũdũ personarũ cõditionẽ quæ illi præsidẽt ac talia decernunt, potest proculdubio in omni causa errare. Si verò cõsideretur Dei prouidẽtia, quæ nõ permittit errorẽ in his quæ attinẽt ad vniuersalẽ ecclesiã, rectè dicitur q errare nõ potest. alioqui quomodo starent hæc simul quæ ipse docet, videlicet quòd possit errare, & tñ deus

Tho. contra impug. reli.

Fel super. c. uenit. de test.

nõ permittat errorem? Et quomodo si aliter sentiret, doceret iuxta doctrinam Diui Thomæ, secundùm quam tamen se docere, putabat? Et ideo verè sic sensit, vt expositum est. quod vt ipsemet magis declararet, adiecit rationem dicti, his verbis. Et fortè ratio est quia talis determinatio pertinet ad vniuersalem ecclesiã, fit tamẽ per attestationem hominum qui fallere possunt, ac si apertius dixisset, in eo quòd huius rei decisio, propter sui grauitatem ac periculum quod redundaret in vniuersam ecclesiam, pertinet ad vniuersalẽ ecclesiam, credimus Dei prouidentiã seruare ipsam ecclesiã ab errore, in quem tamen ex hominum conditione posset incidere, cũ inquisitio huius veritatis per hominũ attestatiões fiat. Et hæc dicta sunt honoris gratia huius sancti viri, ne videatur doctrinã nimis absurdã cõprobasse, & contra. D. Thomæ sententiã quẽ sequebatur. Nõ conturbetur autem rogo quisquàm, quod tacitè quædã ab ecclesia recepta videãtur, quæ sunt suspecta, imò vt quidã existimãt, sunt meræ nugæ, videlicet in legẽdis eorũ, quæ tamẽ leguntur in diuinis officijs. Primũ enim nõ est putãdũ quòd quicquid ipsis põtificibus cõniuẽtibus in hæc officia cõtrusum est, haberi debeat tãquã ab ecclesia receptum, cum semel per os Gelasij Papæ protestata sit Roma. ecclesia, nolle se huiusmodi recipere. quòd si qui superstitiosè deuoti hæc infarciunt, & ij ad quos pertinet hæc dispicere, despiciũt potius & nihil curãt, doctis relinquitur & prudẽtibus tacita discernẽdi facultas, & probandi, & quod verum & certum est tenendi, iuxta illud. Omnia probate, quod bonũ est tenete: reliqua verò siue certò falsa, siue dubia, aut reprobandi, aut cum formidine recipiẽdi. Adde quod hæ historiæ quæ

Nota. leguntur de sanctis nõ sunt propriè de essentia siue substantia diuini cultus, nõ enim sic recipiuntur quasi certæ veritatis, vbi non posit admixtũ esse mẽdacium sicut sunt sanctæ scripturæ, nec in officijs interserũtur quasi directo pertinẽtia ad cultum. Nõ enim hæc ad ipsum Deũ dirigũtur, cũ quo agentes quicquã, mentiri ne fas est. Sed inter nos gratia exhortationis & consolationis, veluti cõciones quæ inter missarũ solẽnia habentur, ad excitandũ populũ & solandũ, interponũtur. Propriè autẽ ad officiũ & cultũ Dei pertinent psalmi, Hymni, Cãtica spiritualia, Orationes siue collectæ: in quibus omnibus dirigitur sermo ad Deũ. Itẽ lectiones sancti euangelij & epistolarũ in missis. Nã hæc ita dicũtur tãquam à spiritu sancto profecta ad certã fidei doctrinã ac morũ institutionẽ. Quamobrẽ & in cõcilijs rectè cautũ sancitũq; fuit, vt nihil ibi legeretur præter diuinas scripturas. Nec tamẽ me latet nonullos

hymnos

hymnos & quas vocāt prosas,& respōsoria,& huiusmodi quædā cōiunctibus his ad quos pertinebat(vt diximus) ea probādi cura, irrepsisse in diuina officia,quæ certè præter ineptiā & ineruditio nē quā habēt in dictiōe,nōnulla quoq; cōtinent mendacia cōtra veritatē scripturarū,& plerunq; incerta tanquā certa nobis obtru dūt.Qua de causa Ro.ecclesia noua cudit breuiaria,in quibus nō nulla expurgata sunt,quæ nō erāt cōpertæ veritatis. Atq; vtinam perficiatur tandem aliquando hoc negociū:sed de his hactenus.

DE VENERATIONE ET INVOCATIONE SANCTORVM

LIBER II.

CVM IGITVR IAM ILLVD EVICERIMVS, certam esse sanctorum gloriā quos ecclesia ipsa sancta solēniter approbauit,cōsequenter catholicarum mos ecclesiarū multis sæculis & ferè ab Apostolorū tēporibus hactenus cōtinentißimè ac illibatißimè cōseruatus, scilicet venerādi atq; inuocādi religiosè,& in cultu diuino sanctos & amicos ipsius Dei satis probatus intelligitur. Nam ad hoc ipsum præcipuè probātur sancti,vt etiā colātur & inuocentur in cultu. Qui mos quòd nō solùm probatißimorū & insigniū pietate virorū doctrina atq; exemplo autoritatē habeat venerabiliter obseruatā,verumetiā sacrarū scripturarum sentētijs cōfirmetur, hoc in loco aduersus has portas inferi facilè comprobabo.Nam ecce filij Luciferi qui noua sapientia ac fallaci prætextu omnē huiusmodi cultū improbāt & blasphemāt,& in vniuersum sufferre conātur. *Lutherus.* Primus enim Lutherus in vniuersum de omnibus pronunciauit, periculosum esse inuocare sanctos,& in eo sermone quē supra citauimus ita peruersè docet vt dicat: Sancti qui ex hac vita sublati sunt nullus eorū tibi venerari præcipitur.At,qui hic sunt tibi venerari præcepti sunt Christiani viui hic super terrā, qui sunt viri sancti.Erasmus autē hac de re nō tā furiosè loquens,sed subdolè magis & cū vafritie ita scripsit.Religiosi est affectus credere sctōs quos Deus adhuc mortali corpore grauatos tāti fecit vt ad illorū preces dæmones expulerit, mortuos ad vitā reuocarit,nūc quoq; nōnihil apud Deū posse.At qbus diuersa sedit opinio pura mēte *Erasmus de am.ecclesiæ concordia.*

syncera q;

synceraq; fide inuocent Patrem, Filium, Spiritum Sanctum, nec obturbent odiosè ijs qui citra superstitionem implorant diuina suffragia. Et alibi. Inter plerosq;, inquit, iam cōuenire, ex scripturis canonicis non posse doceri inuocationem sanctorum præcipi aut esse necessariam: quia tamen nō apparet ibi prohibitam, ideo probabilius colligi, neq; exigendam esse vt necessariam, neq; prohibendam vt impiā. Hæc ille. Verū pro catholica veritate tuenda, tria sunt quæ persuadere nitar non obstinatis. Primū ex sacris literis elici sanctorum inuocationem & cultum, eorumq; preces exaudiri à Deo inuocantibus illos, Secundum etiam Dominū ipsum id velle vt colantur & inuocentur, quoniam illis medijs decernit plurimas gratias & dona tribuere, idq; ad maiorem Dei magnificentiam attinere. Tertium nemini esse liberum aut tutum hunc ecclesiæ morem cōtemnere, aut improbare. Et primum quidem. quòd sancti pro nobis orent atq; exorent, innumeris sacrarum scripturarum probatur testimonijs. Dominus enim dixit Abimelech de Abraam. Redde viro suo vxorē & orabit pro te & viues. Ex quo loco constat vitam hominis positam fuisse in oratione Abraæ, qui etiam exauditus fuisset pro Sodomitis si decem saltem inuenti fuissent iusti. Et tamē in gratiā Abraæ liberatus est Loth, vt scriptura ipsa testatur. Moyses toties orat pro Pharaōe & pro populo, nec frustra. Samuel similiter & Daniel qui vir desideriorum vocatus est. Et vt scias quòd etiam ex mandato Domini id fiat non solum ex tacito impulsu spiritus (quod secūdo loco probandum suscepimus) lege apud Iob Dominum dicentem amicis eius. Iratus est furor meus in vos, quoniam non estis loquuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob, Sumite ergo vobis septem tauros, & ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis. Faciem eius suscipiam, vt nō vobis imputetur stultitia &c. Hanc verò Dei voluntatem spiritu inspirante agnoscentes populi, aliquem pro se apud Deum precatorem adibant. Vnde aiebat Populus Samueli Ora tu pro seruis tuis ad Dominum Deū tuum, & iterum. Ne cesses clamare pro nobis. Ozias & prespyteri rogant Iudith, Ora pro nobis quoniā mulier sancta, es. Sedechias similiter Hieremiam interpellat vt oret. Deniq; centurio in euangelio hoc spiritu humilitatis actus nō, ipsum Iesum audet primò interpellare, sed mittit seniores vt orent eum pro puero suo, qui & ait: Nō sum arbitratus me dignum qui venirem ad te. Sed quid in re tam perspicua laboro, cum hæc exempla passim quilibet reperiat in scripturis? Verum audi quæso quid ad hæc respondeant hæretici.

Erasmus de modo orādi aut potius de modo errandi.

Gen. 20.

Gen. 18.

Exo. 5. 6. et 32. et alijs locis. 1. Reg. 8. et alibi dan. 9. Iob. ult.

1. Reg. 12.

Iud. 8.

Luc. 7.

hæretici. Aiunt eum quæ adducũtur habere locum in sanctis qui adhuc nobiscum agunt in terris, At de his qui sunt in cœlis nõ haberi eiusmodi in sacris scripturis. O cæci & stulti. Ergo qui degũt hic in terris nondũ exacto militiæ suæ cursu, nõ omnino peccatis exuti, non perfectè Deo coniuncti, sed quibus adhuc grandis restat via, poterũt nihilominus pro nobis orare atq; impetrare: ĩdẽ tamẽ post expleta feliciter huius vitæ officia, post superatos agones, post partas victorias, & relata trophæa ac spolia, & triũphos adeptos, iã summo regi præsentes, iã illi perfecta dilectione cõiuncti, hoc idẽ efficere non poterunt? Stulti & cæci, quis vos fascinauit, vt hæc tam euidentia non cernatis, nisi sanctitatis hostis & veritatis Satan Diabolus? At inquit Erasmus, id quod concludis collectione & argumento habes, nõ tamen apertum est in scripturis. Stulti & cæci. Nonne Dominus collectione & argumentis Pharisæos confutabat & Scribas? Nam cum illi statuissent, Quicũq; iurauerit per templum nihil est: qui autem iurauerit in auro templi, debitor est. Nonne hic argumento eos reuincit, dicens: Stulti & cæci, quid est maius? aurum vel templum quod sanctificat aurum? Cur ergo hic illi nõ exceperunt, producito nobis scripturã? Quod si fecissent nonne ludibrio patuissent? Quid enim aperta ratione fortius? An non est scriptum in cordibus, quod naturali lumine ac ratione intelligitur? Quid verò hac ratione fortius? Fatentur enim, quia coguntur à scripturis, quòd homo Deo charus & amicus potest pro aliјs orare & impetrare, et vt oret atq; exoret inuocari potest dum in terris agit, nõ autẽ postquã incolit cælos. Stulti & cæci. Vbi quæso, aut quando est charior, & Deo coniunctior homo Dei, dum adhuc lõge agit in terris militans, nec dum perfecta sunt merita, an quãdo iã cælos incolit potitus laurea, & sedẽs in dextera filij, & intuẽs maiestatẽ? Stulti & cæci. Quid est hoc quod ait Dominus, Videte ne scandalizetis vnum de pusillis istis minimis, Amen dico vobis quia angeli eorũ semper vidẽt faciẽ patris mei qui in cælis est. Quid his verbis aliud voluit, nisi ex ipsa visione & præsentia coram Deo declarare aditum quoq; facilem ad adorandum & impetrandum? acsi apertius dixisset, Qui Dei faciẽ vident sicut qui familiares sunt regi, facillimè quod volunt impetrant, etiã vindictã pro suis quorũ custodiæ sunt præfecti. Quod si Angelis datur, cur non etiã sanctis, qui in sortẽ Angelorũ prouecti sunt? Verũ (inquiunt) sanctos qui sunt in cælis iã non vltra mereri. Stulti & cæci, nũquid propterea meruisse desierũt? Alioqui & Christus desijt mereri, q tñ interpellat pro nobis.

Matth. 23.

Matth. 18.

Et angeli desierunt mereri, Ergo & ipsi non orant? Verè desierūt mereri, nemo id negat, sed fructus meritorum non desijt neq; cessat. Hoc ergo quod valeant efficaciter pro nobis orare datur antiquis illorum meritis, quibus facti sunt in æternū amici Dei & pollentes insigni gratia apud Deum. Porrò quis orantem amicū & misericordiam aut iustitiam cōuenienter implorantem, etiam si pro alijs oret, repellat? Stulti & cæci, Dominus discipulis cum mœrore affecti essent, molestéq; ferrent recessum ipsius in cœlū, ait. Expedit vobis vt ego vadam, si enim nō abiero paraclitus nō veniet ad vos, significare hoc in se volens, quòd tunc eius merita coronanda essent & præmio afficiēda pro alijs, quando ipse iam explesset omnem agonem, & præsens apud Patrē esset, nō quòd nō potuisset Iesus etiam in terris existēs spiritū dare, sed quòd nō erat decens nisi parta victoria. Tunc enim illi demum dispensatū est à Patre, vt effunderet spiritum, sicut & præscriptū erat. Ascendens Christus in altum captiuam duxit captiuitatē, accepit dona in hominibus. Quòd autem fuit in capite, hoc & in nobilioribus eius membris esse, facilè est intelligere. Ipse enim ad illos ait. Ego elegi vos vt eatis & fructum afferatis & fructus vester maneat, vt quodcunq; petieritis fiat vobis. Stulti & cæci auditis quid dicat, Et fructus vester maneat, Quis hic fructus, qui manet nisi fructus operum? Quomodo autem maneret hic fructus si hac vita transacta periret, ac tantisper pro hac vita dictum intelligeretur: vt quodcunq; petieritis fiat vobis? Sed volunt etiam expressius probari hæc in scripturis. Age, Moyses & Daniel ac tres pueri, nōne obsecrabant Deum propter Abraam, Isaac & Iacob, qui iamdudū excesserant? Si igitur non vana est imploratio diuini præsidij propter eos, falsum relinquitur quod non valeant succurrere, quia desierint mereri. Quod si Deus mouetur cum obsecratur per eorum gratiam qui sunt cum ipso in cœlis, cur non & ipsi inuocari possint, vt præstent patrocinium, quod præstare valent? Sed aiūt quidam, Sanctos non sentire orationes nostras, & hi sunt qui nihil asseri volunt preter quàm quod habetur in scripturis. Vnde ergo id illi accipiunt miseri quod Sancti non sentiant, aut videāt orantes? Stulti & cæci Angeli vident, & offerunt coram Deo orationes nostras, vt Raphaël de se testatur, Et hoc non poterunt Sancti, qui sunt Angelis similes in gloria? Abraam nondum gloriam adeptus vidit Epulonem eiusq; preces audit, etiam frustra precantis: Et hi qui cœlorum iam templa colunt, qui videntem omnia, in quo sunt omnia vident, hoc non videant quod vehementer

Io.16.

Nota hæc profunde.

Psal.67.

Io.15.

Thob.

menter videre cupiunt? Stulti & cæci. Paulus adhuc agens in terris & corpore absens à Corinthijs, fit nihilominus præsens spiritu, & iudicat fornicarium tradens illum Satanæ in interitum carnis: & nunc cœlestis factus, nihil nosceret huiusmodi? Stulti & cæci (attende lector fascinationem mirificam) dum asseritis cœlestes ipsos non videre quæ sic aguntur in terris, nonne simul significatis videre vos quæ aguntur in cœlis, hoc saltem, quod Sancti non vident aut curant nostra? Vos ergo animalia terræ oculatiores estis beatis animabus. Stulti & cæci. Si ignorant Sancti quæ circa nos sunt, & quæ nobis conferunt ad salutem: aut hoc accidit illis nolentibus & cupientibus scire, aut non curantibus quæ ad nos pertinent: Si primum detur, demitur illis de beatitudine: si secundum, detrahitur de charitate. Nam cur nolint scire de his quos dum in terris degerent tantopere dilexerunt & tanta pro illis passi sunt? Scientes autem, cur nolint etiam curare & præsidio esse & protectioni? An in cœlis amiserunt misericordiam & pietatem? Si autem miserentur, cur non adiuuent? quia nequeant? O stultitiam, O cæcitatem. Adhæc, iratus Dominus dixit. Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Et alias. Si Noe, Daniel & Iob fuerint in medio eius, filium & filiam non liberabunt &c. Sic autem aiebat, vt insignia flagitia significaret. Satis ergo manifeste indicauit quòd pro minoribus transgressionibus, quando non sese penitus effudisset diuina indignatio, horum intercessio pro populo valuisset. In Apocalypsi Ioannis introducuntur quatuor animalia, & viginti quatuor seniores cadentes coram agno in facies suas, & habentes citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum. Introducitur & Angelus offerens sanctorum orationes ante thronum Dei. Adhæc, in libris Machabæorum enarratur & visio Iudæ mirifica qui vidit Oniam sacerdotem summum iam defunctum virum pium & sanctum protensis manibus orantem pro populo Iudæorum, atque item alium ætate & gloria admirabilem de quo dixit Onias, Hic est qui multum orat pro populo & ciuitate, Ieremias Propheta Dei, Tunc extēdit manū Ieremias deditq; Iudæ gladium & dixit, Accipe sanctum gladiū, munus à Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei Israel &c. Quis ad hæc exempla poterit respondere? sed negant quidam libros Machabæorum esse in canone Ecclesiæ, propterea quod non sint in Canone Synagogæ. Esto, detur hoc duriciæ

1.Cor.5.

Apoc.6.

2.Mach.15.

ceruicis eorum, & quorundam incogitantiæ. At quis unquàm orthodoxorum ausus est refutare quicquam aut reprobare quod inde affertur?

Quæ obijciunt hæretici contra uenerationem Sanctorum.

SEd obiectant scriptum esse, Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies. Quod si aduocatus queritur apud Deũ & mediator, de solo Christo hoc esse dictum, Habemus aduocatum apud Patrem. Et iterum. Vnus mediator Dei, & hominũ homo Christus Iesus. Stulti & cæci. Si nõ liceat præter Deum adorare quenquam, cur in scripturis Angelorum ac magnorum virorum adorationes leguntur & passim? Vnde & Abraam adorat angelos, & Abigail Dauid, & passim hæc leges in sacris literis. Cur ergo non tandem intelligunt aliter adorari Deum, aliter sanctos? Illum quidem vt dominum, vt creatorem, vt redemptorẽ, summum: hos vero, vt eius amicos & membra Christi honoratiora, In quibus quum sic adoratur, magis ipse Deus adoratur quàm ipsi. Et verè vnus aduocatus & vnus mediator Christus pro nobis, nec tamen vacant sanctorum oratiões, qui sunt quodam modo subaduocati & submediatores, & hoc propter Christũ. Alio-
Nota. quin si vnus omnino mediator & aduocatus (vt aiunt) satis est, hac ratione vacarent orationes sanctorum tam in terris existentium quàm in cœlo. Hæc enim ratio si quid valet, non solum orationes quæ fierent in cœlis à sanctis inanes facit, sed etiam eas quæ in terris. Quod tamen apertissimè, vt ipsimet inficiari nõ valẽt, repugnat scripturis. Sed audi qui potes capere. Dicit etiam Chri
Matth.23. stus nolite vocari Rabbi, vnus est enim magister vester, Et tamen
Io.1. Ioannes patitur se vocari magistrum: & Paulus Doctorem gen-
Ad Ti. tium se nuncupare ipse non dubitat. Dixit & Christus, nolite pa-
1.Cor. trem vobis vocare in terris, Et Paulus nihilominus patrem se vo
Matth. cat Corinthiorũ, quos ait se genuisse per euangeliũ. Christus dixit, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & Paulus præ-
1.Cor. dicat Imitatores mei estote, & obseruate eos qui ita ambulant sicut habetis formam, nos. Pater cœlesti voce pronunciat: Hic est
Act.Apo. filius meus charissimus, ipsum audite. Et Petrus ait: Ab antiquis
Io.8. diebus elegit inter nos Deus per os meum audire gentes verbum euangelij, & credere. Christus ait: Ego sum lux mũdi: & de Apostolis quoq; idem verbum prædicans ait: Vos estis lux mundi: de

Christo

Christo dicitur quòd est pastor bonus, & quòd dedit animã suã pro nobis. Et Paulus nihilominus de se dicit: Quotidie morior propter gloriam vestrã. Et iterum: Gaudeo nunc in passionibus meis pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quòd est ecclesia. Deniq; Christus ait: Pater omne iudicium dedit filio. & Paulus ait, nescitis quoniã Angelos iudicabimus. Sexcenta sunt huiusmodi, quæ potuissem afferre, vt planè ostenderem nihil prohibere ea quæ singulariter Christo attribuuntur, & illi competunt eminenter, posse tamen secundario, & propter illum, & in illo, aliquo mõ cõuenire alijs, quos ut ait Paulus, non cõfunditur vocare fratres. Vocat autẽ & amicos, quibuscum tam familiariter agit & colloquitur aiens: Iam non dicam vos seruos, sed amicos: quia quæcunq; audiui à Patre meo nota feci vobis. Et de Abraam dixit, Nunquid potero celare quæ gesturus sum, cũ ipse sit futurus in gentẽ magnã? Et isti dicũt celare Deũ eos, qui sunt iam in cœlis in perfecta charitate & amicitia quæ circa nos sunt, vt nõ valeant pro nobis interpellare, tanquàm Christus inuidia tactus velit ipse sibi soli hunc honorẽ, & hoc negociũ: cùm re uera illi maior gloria sit, & maior honor, cũ post se etiam participat alios donis suis. Nam cùm sit ipse verus Deus & filius Dei, fecit vt nos & filij Dei & dij essemus, iuxta illud: Ego dixi, Dij estis &c. Nõ igitur Christo derogatur sed arrogatur, si post ipsum summum & principalem omniũ mediatorem & aduocatum, etiam alios esse confiteamur, sub illo tamẽ. Nam ij per merita eius, & per ipsum ad hanc gratiã euecti sunt. Nõ enim frustra orauit hoc dicens. Volo pater vt vbi ego sum, illic sit & minister meus. Et iterum pronunciat: Claritatem quam dedisti mihi & ego do eis. Et ad illos: Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum. Quid hoc est disponere illis regnum, sicut Pater sibi disposuit, nisi vt & illi, post illum tamẽ, nobiscum sint vsque ad consummationem sæculi regnãtes? Alioquin dicant nobis, quid sibi velit Dominus in illa parabola, quãdo, post bene administrata talenta, cõstituit Dñs illos super decẽ ciuitates, alios verò super quinq;. Vnde & Propheta psaltes canebat. Nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis cõfortatus est principatus eorũ Verũ pergunt etiã argutari. Satis enĩ (inquiũt) habuere sancti pro meritis suis quòd gaudent ipsi beatitudine, tantũ abest vt possint eã alijs procurare. Quinetiã adeo derogãt Sanctorũ operibus ac meritis, vt multa etiã sup hoc articulo blasphemẽt: de quo alibi p tractamus. Verũ quòd ad rẽ pertinet, nõ falsò profectò illud aiũt

Matth.5. *Ioan.10.* *2.ad Cor.* *ad Col.* *Ioan.* *1.Cor.* *Ad Hebr.* *Ioan.* *Ioan.17.* *Luc.22.*

satis superq; satis esse pro ipsorum laboribus felicitatem suam, si laborum dolorumq; & passionum suarum põdus tantum pensemus, quæ non sunt condignæ ad futuram gloriam. At si Christi gratiam vnde sunt, si eius merita qui hanc illis eximiam gratiã cõparauit. Si Dei benignitatem, munificentiam, largitatem, splendorem deniq; deputemus, nihil mirabimur, si super illud satis, etiam hoc fide receperimus superfusum in illis fuisse. Quid est enim. Miseri quod ait Dominus illis, mensuram bonam, cõfertam, coagitatam, supereffluẽtem dabunt in sinum vestrum? Quid est inquam supereffluentem nisi tantam, vt possit & in alios redundare? At hoc est quod asserimus nos de sanctorum gloria & gratia, idq; non tam in præmium suorum operum cõdignum, quàm vt satisfieret Christo, qui & hoc promeruit pro amicis suis, vt & hoc amplius ipsi mererentur. Nec silent adhuc & aiunt. Quis misericordior, quis benignior & munificentior, Christus an Sancti? haud dubiè Christus: Cur igitur, nõ recta via illum adibo omissis Sanctis, quem norim illis magis misereri ordem? & his strophis imperitos decipiunt. O' stulti & cæci, quis est misericordior, Deus ipse, an Christus, qua parte homo est? cui dubiũ quòd Deus ipse. Cur igitur non omisso etiam homine mediatore adimus directo patrem vt misericordiorem? Stulti & cæci, nõ vident, quòd cùm imploratur Christus homo mediator, hoc attinet ad misericordiã patris & gloriam, qui parauit illum nobis mediatorem atq; interpellatorem pro nobis: & eodem modo attinet hoc ad misericordiam Christi, vt alijs mediatoribus pertingamus ad illum, qui vel timore sancto, vel multorum conscientia scelerum non audemus continuo ad tantam accedere puritatem ac maiestatem. Obiectant & hoc, quòd ea petimus plerũque à sanctis quæ ipsi præstare non possunt, sed solus Deus. Quasi verò implorentur Sancti perinde ac ipsi per se illa possint, ac non potius vt per illos ea obtineamus à Deo. Et satis dicuntur posse, quæ per Deũ possunt. Alioqui reprehendant & scripturam quæ introducit sanctas mulieres inuocasse Petrum vt suscitaret Dorcam, quod & fecit. Quòd si quis instet, quòd aliqui putent id posse fieri per ipsos sanctos, Respondeo, Hic priuatus est error qui corrigi potest & debet, admonitione: nec propterea sanctorum inuocatio damnari, quæ multis de causis est vtilis & probanda. Nam quoniam plerique sunt qui suorum conscij scelerum & indignitatis suæ non audent per seipsos irrumpere & interpellare maiestatem Christi, sed in illo priore spiritu Petri aiunt, recede à nobis quia peccato-

Nota ne decipiaris parũ peritus in scripturis.

Luc.

peccatores sumus. Et item sunt alij humiles animo, & seipsos suãque humilitatem subtilius considerantes, qui similiter nõ audent sese sistere coram Deo & Christo, vt erat ille Centurio cuius egregiam fidem commendauit Dominus, Idcirco optimus ac sapientissimus Deus Pater propter seipsum & propter Christum suũ, & propter ipsos sanctos, & propter nos vel insignes peccatores, vel humili ac laudabili timore, vt diximus, pusillanimes, prouidit de huiusmodi, vt ita dicam, subpropitiatoribus & supprecatoribus: quam prouidentiam qui improbant, Christo contumeliam inferunt, & Spirituisancto aduersantur qui gubernat Ecclesiam: tum Sanctos, quorum gloriæ detrahunt sibi concitant inimicos. Nã quæ rogo temeritas, quæ superbia, quæ, tandẽ impietas hæc, ritum istum colendi & inuocandi Sanctos, Dei prouidentia constitutum, suasu Sancti Spiritus inceptum, tot Pontificum decretis probatum, tot bonorum ac sapientum Patrum exemplo receptum, tot sæculis vigentem in vsu, tam diuturno ecclesiarum omnium more & consensu populorumq; cõcursu celebratum, tot ac tam magnis rationũ momentis patrumq; scripturarumq; sententijs corroboratum, deniq; tot tantisq; signorum, miraculorũ, prodigiorum, reuelationumq; testimonijs cõfirmatum, tanto furore conuellere atq; euertere? Et cum ita sit suadet nihilominus. Erasmus tolerari eos qui adeò impiè sentiunt nec se inclinant in hanc venerationem, atq; ita contemnunt Spiritus Sancti assidua testimonia manifestantis, non solum ex ore Patrum, sed à signis ac prodigijs innumeris hanc sanctorum potestatem: quod norũt ij qui beneficia sospitatis & alia continuè recipiunt. Quantò igitur optabilius quod cupiebat Paulus, vt adeò perfidi ac proterui abscindantur qui conturbant Ecclesiam, & impleatur verbum illud in his. Ejce ancillam & filium eius. Amen. Dolendum tamen propter plebium ruditatem, quæ ab ijs deceptoribus seducuntur. *Erasmus in Amic. Ecclesiæ cõcordia*

Hactenus ergo pro cultu & inuocatione Sanctorum. Non inficiabor tamen etiam in hac re nonnullos esse abusus, vel dum fortè aliqui nõ ordinatè colunt & inuocant, aut cum errore quasi ex seipsis possint quæcunq; possunt, & nõ per Christum & Deum, aut quum per affectum & cõtentionem alius alij præponitur, Et fit homo ponderator atq; æstimator meritorum, aut cum aliqua opinione ac non Ecclesiæ iudicio cõstituuntur sancti. Hos autẽ, & si qui sunt alij, abusus, non solum non defendimus aut probamus, sed improbamus ac detestamur: quia nec ipsa Ecclesia pro- *Nota.*

bat,imò vituperat & prohibet. Neq; tamen propterea abolendus est verus verorum sanctorū cultus,quòd in hoc erretur vel à simplicibus & imperitis,vel ab ijs qui secūdum carnem sapiunt. Sed monendus est populus & abstrahēdus ab omni cultu superstitioso cum omni patientia & doctrina.

De liuore Diaboli & conatu contra honorem & cultum Christi & Beatæ Virginis.

HOc igitur iam vniuersaliter euicto,quòd inuocandi sunt sancti ac venerādi,illud vt simul euictum absq; controuersia relinqui consequens erat,quòd quātò magis aliqui sanctitate & amicitia coram Deo præstarent alijs,tantòmagis & illis cultum impēdere & eorum præsidia & patrocinia inuocare debeamus: Ac propterea de sancto sanctorum qui est Christus,nullam prorsus de eo facere quæstionē cui proculdubio debetur latria: nec in Christo adorando separare debemus naturas,cùm vna sit persona quæ adoratur,ipse Christus Deus & homo. Vnde & in sanctis concilijs non esse duas adorationes Christo faciendas rectissimè sancitum est. De beata etiam Virgine de qua confidenter canit ecclesia,quòd exaltata est super choros Angelorum in cælestibus regnis,nulla deberet esse quæstio,quin illi post Deum super omnes alios sanctos & amicos Dei,eximij & speciales ab vnaquaq; creatura debeantur honores: quoniam illi post Christum vnusquisq; salutem suā referre debet acceptam: hæc est Alma Virgo illa semper benedicta,& paradisus qui protulit lignum vitæ,& electa est ad pugnandum cum ipsius semine quod elegit Dominus,& prouexit in zelo sancto aduersus serpentis liuorem ac rabiem,& ad-
Gen.3. uersus omne semen eius nequam,quod paratum est semper,vt & nunc,maximè ac vehementer blasphemare & detrahere huic terræ sanctæ,quæ verè manauit lacte & melle. Idcirco contra excitamur & nos,qui putamus esse per Dei & Spiritus Sancti gratiam in hoc semine benedicto,succincti lumbos in veritate,parare sagittas potentis acutas,& gladium spiritus quod est verbum Dei,& scuto sapientiæ excipere ignea & volantia hostium tela,id est,argumenta mendacia,illaq; ostendere meras calumnias,vtpote in eius officina fabricatas,qui merito sibi nomē vēdicauit hoc διάβολος,ab initio. Multa enim iam olim meditatus est serpens iste in hanc nostram,non iam vt illam prosterneret,qui cū illa pugnans contrito capite prostratus est ipse(sicut scriptum erat,ipsa conteret caput

caput cum in illo femine esset prima, sed vt illius pulchritudini atq; excellentiæ apud multos quos sibi similes fecit, & in filios adoptauit, vtpote mendacij amatores, derogaret atq; detraheret. Primùm igitur vt fontem ipsum gratiarum omnium, id est, fructum terræ huius, Iesum inquam virginis filium ore suo illo spurcissimo commacularet liuore plenus studuit illius sanctitatem ab initio denigrare, callidè cogitans quod viri sanctimonia violata, etiam illa sanctitas violabatur quæ erat virginis. Aiebat enim: Si lucem solis obscurauero, etiam tenebras ipsi Lunæ offundam. In corda ergo multorum ab initio ponebat de Christo, quòd esset seductor, peccator, conuiua, & publicanorum amicus, vorator & potator vini, magus ac dæmonio plenus. Sed citò vicit hoc insigne mendaciũ veritas nimis patens, & claruit immaculati ac veri agni iustitia & innocentia sempiterna, de quo & scriptũ erat. Nõ est inuentus dolus in ore eius. Hoc autẽ in articulo facile superatus & confusus malignus, adiecit vt & aliud suaderet, quod maximè cordi habebat, videlicet ne verus Deus crederetur, vnius cũ Patre substãtiæ. Nã & in hoc de matris gloria decedere plurimũ, planè videbat. Sic ergo parturiẽs, cũ multos filios peperisset, inter alios illũ potẽtissimũ regulũ peperit Ariũ. Sed & hîc ruinã sensit infelix. Audiuit enim quasi quodã tonitruo per omnem terrã, & quasi vna voce resonari homusion: & ad hunc sonũ, filiũ suũ dilectũ Ariũ perculsum, propria viscera effudisse. Nec tamen quieuit iniquus: sed vt est callidus, in aliã partẽ se vertẽs, & quasi pro Christi dignitate decertãs, suasit multis quòd nõ verã carnẽ de Maria susceperit, tanquã hoc esset indignũ Deo: sed aut phantasticã, aut sicut quidã aiebat allatã de cœlo: mõ enim nõ diceretur Christus homo, & de fœmina conceptus & natus, sat egisse pro suo liuore putabat: quod & hîc matris gloria periclitaretur, & nostrum genus suo inclyto spoliaretur honore: quo ille suet ac summopere cruciatur. Verùm & in hoc bello succubuit miser. Adiecit ergo persuadere nonnullis, quòd & si de Maria conceptus fuit & natus Christus, nõ tamen de Virgine: vt hoc luto cõspurcaret vtrũque, videlicet & filium & matrem. Quod commẽtum vt perspicuæ falsitatis erat, sic facile euanuit. Prosequutus est nihilominus bellum, & subtili argumento, ne saltem Dei mater vocaretur, per suos quos ipse donauit laurea magistros, cõtẽdit, eò quòd illa deitatẽ non genuisset. Sed & hinc decidit, & acclamatũ est θεοτόκος id est, deipara Virgo. Putan impudentissimum ab insidijs cessasse ac tot victũ prælijs à magisterio mendacij abstinuisse? non profectò. Erasmus enim qui primum nihil omisit penè quod non tentaret

Liuor Diaboli & conatus eius.

Isa. 53.

Arius.

Manichæus valentinus.

Heluidius & alij.

Eutiches.

Erasmus.

taret in Christum, vt Arianis arte, imò impietate mirifica fauere', (qua de re etiam libro alio fusius scripsi) etiam Christi diuinitate concessa, de ipsa Eucharistia, an adoranda sit, & quomodo, scrupulum mouit homo mirum in modum scrupulosus. Audi (quæso te piè lector) virulentum hominis sermonem, & quasi Iudæ osculum tradentis Christum. In libro enim de amabili ecclesiæ concordia, (hoc enim titulo inscripsit libellū suū quendā his venenis aspersum) in hunc modum scripsit de Eucharistiæ sacramēto, an esset adorādū: hæc eius verba sunt. Sed obijcitur scrupulus de adorando. Si in Eucharistia est totus Christus, cur nō est adorandus? quāquàm Christus in eo sacramēto est sub specie cibi & potus, vt summa cū animi puritate sumatur, nō ostentetur, aut in ludis publicisq; pompis circunferatur, aut in equo circa arua vehatur: id nequaquā est veteris exēpli, sed in hoc multitudinis affectui plus satis indultū est. Quidā valdè pij sibi videntur, si quoties finit sacerdos videri corpus Domini, vndiq; accurrāt, ac è proximo defixis oculis intueātur. Quantò religiosius erat cū publicano procul à cācellis abstinere, & corpore humi fuso adorare Crucifixū! Nullus est tā stolidus, vt humanā Christi naturā adoret pro diuina: aut vt panē & vinū adoret pro Christo. Quoniā autē nemo certus est, an sacerdos cōsecrauerit præter ipsum vnū, nullus adorat ibi Christum, nisi sub tacita conditione, & tamen id quod in Christo propriè adoratur, nusquàm non adest. Hæc ille: quæ quoniam imperito lectori possent facere phantasiā, & inijcere timorē vbi minus oporteat, sigillatim eliciendum est venenum, & iudicādum. Primum attende scrupulum, quem ipse obijcit sycophāta, scilicet de sacramento adorādo, & cogita rationē scrupuli. Quia (inquit) Christi corpus sub ratione cibi & potus est ibi, scilicet, in sacramento. Sed quid hoc obstat adorationi? imò tātò magis nos ad adorandum inuitat, quantò maiorem ipsius dignationem in hoc agnoscimus, quòd sese offerre dignetur in cibum vitæ, non vt ipse in nostri substantiam conuertatur, quasi carnalis cibus, sed vt nos conuertat in suam, & quodammodo diuinificet: quia ipse est cibus spiritus. Deinde satis videtur prohibere ostensionem hostiæ, quæ ad hoc fit vt adoretur, & inuocetur, dum ait. Est ibi sub specie cibi & potus, vt summa cum animi puritate sumatur, non vt ostentetur. Satis habuit dicere, non vt ostentetur, volens prohibere adorationem. Nam ad hoc ostentatur vt patet, scilicet vt adoretur. Quod autem adiecit, Aut in ludis publicisq; pompis circūferatur &c. Inferius proprio loco vt falsum ac seditiosissimè

dictum

dictum confutabitur. Quòd item laudat cum publicano continere se intra cancellos, & corpus humi fundere, scilicet vt nō spectetur sacramentum ipsum oculis & Eucharistia, huc tendit præterquàm quòd hypocrisim continet, vt suadeat dogma impium, quod est nō adorare Eucharistiā, implicitū quoq; gerit aliud mēdacium, id est quod publicanus prostrauerit se, & humi corpus effuderit. Non enim hoc legitur in Euangelio de illo, sed quòd stās à longe, nolebat nec oculos ad cælum leuare. Et hoc, non despiciens cælum, ne adoraret eum qui est ibi, sed præ pudore ob conscientiam delictorum. Nec tamen ille publicanus est exemplar omnium, vt sic omnes facere debeamus: sed peccatorum, & qui adhuc in statu pœnitentium sunt magnis sceleribus obruti, nec misericordiam consequuti. Alioquin reprehendi posset propheta, qui toties se oculos in cælum & ad Deum leuare dixit. Ad te leuaui oculos meos &c. Et Stephanus quoq; non rectè orasset flexis genibus, nec rectè intendisset in cælum oculos, si omnes ad modum publicani illius deberent se gerere. Adhæc dum vituperat hic homo sapiens, homines qui accurrunt ad corporis Christi venerationem, quum circunfertur: non considerat, se etiam zacheum simul vituperare, qui pretereunte Domino, nec se humi prostrat, nec adorat à longè, sed præcurrit vt videat, & ascendit etiam sycomorum, vt cōtēpletur prætereuntem. Vituperat & seminifluam illam quæ festinat vt tangat, & accedens vel fimbriā vestimenti tetigisse sat habet vt sanetur. Et quod addidit, vt adorationem ad sacramentum improbaret, quòd humana natura nō est adoranda pro diuina: præterquàm quod est hoc veterum hæreticorum commentum, manifestam quoq; habet fallaciam. Non enim cùm corpus Christi adoratur, præcisè adoratur humana Christi natura, velut à diuina seiuncta: sed adoratur latria Christus homo, quia Deus est. Sextò quod etiam adiecit. Diuina natura, quæ propriè adoratur, nullibi non est: aut inconsideratè dictum est, aut ad fallaciam. Primò enim non adoratur diuina natura, sed persona & Deus ipse. Nam personæ fit adoratio propriè, non naturæ, vt rectè. D. Thomas docet. Deinde, quanquam diuina natura nullibi non est, vt possit adorari: Deus vbiq; tamen est alibi atq; alibi, aliter atq; aliter. Et ideò non simili modo, nec decenter vbiq; adoratur Deus. Est enim Deus in latrina (sit honor auribus) est in culina, est taberna, in circo, in prostibulo: nec tamen hæc loca sunt diuino cultui & adorationi externæ cōgrua, sicut sunt ædes sacræ & cubiculum.

Luc.

Luc.

Luc.

biculum. Dixit enim ipse, domus mea domus oratiõis vocabitur:
Matth. 5. & alibi, Intra in cubiculum tuum, & ora. Verùm quodam insigni modo Deus est in carne Christi & sacramento. Nam humanitas illa singulariter est iuncta Deo in hypostasi: vnde, in carne illa ha
Ad Col. bitat plenitudo diuinitatis corporaliter. Et ideò ipse totus Christus Emmanuel in eo sacramẽto, quanquàm inuisibilis secũdùm seipsum, adorandus nobis imprimis offertur, antequàm sumatur: quod qui negauerit, anathema sit & antichristus. Adhæc, quòd etiam dixit, panem & vinum non debere adorari in sacramento, cui hoc dubiũ? cùm non sit ibi panis & vinũ, nec per se essent adorabilia. Deniq; quòd adiecit, nemo certus est an sacerdos cõsecrauerit, nihil obstat debitæ adoratiõi. Cùm enim duplex sit hic adoratio, scilicet exterior atq; interior, absq; errore interior exhibetur: quoniam adoranti fides (vt superius declaratum est) ecclesiæ fidẽ sequitur, quæ fertur in Christum, non vt in hac vel illa hostia contentum, sed vt in hostia ritè consecrata: & sic tacitè semper inest conditio, quam nec exprimere necesse est, videlicet si rectè consecratio facta sit. Exterior verò adoratio, quia non potest recipere conditionem istam, quoniam ipso facto determinatè fertur in hostiam illam certam, si non sit consecrata, adoratio ipsa idololatria est: nec tamen adoranti noxia sed sacerdoti, qui illam irreligiosè proponit vt consecratam. Homo enim qui fidit in sacerdote, & adorat legitimè, excusatur. Hæc ergo, si sciebat Erasmus, malignè fecit iniiciens istos scrupulos imperitis. Si nesciebat, arrogãtiæ nomine censendus est, qui contra ecclesiæ morem tantæ rei se censorem constituit. Sed hæc quantum attinet ad adorationem Christi. Redeo ad virginem.

Lutheri atq; Erasmi doctrina contra excellentiam diuæ Virginis.

NVnc validè laborat, serpens vt eius gloriæ maculas aliquas offundat: & nunquam non inuenit discipulos, qui (quod vehementer admiror) libenter audiãt indecora de matre. Mitto quòd quidam etiam nunc subdubitent de eius innocentia perfecta & præseruatione ab omni labe, quidam verò nimis audacter etiam pernegent: nonnulli quoq; de eius perfecta gloria in corpore & anima, sub quadam specie prudentiæ etiam ambigant, cùm tamen ecclesia in celebribus diuinis officiis, his eius prærogatiuis magnificè attestetur. Videns enim nunc veterator hoc suum

esse tempus, quando potest magisterium suum feliciter exercere, iam multis filijs ad suam partem contra hanc pietatem illectis atq; attractis, non cessat & alia multò fœdiora per os spurcissimo rum suorum doctorum spargere in contumeliam tantæ virginis: quod ad rem propositam attinet. Etenim per os Lutheri in hunc modum effatus est in sermone suo quodam. Sinimus & nos Mariam venerari, ex quo in scripturis tenemur nos inuicem præuenire honore, sicut Paulus ad Rom. cap. xij. dicit. Sed nimis profundè in honorem eius itum est, vt relinqueretur Christus, & obliuio pauperum induceretur. Scriptura non meminit eius natiuitatem, ne corda super ipsam reponantur. Idcircò velim quòd festum eius dimitteretur, quia nihil habetur de ea in scriptura. Item, cùm à Christo dicamur Christiani, vt ab ipso solo pendeamus, & simus filij Dei, & hæredes, sumus æquè tanti quanti est ipsa mater Dei est, & sumus Mariæ sorores & fratres. Alioqui fit imminutio sacro sanguini Iesuchristi: quia per hunc sanguinem omnes expurgati sumus à peccatis, ac positi in cælestia bona. Si hoc ita est, sumus certè æque sancti sicut ipsa. Hæc ille. Post quæ, etiam vituperat Ecclesiam, quòd tantæ virgini hos titulos tribuat: Regina cæli, mater misericordiæ, vita, dulcedo, spes nostra, & alia huiusmodi: & vnumquenque de populo alloquens in suggesto, sic ait. Tua oratio tam mihi chara est quam illius (scilicet) matris Dei. Cur ita? Nam si credis quòd Christus æquè in te sicut in illa habitat, potes æquè bene iuuare me sicut illa: neq; condemnaris etiam si nunquam eam inuocaueris, imò etiam si nunquam eius recordatus fueris. Item addit: Pro aduocata nolumus eam habere, pro intercedente volumus, sicut alios sanctos. Iam locauerunt eam super choros angelorum, & electo filio eius iniuriam fecerunt & imminutionem. Hæc ista furia, semen illius animalis inter omnia abominabilis. At Erasmus alio spiritu, qui in hypocrisi prudentiam ac pietatem simulare conabatur, non adeo immaniter est obloquutus in eam, sed insidiosius, atq; idcirco periculosius. Etenim in libro de modo orandi, Catholici personam induens, & quasi aduersus hæreticos dimicans, primum tanquàm rem expeditam supponit & confessam, virginitatem Beatæ Virginis non euidenter à scripturis doceri posse. Et tamen, inquit, quia magno cõsensu à priscis tradita est per manus, nemo tolerãdũ existimaret, qui asseueraret, illã ædito Domino pòst à viro cognitã fuisse, ac fortasse

Lutherus.

Nota.

Erasmus.

eum qui de hac re ambigeret. Hæc ille, quæ digna sunt omni explosione. Nam quod ait, qui de eius virginitate ambigeret, fortasse non esset tolerandus, notarunt & Hyspani, quòd hoc sub voce dubitationis dixisset, fortasse, ad quos ridiculè, & vt tergiuersator respondet, manifestè commutans verborum suorum sensum. Huc pertinet quod & in paraphrasi, ad obscurandam tantæ virginis puritatem, exposuit de Ioseph & illa, his verbis. Priusquàm connubialis congressus inter eos intercesserat, siue quia nõ est ad libidinem præceps vera probitas, siue quia sic Deus huius negocij ordinem temperabat, deprehensa est grauida &c. Ex quibus verbis satis elicitur, quod animo iam conceperant congressum licet distulerunt illum vel ex sua ipsorum prudentia, vel ex diuina dispensatione. Huc etiam pertinet, quòd fastidit iniquus interpretem, quòd potius Mariam coniugem dixerit quàm vxorem: & Ioseph virum potius quàm maritum: id est, fastidit quòd pudicitius sit loquutus ad obseruantiam virginitatis. Nam vt & ipsum sigillum virginitatis cõtaminaret, induxit in annota. suis ad Lucam Origenem tanquam dicentem Christum in partu virginis portam sibi aperuisse. Addidit & Ambrosium tanquam ab hac sententia nõ abhorrentem, & si illam pugnare dicat cum eo, quod iam pia credulitas omniũ animis infixit, Christum sine sordibus, sine nixu, sine labore parturientis, clauso virginis vtero prodijsse: quæ sanè vt dicta sunt plausibilia nec religiosa, ita certis scripturarum testimonijs probari non possunt. Hæc ille. Adhæc, Angelicam salutationem ausus est vocare amatoriam, & nescio quid procorum præ se ferentem. Et insuper, vt extenuaret virginis gratiam, in hunc modum annotauit. Video theologos quosdam viros alioqui doctos ac pios, quorum est Bernardus, mirè philosophatos in his verbis. Gratia plena, velut hæc peculiariter competant in Mariam, cum nec hoc loco dixerit Lucas gratia plena, Et is sermo multis promiscuè tributus in arcanis literis reperiatur. Neque ista cuiquam videri oportet negligenda. Siquidem vt est elegans in huiusmodi minutijs aptè philosophari, ita fœdum extra rem nugari. hæc ille. Adhæc, quod in magnifico illo cantico de sua humilitatis virtute in spiritu exultans illa testatur, dicens. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, aliò vertit. Negat enim verba illa ad animi virtutem illam, quæ humilitas dicitur, congruè aptari: cũ Græca vox ταπείνωσις magis tenuitatem sortis ac miseriam significet. Addit & rationem: quia non conueniebat eam, quæ sese ancillã Dei humiliter prædicarat, & cœperat

rat magnificare Dominum, mox extollat seipsam, quod virtute sua promeruerit tantam dignitatem. Si enim promeruit (inquit) vbi est gratia, quam prædicat Angelus? Citat deniq; & Theophylactum pro hac sua sententia: cuius certè sensum non intellexit. Verba Theophylacti hæc sunt, vt ipse citat. Virgo plenius edocta, glorificat Deum, illi miraculum adscribens, non sibijpsi. Ille enim (inquit) respexit ad me humilem, non ego ad illum suspexi: ille mei misertus est, non ego illum quæsiui: ex hoc tempore beatam me dicent omnes generationes. Sed quam ob causam beatam me dicent? num propter meam virtutem? nequaquam, Sed quia fecit magnifica is qui potens est &c. Ex his ergo Theophylacti verbis elicit, quod Maria non prædicauit virtutem humilitatis propriam, sed solummodò Dei gratiam & misericordiã: de qua re mox videbimus. Adhæc, multis in locis post Lutherum, etiam ipse insectatus est titulos, quibus gloriosa Virgo ab ecclesia celebratur, salutatur, & honoratur: vt, Regina cœli, Stella maris, Domina mundi, Ianua Paradisi, Spes, vita, & Dulcedo nostra, portus salutis: & huiusmodi alia, quæ Propheta videns in spiritu & admiratus dixit, Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei, & ipsa, pro ijs exultans in spiritu, præ se tulit dicens. Quia fecit mihi magna qui potens est. Et in suo Ecclesiaste contendit, non conuenire in exordio prædicationum salutare virginem, tum quod maiore religione inuocetur virgo quàm Christus, tum quod simpliciter salutatur & nihil ab ea petitur, tum quod hoc præter autoritatem fiat scripturæ, cùm B. Iacobus dicat, Qui indiget sapientia postulet à Deo. Item præter veterum exemplũ, quod magis oportuit imitari quàm istos (inquit) nescio quos, qui haud scio an blandientes sexui fœmineo, perperam imitati poëtas ethnicos, pro musa substituerunt virginem Matrem &c. Deniq; id ineptius fieri, ait quotiens argumentum non congruit personæ virginis, puta si quis expositurus sit libidinis species, aut quot modis perditur virginitas. Reprehendit etiam isto nomine ecclesiam, quod malè attribuerit B. Virgini in diuino officio quæ conueniunt sapientiæ diuinæ Christo, vt est illud. Ab initio & ante sæcula creata sum, & alia plura huiusmodi, quibus argutiunculis, quoniam imperiti & malè cauti facilè decipiuntur, Apologiam pro veritate texens, ordine ad omnes huius perfidi blasphemias respondebo. Nam quæ Lutherus de sua fece euomuit, simul ex his quæ in istũ dicemus confutabuntur. Vnum enim hi spiritus moliuntur, quoniam caudas habent colligatas: quanquam aliter & aliter.

Nota ut eleganter loquitur Diabolus Gabrieli inimicus.

Resolutio

Resolutio cauillationum Erasmi & argutiarum, contra honorem ac dignitatem Virginis.

Pro eximia uirginitate Mariæ.

PRimo igitur non dubitamus euidenter elici de scripturis non solum uirginitatem, sed eximiam Mariæ uirginitatem, cum scriptum sit. Ecce Virgo concipiet &c. Sed & ad hoc respondet hic homo, sicut Iudæi perfidi, quòd apud Isaiam legitur Alma, que vox (inquit) ætatis est, non integritatis: vnde & ausus est contra Euangelistam censere arrogantissimus hominum, quòd hunc locum ad suum negocium detorserit. Sugillat & Hieronymum, quod Latinis almum etiam sanctũ dixerit significare, quòd id ioco verius quàm serio sit loquutus. Quid hîc agas cum tanto censore? Etiam Donatum Hieronymi magistrum non veritus esset reprehendere, qui lucem almam, illustrem exposuit & claram. At hoc sanctum dicitur, quod immaculatum est & illustre. Illud profecto certissimum, quod falsissimè pronũciat eam vocem, Alma, non esse integritatis, cũ in uniuersa scriptura, vt rectè notat Hieronymus, non nisi virginibus tribuatur: quanquàm non simpliciter virginem, sed etiam eam quæ puella sit significet, & quidem absconditam viris, vt verè dixerit esse vocem ætatis, sed mendaciter addiderit, nõ integritatis, & contra Græcam Euangelij lectionem, vbi legimus, ἰδοὺ παρθένος. Nec ipse potest excusare, quòd Matthæus Hebraicè scripserit, cum hoc ipse neget. Nobis autẽ satis est, quòd interpres Matthæi Græcus creditur Lucas, aut alius quidam magnæ & irrefragabilis autoritatis. Nam & ipse Lucas in suo euangelio manifestè Virginem, & propter articulum, Virginem insignem vocat. Et in Symbolo, vt articulus fidei traditur, Christus ex Maria virgine carnem accepisse. ἐκ Μαρίας τῆς παρθένου. Sed ait hic homo, si modo dignus est hoc honore vt vocetur homo quod organum Dæmonis fuit: ait inquam, non esse certum de scripturis, an illa post partum seruarit virginitatem. Quid est ergo quod illa dixit, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Vanissimè enim hoc dixisset, nisi proposito ac voto firmasset virginitatem, vt Augustinus & Thomas elegãter notarunt. Sed ad hoc ausus est horrendissime respõdere, quoniam non statim proposito respondet euentus, Ergo mẽdax inueniretur Angelus ipse, qui propositum ac votum non fore violandum

Nota pie lector Erasmi impietates.

Nota.

landum pronunciauit,dicens,Spiritus sanctus superueniet in te. Hem quò redigimur per istas bestias penè reuocare in dubium fi dei fundamenta.Non enim absolutè non tolerandum, sed fortas se(inquit)non tolerandum,qui perpetuam eius negaret virginitatem.Et hoc dixit,tanquam contra hæreticos dimicans.O strenuum bellatorem,O zelatorem veritatis ardentem.

Quòd verò sigillum etiam virginitatis Mariæ contaminans temerè in eam sentẽtiam trahere usus sit,Origenem & Ambrosium,pro sua impietate id ausus est atque impudentia.Cùm Ambrosius in lib.de insti.virg.manifeste doceat vterũ virginis clausum semper mansisse iuxta Ezechielis vaticinium,nec aliud apud Lucam dixit.Nam ibi voluit solùm Dominũ aperuisse vuluam singulari quodam modo, vt immaculatus exiret, hoc est, neque tangens neq; frangens virginale claustrum, sic alibi dicitur quòd penetrauit omnes cœlos,& quòd illi aperti sunt cœli,non quòd discissi aut violati fuerunt. Et in hunc sensum loquutus est Origenes.Non tamen hîc probo aut disputo,an sit hic intellectus verus: sed de sensu eorum qui nec latuit Erasmum,vt etiam tandem fassus est.Quare nõ oportebat hæc sine causa inducere plena scãdali & offendiculi.Nã quis adeò rationis expers putat natale Domini,quod gaudiũ attulit vniuerso mũdo, soli matri fuisse onerosum,aut laboriosum, aut dolorosum? Testatur enim Ambrosius proditum literis,quod nec ipsi Iudæi inficiabãtur,illum Dominici natalis diem fuisse omnium serenissimum, nec sine spiritu docente canit ecclesia,tunc mellifluos factos fuisse cœlos. Quid mirum,cùm & in morte dederint etiam ipsi cœli & elemẽta,tam admiranda tristitiæ signa? Nec putandum est hæc in scripturis non fuisse prædicta. Nam apud Isaiam de illa, vt puto,legitur, Germinans germinabit & exultabit lætabunda & laudans.Ezechiel etiam,quid aliud respexit cum de porta clausa loquutus est, Non transibit per eam vir; nisi sicut est expositio sanctorum, hanc benedictã virginẽ,cuius puritatem etiã Angeli admirãtur?

Pro partu Virginis castißimo.

Hebr.4.
Matth.4.

Quòd verò salutationem angelicam ,amatoriam, & nescio quid procorum præ se ferentem, dixit, de thesauro cordis sui hoc protulit.Quid enim poterat aliud Epicuri de grege porcus, nisi quod verè porcorum erat, pedibus conculcare margaritas? Nec illum Theophylacti & alterius cuiusdam Græci defendit exemplo,qui videntur ferè talia dixisse.Si enim rectè verba pensentur,longe absunt ab huius dicti spurcitia. Quilibet enim illorum,ipsam salutationem diuinum quoddam personare dixit. Et

Pro salutatione Angeli pudicißima.

Ambrosius & Origenes nusquam lectam, nunquam compertam talem salutationē testati sunt, vtpotè quæ soli Mariæ seruabatur. Quòd etiam suis dicterijs Bernardum, & alios irrideat, qui gratiæ plenitudinem in Virgine extulerunt, eò quòd Angelus dixerit, κεχαριτωμένη, quæ vox non est id quod gratia plena, sed id quod gratiosa, magnopere admiratus sum: cum Origenes, & Hieronymus & Ambrosius & Theophylactus, etiā suo Oecolāpadio interprete, sic legant, & sic interpretētur, videlicet gratia plena. Et addunt nō reperiri alibi hoc salutatiōis genus, sed soli Mariæ seruatū vt excellens & singulare. Quin ipsemet Erasmus testatur, quòd illa vox κεχαριτωμένη, qua & apud Homerum patroclum Achilles appellat, singulariter gratiosam significat. Esse autem vnicè charam & gratiosam, quidnam est aliud quàm esse gratia plenā? Non ergo frustra philosophati sunt, ac longè minus nugati sacri doctores super hoc verbo, vt istæ prophanus contumeliosè obiectat. Licet autem & alios in sacris literis legamus plenos gratia, non tamen ad eandem mensuram id accipimus, vt Bernardus eleganter docet, qui & huic occurrit argumento sic aiens. Legimus Stephanum plenū gratia, & Apostolos, sed lōgè dissimiliter à Maria. Nec enim nouum est eundem sermonem pluribus tribui, ac pro personarū tamen differentia, in alio intēsius, in alio remissius intelligi. Nam idem Angelus & Ioannem & Christū magnū fore prædicauit. An igitur non licebit philosophari circa magnitudinē vtriusq;, quòd aliter intelligatur in Christo sponso & Domino, aliter in seruo & amico? & qui hoc fecerit nugabitur? ita certè, si nugatoris huius iudicio assentimur.

Nota.

Pro humilitate Virg. in cātico humiliter prædicata ad illa.

Quòd itē ait in eius cantico nō intelligi per humilitatem, virtutem illam quæ maximè Christianis cognita est & prædicatur, quasi Græca vox repugnet, falsissimum est. Nam ipsemet confitetur ταπείνωσιν, etiam in hāc significationem vsurpari. Et dominus dixit. Discite à me quia mitis sum & humilis corde, vbi legitur Græcè ταπεινὸς id est humilis. Sed ait, non conueniebat vt ipsa se ipsam prædicaret & efferret: omnino verū, nisi humiliter & in spiritu id fecisset: quia licet nobis in Domino gloriari, vt ait Paulus, qui & alibi ait: Si voluero gloriari non ero insipiens, verùm enim dicam. Lege illius epistolæ bonam partem, quam in sui laudibus occupat, Et ad Galatas, & penè vbiq; preterquàm ad Hebræos. Lege & in Actis Apostolorum quomodo ait patribus. Vos scitis à prima die qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim seruiens Domino cum omni humilitate, & lachrymis

lachrymis,& tentationibus &c.Et ait:Imitatores mei estote,sicut & ego Christi.Et vt altius ascendam:nonne qui venerat præbere humilitatis exemplum,ipse primum se humilem prædicat,dicẽs. Discite à me,quia mitis sum & humilis corde? Si non conuenit omnino vnquam suas prædicare virtutes,cur id agat Dominus? cur idem & magister gẽtium? Quòd si in loco liceat,quùm id fit sobriè & in Domino,cur nõ licuerit Virgini? Verùm arguit,si virtus eius humilitatis respecta est,ergo promeruit tãtam dignitatẽ: si promeruit,vbi gratia? O miserum. Imò quia gratia aderat,ideo promeruit.Et hoc est quod illa dixit.Respexit,idest,oculo gratiæ adiuuit.Nullus enim promereri quicquam potest suæ virtutis valore,nisi virtus illa gratiosè respiciatur à Deo.Nam meritum coram Deo,à gratia est.Quod si obedientiæ datum est semen benedictum,quia enim fecisti hanc rem per memetipsum iuraui ait dominus &c.cur id quæso etiam datum non sit humilitati Virginis, aut humiliationi potius,quæ est actus virtutis eius,vt exaltaretur iuxta legem à Deo datã,qui se humiliat exaltabitur? Et(obsecro) quis est ille sensus quem præferunt,quòd Deus paruitatem & exiguitatem virginis respexerit? Deo enim omnia parua:& comparatione virginis,siue gratiam siue naturam inspexeris,omnia minora erant illa in hoc mundo,si igitur talem paruitatem respiceret Dominus,innumerabiles illi creaturæ prælatæ fuissent. Adhæc Origenes hunc locum eodem modo exponit,sic & Hieronymus accipit,& Ambrosius:qui etiam Græcè fuerunt periti. Scio quòd excipit de Origene Erasmus quòd illæ homiliæ,quæ sub nomine Origenis habẽtur,nõ sunt eius. Quid hic agas cũ tantæ autoritatis viro,qui quodlibet mutat vt libet? At ipsemet nonnũquã etiã de homilijs illis,quasi Origenis,aut grauis cuiuspiã autoris nonnulla citat,si quid inde possit excerpere contra Virginem, semper aduersus eã studiosus atq; argutus. Neq; verba tamẽ,quæ ex Theophylacto producit,adiuuant hominis impietatẽ,si sanè intelligantur.Primum enim ait,quòd illa miraculũ Deo ascribit, non sibijpsi. Quis cõtrà dicit? Deinde ait,quod Deus respexit ad illã,non illa suspexit ad Deum. Quid hoc est? Si non suspexit ad Deum Maria,quis ergo vnquàm suspexit? Nunquid nõ erat plena fide,& spe,& charitate,vt posset ad eum suspicere? Si Psaltes ait:Ad te leuaui oculos meos,hoc non poterat verius virgo dicere? Tertiò adiecit,quòd Maria non quæsiuit illum,quod si prorsus verum sit,non ergo obtemperauit scripturæ dicenti:Quærite illum & confirmamini: Quærite faciem eius semper. Et iterum.

1.Cor.

Matth.

Gen.

Luc.

rum. Quærite eum dum inueniri potest. Quòd si hæc stare non possunt, & manifestè sunt falsa, sic temerè accepta: quærēdus erat sensus qui habeat veritatem. Hic est ergo proculdubio verus sensus: quòd Beatā Virgo non suspexit ad Deum, id est, non altè ac superbè, videlicet optando aut cogitando sibi tantam dignitatem: sed contrà, Deus ad hanc cordis eius humilitatem respiciēs, cogitauit pro illa. Non enim alta sentiebat de seipsa, propter summam suiipsius notitiam: quia omnis homo quàmuis gratiosus, ex se tamen nihil est: & omnis gratia eius in manu Dei est, ideò non debet in aliquo sese extollere, sed dare gloriam Deo, & reputare se indignum omni dono. Hoc illa fecit, & propterea Deo placuit: & hoc est quòd Deus in illam respexit. Sic enim ait Theophylactus in eius persona, ille me humilem respexit. Et benè sequitur. Non illum quæsiui, videlicet, vt esset mihi filius, & tantum mihi donum conferret, à quo quàm longissimè me distare sentiebam. Et verè non ob ejus virtutem vllam aut meritum quòd esset ex proprijs, dicenda est beata. Gratia enim est quæ facit merita, coniuncta tamen arbitrio libero, quod per illam sanatum, operatur. Non enim sumus velut insensati trunci (vt volunt Lutherani) vt merè passiuè habeamus nosmetipsos in operibus nostris. Non ergo Theophylacti verba, vt prima facie sonant, sic sunt intelligenda, quòd Maria non suspexerit ad Deū, aut non quæsierit illum, cum nullus vnquam magis suspexerit, nullus vnquàm magis quæsierit Deum quàm illa: sed intelligūtur sic iuxta subiectam materiam, id est neq; suspexit, neq; quesiuit tantam dignitatē & excellentiā, idq; ob humilitatem eius, quam idcirco respexit Dominus. Et hæc sunt verissima & certissimæ fidei ac pietatis: quicquid vel Eras. dixerit, vel senserit Theophil.

Pro titulis quos tribuit Ecclesia B. Virg. quod sint cōuenientissimi si sobriè capiunt et nō calumniosè.

Quæ verò aduersus titulos, qui conuenientissime ab ecclesia matri Dei tribuuntur euomuit, hypocritam facilè manifestant. Aegrè enim se simulat ferre, quasi homo plenus pietate, quòd illos honoris titulos, qui Christo conueniant matri atribuantur, vt spes nostra, & vita: ipse enim Christus (inquit) est nobis Cynosura & helice (sic enim ethnicè loquutus est vt sapiens videretur,) Et nos fatemur, quia ipse est vita nostra, & via, & veritas, & spes, & dulcedo, & quicquid boni tandem. Attamen hæc insignia, quæ sibi insigniter conueniunt, communicauit & matri & amicis suis. Ipse qui de se dixit, ego sum lux mundi, suis dixit discipulis. Vos estis lux mundi. Ipse fons vitæ nuncupatur, & ipse: tamen ait, Qui biberit ex hac aqua, fiet in illo fons

aquæ

aquæ salientis in vitam æternam. Et iterum. Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Quid moror? Si suis cõmunicauit illa excelsa sua nomina, vt Dij, & Domini, & Christi, & Petræ dicerentur, quæ hæc tandem huius hypocritæ censura? vt velit minus illa conuenire matri, quia eximiè conueniant Christo? non enim ecclesia quæ veritatem amat, proponit nobis Virginem æquali dignam veneratione cum filio: Sed sub illo, ac propter illum, honorat, ob eximiam eius apud illum gratiam: vt latè patet in ritu ecclesiastico, secundùm quem illam adimus, vt aduocatam apud filium, & mediatricem atq; interpellatricẽ pro nobis, quos vt filios genuit in cruce filij, vbi fuit assignata & mater nostra. Quòd verò ait neq; id cõuenire Christo, in eo quòd homo erat, vt fons omnis gratiæ dicatur, iuxta impietatem suam loquitur. Nam Christus nõ ad mensuram accepit spiritum, ex cuius plenitudine omnes accepimus. Quid ergo prohibet illũ dici fontem totius gratiæ? An quia ipse non ex se habeat in eo quòd homo, sed a Deo? At hac ratione neq; secũdum quòd erat Deus esset fons omnis gratiæ, quia filius quicquid habet, a patre habet. Et non intellexit homo infelix, quòd esset fons de fonte, sicut lux de luce. Deniq; ad Virginem redeuntes, audiat pius Ictor Bernardum potius, quàm semen istud sceleratum: qui cùm plurima de hac virgine passim & plenus spiritu effunderet gloriosa, quodam loco tandem sic ait: Tolle corpus hoc solare quod illuminat mundum, vbi dies? Tolle Mariam hanc maris stellam, maris vtiq; magni ac spaciosi, quid nisi caligo inuoluens, & vmbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquentur? Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorũ affectibus, & votis omnibus, Mariam hanc veneremur: quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam. Ad Patrem verebaris accedere solo auditu territus, ad folia fugiebas. Iesum dedit tibi mediatorem, qui exaudietur pro sua reuerentia: aduocatum habere vis & ad ipsum, ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, nõ modò pura ab omni contaminatione, sed & pura singularitate naturæ, nec dubius dixerim, exaudietur et ipsa pro sua reuerẽtia. Filioli, hæc peccatorũ scala, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio spei meæ potest ne filius aut repellere aut sustinere repulsam & nõ audire aut nõ audiri filius potest? hæc Barnardus. Quid hic dicat hæreticus? Bernardus virginẽ maximam suam fiduciam, & totã suæ spei rationẽ dixit, nunquid ideo iniuriã fecit Christo? Absit. Sed ipsemet quod erat filij filio tribuit, & quod est matris

Bernardus.

matri,cui quicquid tribuitur,in gloriam Christi cedit & Dei,qui fecit illi magna qui potens est,quia sanctum nomen eius.Nam sicut qui non honorificat patrem non honorificat filium:ita & qui non honorificant matrem, nec filium honorificant, cum matris omnis honor sit filij.Illud porrò calumniosum est,reprehendere ecclesiam,quòd Mariæ tribuat in diuinis,quæ sunt propria Christo,vt cum in eius solẽnitate legitur.Ab initio & ante sæcula creata sum.Non enim ea mens est Ecclesiæ, vt ea quæ de Christo dicuntur,attribuat Matri, sed vt quæ Christo propriè tribuuntur etiam de Christo intelligantur,sic tamen: vt inde colligamus gloriam matris.Et nihilominus quod illic sapientia subiungit,Et sic in Sion firmata sum,& in ciuitate sanctificata similiter requieui, ad matrem pertinet. Sion enim Mariam significat,quæ verè fuit arx & ciuitas Dauid sublimis, & sanctificata : in qua formatus Christus inhabitauit,Sicut & præscriptũ fuit.Nunquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus,de qua meritò dicta sunt gloriosa. Quare & falsò dicit hic Anticomarita,à quodam Diabolo qui illius loci mysterio vrebatur,instructus,non conuenire Virgini,quod in Apoc.legitur.Et signum magnum factum est in cœlo,sed ecclesiæ:quasi virgo nõ sit principalissima & maxima,quia,propinquissima capiti corporis Christi pars,quod est ecclesia.O putidos homines. At nunc videamus tandem rationes quibus mouetur, vt suadeat in exordio prædicationum non esse salutandam Virginem.Primũ enim quod inquit,quòd maiore religiõe inuocatur Virgo,quàm Christus:calumnia est manifesta.Quòd etiam addit,nihil peti ab illa, purum mendacium est:cum in ea salutatione oretur, vt oret filiũ pro nobis.Item falsum id fieri præter exẽplũ scripturæ,& imperitè effusum est.Nam Angelus Gabriel primus ac summus Euangelista,& annunciator mysterij,non prius euangelizauit ipsi Virgini,quàm ipsam salutasset.Vnde tanti Angeli exemplo & autoritate,ob spiritum Christi sic inspirantem ecclesiam, credibile est hunc morem exortum esse,& commẽdabilem,& omni acceptione dignum.Concionator enim quasi Angelus Dei est: & cui annũtiat ille,ecclesia Christi est:nec est nouus in ecclesia,sed iam aliquot seruatus sæculis,iste mos.Quòd aũt putat inductũ fuisse ad blandiẽdũ fœmineo sexui,aut acceptũ fuisse ab Ethnicis, vt loco musæ inuocetur Diua Virgo, fictio Erasmica est, impostura est. Tale quid enim in colloquijs effutiuit,videlicet quòd à nautis inuocaretur loco Veneris.Sed ait petẽdã à Deo sapientiã esse quasi

Nota.

verò

verò nō à Deo petat, qui per Virginē petit, plerūq; etiā efficacius: quia maior est reuerētia Dei in hoc facto, qn̄ illius gratia & amore, suam dilectissimam & filiam, & matrem, & sponsam veneramur. Deniq; quod adiecit, ineptè inuocari Virginem, quando argumentum non conuenit Virginis moribus ac virtutibus: vt quādo dicendum esset de vitio lasciuiæ, aut superbiæ, verè ineptissimum est. Non enim in laudem vitiorum dicit Ecclesiastes, sed in vituperium. Et non ignorare vitia non reprehenditur, sed diligere & facere. Itaq; sic adiuuare potest. B. Virgo nos, quum exprobramus vitia, sicut quum laudamus virtutes. Alioqui in huiusmodi argumentis, quem rogo inuocare debemus? Christum (inquit) aut Spiritum Sanctum. Quasi verò Christo, & Spiritui Sancto magis conueniat id argumēti? Sed iam tædet in his, adeò friuolis, immorari. Vnum tamen non prætermittam. Ait enim serò repertam a quibusdam rationē, qua mater Dei dici posset fons omniū gratiarum, quia genuit Christum fontē omnis gratiæ. Hic nobis, opinor, occinent ex Aristotele, propter quod vnum quodq; tale, & illud magis tale. Vocemus igitur Aristotelis patrem summum philosophum, quia genuit summū philosophum. Hec ille. Quid autem hoc homine ineptius & ridiculosius apud cordatos viros? non enim nos sic arguimus. Ideò Christus est fons omnis gratiæ: quia mater sit fons omnis gratiæ. Tunc enim procederet ex regula philosophi, ergo magis mater fons omnis gratiæ: sed ecōuerso dicimus. Ideò mater est fons omnis gratiæ, quia ipse filius est fons omnis gratiæ, qui fons immediatè in illam redūdat: ex quo benè sequitur, quòd ille magis est fons omnis gratiæ. Ecce quomodo suamet argutia volens argutari & calumniari, & illudere, semetipsum elusit. Et ita plerunq; accidit his, qui quæ nequeūt capere, tamen audent etiam carpere. Porrò ad illam impiam vocem, qua dixit, matrem Dei vix lego in sacris literis, Quid aliud dicam, nisi quòd à semetipso hoc non dixit, sed à spiritu mendacij, à spiritu erroris: cui obiectandum est, increpet in te Dominus Satan, & increpet in te qui elegit Ierusalē. Alia quoq; multa sparsim in suis libris, contra tantæ Virginis eximias virtutes, & prærogatiuas adiecit. Vt enim eam tam in vtero, quàm extra vterum, & in terra & in cælis existentem, ore illo fœtido & canino dēte fœdaret, sæpius contra eius immaculatam conceptionem disseruit: quam vocat genealogiam interminatam, quam apostolus præcipit deuitari, quamuis in quadam eius lucubratione, quam Pæan Virginis nūcupauit, illam prorsus ab omni labe culpæ immunē asserat. Sed audi

Nota Erasmi uerbū in declar. ad Sorb.

Zach. 3.

audi dolum, Hic versutus in cathalogo operum suorum, quę ipse met composuit, palam confitetur, quòd ea quæ in laudem Diuæ Virginis expressit in suo Pæan, non protulit de proprio, sed de vulgi sensu: Et nihilominus ita se per illa interdum defendit versipellis tanquam & de proprio sensu protulisset. Adhæc, festũ cõceptionis eius, ac natiuitatis, & alia quæ in eius honorem & gloriam celebrat Ecclesia, aboleri vellet: Vitam eius omnino puram fuisse, vix vnquam confitetur. De eius item assumptione in cœlũ cum corpore dubitans, cum Leo disputat: & partem, quæ sensui ac celebritati ecclesiarum contradicit, conatur defendere. Arrogantissimè quoque asserit, non haberi hæc in scripturis, quasi ipse omnem scripturarum intelligentiam haberet in promptu, sic audacissimè pronunciabat de quolibet, hoc non habetur in scripturis. Verùm quantò prudentius ac magis piè, si ecclesiæ sensum ac morem simpliciter fuisset sequutus. Nos autem de. D. Virginis huius conceptione, item de assumptione in cœlũ in perfecta animæ & corporis gloria, alibi disputauimus.

Vide in sua Apol. in Albertũ pium.

In libro de amabili ecclesiæ cõcordia.

Pro excellentia Angelorum.

Est catholica veritas spiritualem creaturam, quam dicimus Angelicam, natura præstantiorem esse quàm humanam. Itaq; & illos, imò illos magis, quàm nos homines creatos fuisse propter Deum, & suam ipsorum felicitatem. ad quorum nos societatem prouecti sumus, vt consortes simus eiusdem gloriæ, & conciues eiusdem patriæ, per Iesum Christum, iuxta quod ille dixit: Erunt sicut Angeli Dei. At hic homo, verborum effusor, in paraphrasibus suis contra hanc beatorum spirituum præstantiam, in hunc modùm scripsit: Terra, aqua, aër, ipsa corpora cœlestia, denique ipsi Angeli, non in aliud condita sunt, nisi vt hominum necessitatibus obseruiant. Hæc ille. De quo dicto cum illum notasset Beda, quod ad Angelos attinet, primum sese excusauit tropi præsidio: sicut de ebrioso dicitur, nihil aliud agit quàm potat, pro eo quòd illud super omnia curet. Verũ nec sic rectè defenditur: non enim ob hoc maximè creati sunt Angeli, videlicet, propter hominum custodiam atq; salutem: sed imprimis propter Deum, vt & ipso Deo ipsi fruantur velut summæ creaturæ, qui ad naturã Dei magis accedunt. Vnde egregiè Augustinus aliquãdo dixit: Duo Domine creasti ab initio, vnum prope te, videlicet angelicã creaturam,

Erasmus in Bedam.

In lib. cõfess.

turam, Alterum prope nihil, hoc est materiam primam. Itaq; nō potest tropo defendi sermo ille. Adde quod importunè atq; ineptè paraphrastes tropo vtitur, ad quem pertinet rem dilucidè explanare. Præterea, cum respectu creatarum quas enumerat rerum, sententia illa sua sit vera absque tropi præsidio; videlicet, quòd omnia, præter Angelos, propter hominem condita sunt, minime congruebat vnam eius sententiæ particulam duntaxat indigere tropo. Verùm pergit etiam defendere, volens Angelos solum causa hominum conditos, quia Paulus vocat eos administratorios spiritus, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Sed nunquid consequitur, ministrant pro nobis, ergo propter nos tantum conditi sunt? Igitur Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, qui fuerunt ministri pro nobis & propter nos, vt ait Paulus, etiam propter nos conditi inuenientur: iuxta istam doctrinam. Sed pergit etiam negans Deum propter seipsum creasse angelos, quia ipse non indiget Angelis. Errauit ergo scriptura quæ dicit: vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, &, omnia seruiunt tibi. Imò Erasmus errauit, existimans de ratione finis esse indigentiam, quod est falsissimum. Adiecit: Potest Rex amicum in ministerium alterius designare, qui sit ipso dignior, fatemur. At non hinc sequitur, quod propter illum tantum sit conditus. Alioquin indignum & peruersum, imò & perplexum, id quod est dignius, esse propter id quod esset indignius, & solum ad ministrandum illi indigniori conditum. Nam teste Domino, minor est qui ministrat, quàm is cui ministratur. Etiam pergit, non minus imperitè quàm proteruè, & ait. Vt hoc sit verum apud philosophos, finem potiorem esse ijs quæ propter illum adhibentur, nos hîc de rebus à Deo conditis agimus, in quibus non recipimus philosophorum autoritatem. O senem pernitiosè delirum, vbi de rerum naturis agitur philosophorum autoritatem reijcere, cum naturalis ratio illorum sententijs fauet, sicut est in proposito, nonne stolidi est? Quis enim sani capitis cogitare valeat, quod est propter aliud, dignius esse illo propter quod est? Christus hanc nobis philosophorum regulam comprobans, per eam suadet hominis animam cibo esse præstantiorem, & corpus dignius esse vestimento: videlicet quia propter animā cibus est, & propter corpus vestimentū: & vt suaderet sabbatum relinquendum, vbi ageretur de vita hominis, similiter argumētatus est, quòd sabbatum propter hominē erat, non propter sabbatum homo. Etiam nō quiescit argutator.

Prouer. 16. Psalm. 118. Matth. 6.

H Addit

Addit enim, hamus aureus propter piscẽ est, quo tamẽ est pretiosior. Quo in loco maximè optarem pisces ipsos posse intelligere, vt responderent insipienti, profectò clamarent, O Erasme stupide, minimè verò propter nos est hamus, sed aduersum nos, vt incautos capiat, atq; perdat. Sed nec adhuc quiescit molestus, inquiens, Christus propter homines homo factus est, qui tamen omnibus est dignior hominibus &c. Et hic aberrat, quoniã nõ sumus nos finis quãobrẽ sit Christus, sed ipse Christus finis nostri, & omniũ, per quẽ omnia, & propter quẽ omnia, vt ait scriptura, cũ viri caput sit ipse Christus. Nec desinit tamẽ adhuc instare infelix. Ait enim, cibus est propter hominẽ, & tamen Eucharistia est potior homine &c. Et hic vide vt decipitur miser, cibus enim corporalis, est propter hominẽ, & homo dignior est illo: Spiritualis verò cibus dignior homine est: & ideò propter illũ est homo Qua de causa dixit Dominus: *Sicut misit me viuens pater, & ego*
Io. 6. *viuo propter patrẽ: & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Vnde & cibus carnis transmutatur in substantiam nostram: cibus autem spiritus, potius nos transmutat in se, sicut dictum est Augustino à Domino.

Est Hieronymi sententia in plurimis locis, nefas esse arbitrari vllum hominem præter Christum & virginem, superare in gloria omnes angelos. At hic noster sapiẽs, probabile (inquit) est, præter Christum &. B. Virginem, etiam Ioannem baptistam, & complures homines præstare omnibus Angelis. Et in suo Ecclesiaste iactans verba in ventũ, dixit, plus est esse Euangelistã, quàm angelũ. Angelus tantum nunciat, nunciãtur autẽ & mala. Euangelista autem læta, & pacifica nunciat. At nos libentius audimus Hieronymum, imò ipsam ecclesiam, quæ de sola Virgine post Christum, id nobis concinit, tãquàm speciale priuilegium, quod exaltata sit super omnes angelos ad cælestia regna. Et in litanijs, ipsi angeli omnibus præferuntur hominibus post Virginem: sic & in solennitate omnium sanctorum. Et certè, (ni nobismetipsis falsò blandiamur) ratio ipsa huic sententiæ valdè fauet, cùm sint ipsi præstantiores natura, & valdè satis fuerit nostro generi habere duos, virum & mulierem, qui facilè illos præcellant ob propinquitatem diuinitati. Porrò, quòd etiam quemuis Euangelistam angelis digniorem faciat, ridiculum est: & falsum sumit cùm ait: Euangelista non nisi læta nunciat, Eius enim est nuntiare (sicut ait Paulus) reuelari in euangelio iram Dei de cælo in omnem animam operantis malum &c. Præterea,

nihil

nihil nuntiat Euangelista, quod prius ab Angelis nunciatum nõ sit. Hæc si viueret Erasmus, opinor excusaret, quòd in modũ rhetoris declamabat: sicut excusat, quòd nuptias aliquando prætulit virginitati, sed res diuinæ hæc mendacia, quas ipse declamationes appellat, abominantur.

De ueneratione reliquiarum sanctorum.

ANtiquissimi moris fuit, & proculdubiò sub ipsis Apostolis constituti, sanctorũ custodire reliquias, atque exhibere populis venerandas. Sed inuidia Diaboli, qua succenditur ob hunc honorem hominibus propter Christum impensum, persuadere nititur, hanc rem velut inanem, ac indecẽtem esse, imò etiam idololatriæ crimen. Quare qui eius vocem audierunt, multorũ sanctorum reliquias, comburere, conculcare, vel eò proijcere, quod turpe est dicere, non exhorruerunt. Adiuuit autem, si non etiam mouit, hunc furorem Erasmus, suo sermone serpens vt cancer: non enim statim virus indicat, sed primum criminationẽ mouet in multos, qui falsas pro veris fingunt atq; ostendunt populis reliquias vt venerentur: quo in loco fabulas quasdam attexit, quæ, præterquã quod incredibiles sunt sua impietate, certè non minus ex hoc, quòd ab homine fabuloso, & mẽdaci, & impio referũtur. Nec tamẽ quisquã ecclesiasticorũ defendit huiusmodi cõfictores reliquiarũ, aut eos, qui tametsi veras ostẽtẽt, lucri tamẽ ac quæstus gratia tãtum, id agũt. Sunt enim hæc, sacrilegia, quæ sacri canones etiã prohibẽt. At illud, in quod iste miser nonũquã prorũpit, etiã negãs veris sanctorũ reliquijs deberi honorẽ, omnino hæresim Vigilãtij dãnatã, & eundẽ spiritũ sapit. Destomachatur enim homo delicatus, imò vir superbus, quòd soleæ & putres calcei (vt suis verbis eloquar) & subligaria, & sordida linteola, & strophiola lacera, ac mucci vestigia seruantia, fortassis & sudoris axillaris aut pudẽdorum, & quæ tandem nullũ habeant vitæ vestigium, etiam osculi veneratione colãtur. Sed quid aliud obsecro, aut quid amplius Vigilantius ille aiebat, contra quem tamen eleganter Hieronymus respondet, his verbis. Quomodo in vilissimo puluere & fauilla tanta sit signorum virtutumq; præsentia? Sentio sentio infelicissime hominum quid doleas, quid timeas, spiritus iste tuus immundus, qui hæc te cogit scribere, sæpe hoc vilissimo tortus est puluere, imò hodie torquetur: & qui in te pla-

Hæc scripsit ad Sorb. & Piũ, & alibi.

Nota.

gas dissimulat in cæteris, confitetur. Hæc ille. Ego quoq; nūc Erasmum, qui negat ijs reliquijs sanctorum, in quibus nullum sit vitæ vestigium venerationem deberi, si viueret simili modo interpellarem. Miserrime hominū, an in fimb ijs vestimentorum Iesu aut in vmbra Petri, aut in sudarijs & semicinthijs Pauli vllū erat vitæ vestigium? Et tamen quantæ inde virtutes? quanta prodigia? non produco, quæ de historijs habentur penè innumera. Mitto quæ narrat mirabilia & tremenda. B. Grogorius de B. Laurentij reliquijs, & de cathenis Petri & Pauli, legat qui volet eum in epistolis, & in illa præsertim quæ ad reginam Lōgobardorum. Nam assiduè per hæc fiunt signa in ecclesijs Christi. Sed affero scripturas, quibus solis habere fidē volunt. Quid ad hæc respondebunt, quæ de sudariolis Pauli & semicinthijs attulimus? nec verò reliquiarum conseruatio & veneratio nata est hodie, sed ab initio, vt rectè de scripturis accipitur, & Hieronymus eleganter probat, in exordijs ipsius nascentis ecclesiæ, cura ista & sollicitudo reliquiarū incepit. Ob hoc enim curatū ac diligēter seruatū Stephani corpus à viris pijs, atq; item aliud Ioannis à suis discipulis sacræ literæ contestantur. Et historia Ecclesiastica Polycarpi martyrium dedicatum fuisse palam testatur: qui tamen discipulus fuit Ioannis Apostoli. Ostēditur & expressa Christi imago in sudario vsq; in hunc diem, quæ ad hoc ab initio accepta fuit ac seruata, prouidentia Dei, vt multipharium verum fieret quod ipse dixit: Ego vobiscum sum vsq; ad consummationem sæculi: & discipulis ait: Capilli capitis vestri numerati sunt. Caietanus autem, quia scriptum est, quòd viri religiosi curarunt Stephani corpus & sepelierunt: hinc apparet (inquit) non incepisse solennitates martyrum in primitiua ecclesia illa. Bone & immortalis Deus, quid ista collectione futilius? At ex hoc ipso oppositum Hieronymus elicit. Piget simul ac dolet super his cogitare. Redeo ad Erasmum, qui ad Sorbonicum scribens collegium, in hunc modum despiciens & stomachatus interrogat, Etiam ne hoc ad fidem pertinet osculari putre corium, & linteola sanctorum, præsertim si nullum habeant vestigium vitæ? Et ad Pium Carpensem. Quid hoc ad fidē si quis in colloquijs notat eos qui putant se reualituros à morbo, si tegantur cuculla Frācisci? imò hoc certè ad fidem: Siquidem, qui negat à cuculla Francisci hanc virtutem exire, pari ratione negare poterit quod in scripturis habetur de sudarijs Pauli & semicinthijs. Si enim de his Pauli confitetur, rationem penitus nullam habet, sed superest ei mera perfidia, vt neget idem proue-

Greg. in Regestro.

Caietanus.

nire

nire posse de Francisci cuculla. Sed nunc opinor, sensit infelix, quid est Franciscus, cuius sanctitati adeo derogauit, ac tantopere familiam eius persecutus est, cuius mendicitatem ac simplicitatem, & habitum, & regulam ex ore Domini acceptam, infandis modis derisit. Quid ergo si nunc, sicut ille diues à Lazaro refrigerium scurrili ac maledicæ suæ linguæ, qua flammis cruciabatur, implorabat, ita & nunc supplex Erasmus, ab ipso humili Frãcisco quem despexit, frustra idem imploret? Poteram huc congerere reuelationes quas habuit sanctus Ambrosius de reliquijs sanctorũ martyrum Geruasij & Prothasij, item Vitalis & Agricolæ, & de miraculis quæ per eas facta sunt, vt ipse testatur. Et quæ scribit Augustinus admirabilia de reliquijs compertis Beati Stephani, quæ ipse vidit. Quòd si hos quatuor ecclesiæ doctores qui de his testimonium attulerunt, tanquàm oculata fide sibi comperta (videlicet) Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, Gregorium, mendaces fuisse quisquam asserere præsumpserit, hunc seipsum prodere Diaboli filium, nemo catholicus dubitabit.

De adoratione ad imagines Christi & sanctorum.

FVit & antiquissimi moris in toto orbe Christiano nos mortales adorare ad sanctorum, & ipsius Christi imagines. Nunc verò ex Erasmi & Lutheri commentis, insurrexerunt noui iconoclastæ, qui furore Satanico demoliti sunt in multis locis omnem picturam & imaginem. Quibus autem rationum præstigijs hæc defendant, piè lector aduerte. Sunt enim primùm qui dicant, non solum adorare, verumetiam facere imagines, prohibitum esse in scripturis vt idololatriæ scelus: quoniam legimus: Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper: & quæ est in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra: non adorabis ea neq; coles &c. Alij verò qui cautius, sed insidiosius loquuntur, confitẽtur primùm quidem, hoc nõ esse idololatriam, videntes quòd minime committimus in scripturam, quia reuera nõ adoramus imagines, sed personas adorabiles, quæ per illas nobis repræsentãtur. Sed aiunt tutius esse adorare in spiritu & veritate sine picturis ipsis & imaginibus. Erasmi enim doctrina circa hoc, his paucis perstringitur. Quodam in loco sic ait: Vt imagines sint in *Erasmus in Symbolo.*

templis, nulla præcipit vel humana constitutio. Et vt facilius, ita tutius quoq; est, omnes imagines è templis summouere, quàm impetrare, vt nec modus prætereatur nec admisceatur superstitio. Iam vt animus sit ab omni superstitione purus, tamen non caret superstitionis specie orantem, ad ligneū simulachrum procumbere: in hoc intentos habere oculos: ad hoc verba facere: nec orare prorsus absq; imagine. Illud addam. Quicunq; sibi aliusmodi fingunt Deum, quàm est, contra præceptum hoc, colunt sculptilia. Hæc ille ad verbum. Alibi docet ab antiquis patribus non fuisse institutas imagines, sed toleratas causa vitandi deteriora, imò aliquot ecclesiæ proceres vehementer detestatos esse illas, odio idololatriæ. Alibi in hunc modū scribit. Qui in imagines sæuierunt, non abre prorsus concitati sunt ad eum zelum, licet immodicū, mea sententia. Nam horribile quoddā crimē idololatria est. Hæc ille. Vbi pro ecclesiæ concordia zelum vocat, licet immodicum: qui potius furor fuit atq; immanitas. Quòd autē imagines ipsas sustulerunt factū satis probat, ob idololatriæ periculum, licet modum homo modestus non probet. Nostrum ergo nunc est ecclesiam, & spiritus sapientiam, quæ regit illam, ab ijs argutiolis & calumnijs vendicare. Primum ergo quod ait Erasmus, hunc modū orandi ad imagines, non carere suspicione ac specie idololatriæ, mendacium merum est. Quod vt planè perspiciatur, lector intēde. Eorum quæ prohibentur, quædam prohibentur de se mala, vt est adorare Deos alienos: quædam verò non vt de se mala, sed vt ea, per quæ facilè venitur ad malum: Verbi gratia. In re proposita docet lex vnum esse Deum, & illum esse colendum, & hinc necessariò consequitur, ne quis alium sibi Deum faciat aut colat. Hoc ergo quod prohibet lex, videlicet ne quis habeat aut colat alienos Deos, malum est de se, & perpetuam rationem habet prohibitionis: sed adiecit scriptura & prohibuit, ne quis faciat sibi sculptile, hoc certè de se non erat malum, scilicet facere sculptile & simulachrum quodlibet. Alioqui, quomodo iussisset ipsamet vt insculperentur Cherubin aurei, & serpens æneus exaltaretur? Quare si subtilius inspicias, non simpliciter hæc fieri lex prohibet, sed priuatim fieri: & ad colendum illa. Vnde continuò subiecit: Non adorabis ea, neq; coles, & prius dixerat, non facies tibi sculptile. Tibi (inquit) idest, ea mente vt sit tibi solatio & adiumento, veluti Deus tuus. Et ait, non facias, videlicet, tua sponte atq; autoritate. Quod vt etiam intelligeres, præmittit semper huic mandato, aut etiam statim post, adijcit huiusmodi verba. Ego Dominus

In libro de modo orādi

In lib. de amabili eccl. concor.

Nota.

tuus. Certè in Exodo sic legis, ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti, & de domo seruitutis. Et post hæc subijcit. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile &c. non adorabis ea neq; coles. Et statim repetit Ego sum Deus tuus, fortis, zelotes &c. Vides igitur, acute lector, quò tendat hoc præceptum? profectò vt caueatur idololatria, nec adoretur quicquam alienum ab ipso Deo. Diximus enim iam supra, quòd quum adorantur sancti, magis adoratur ipse Deus, qui adoratur & colitur in sanctis suis, quàm ipsi. Nam si ipsi propter illũ coluntur, ergo ille magis. Prohibet igitur ne quis sibi faciat sculptile vllum, sibi ipsi fingendo ipsum Deum, scilicet, adorationis gratia. Vnde & in leuitico hoc etiã expressius declaratur. Sic enim legitur: Ego Dominus Deus vester. Nõ facietis vobis idolum & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis eum. Ego enim sum Dominus Deus vester. Vides igitur rationem cur prohiberẽtur sculptilia: imò vides etiã quod genus sculptilium prohiberetur, videlicet illud, in quo aliquid alienum à verò numine repræsentaretur, idq; colendi atq; adorãdi gratia. Alioqui si malum fuisset quicquam pingi aut sculpi, cur, vt dixi, iussisset Dominus sculpi Cherubin qui tegerent propitiatorium, in quorum medio apparebat Dominus & loquebatur? Cur similiter & leones & boues? ergo nõ idololatria erat pingere aut sculpere, sed adorare & colere. Neq; illud erat omnino prohibitum fieri, sed priuata autoritate fieri. Lex enim ad priuatos loquitur. Non facies tibi &c. Quæ vt etiam melius intelligas, considera quòd ab initio ante Christi aduentum, nihil adhuc emerserat adorabile & cultu dignum ex omnibus creaturis quæ cerni possunt. Solus enim Deus noster reuelatus erat ex parte in signis, & prodigijs illi populo: necdum enim quisquam hominũ adductus erat in gloriam, quia nec decebat ante sanctum sanctorum, ex quo aliorum sanctificatio erat, quasi sanctum quemquam mortalium venerari. Deus igitur ipse solus inueniebatur adorabilis, & cum sit spiritus non poterat vlla certa effigie repræsentari. Vnde ipse ait, cui similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei? nunquid sculptile conflabit faber, aut aurifex auro figurabit, aut laminis argenteis argentarius? & Paulus dixit: Non debemus æstimare auro & argento & lapidi, sculpturæ artis & cogitationis hominis, diuinum esse simile. Quia igitur nihil tunc præter Deum erat adorabile, & ipse ineffabilis erat, ideò in vniuersum prohibita fuerunt omnia simulachra, quoniam referre Deum nõ

Nota.

poterant

poterant absque periculo erroris tunc præsertim quum crassus esset ille populus,& vndiq; idololatria vigeret in orbe: quia Dij Gentium id est maligna dæmonia possidebant terram. Alios verò præter ipsum Deum effigiare, ac recipere tanquam Deos abominabile erat. At verò nunc, iam quando filius Dei venit, sicut vnus quidam ex nobis,ac per hoc redditus est nobis effigiabilis, & postquam multos ex fratribus secum aduexit in gloriam, qui post illum & propter illum, vt supradiximus, redditi sunt honorabiles,& suo ipsi quoq; cultu venerandi, idcirco absq; vlla læsione præcepti, fiunt Christi, & sanctorum imagines,& ad eas absq; vlla superstitione adoramus: quoniam non hic locum habet legis prohibitio, quia neq; prohibitionis ratio. Non enim effinguntur imagines eorum quibus nullus debeatur cultus, vt olim apud gentes quum diuini tribuebantur honores, aut hominibus facinorosis, adulteris & impijs, vt Ioui, Saturno, Veneri, & huiusmodi alijs, qui nulla valebant apud Deum gratia, sed inimici eius erãt, cuius gloriam furabantur: aut bestijs & insensatis creaturis. Non est ergo nunc vllum periculum idololatriæ iam diu reuelata veritate, ac falsis Dijs prostratis: multisq; eorum simulachris deuictis, & agnito verò Deo immortali, inuisibili, habitante lucem inaccessibilem. Nec putandus est quisquam vsq; adeò nunc insanire, vt sic adoret imaginem, vt in eam figat intuitum animi, ac nõ potius per imaginem in eum, qui in illa repræsentatur. Licet autem diuinitas ipsa sit ineffabilis, nam & inconceptibilis est mentibus nostris, quia tamen aliquo modo concipitur à nobis & sine errore, quia semper hoc seruamus in mente, vt dicamus longè abesse omnem conceptus nostri similitudinem ab ipsius tantæ rei maiestate ac dignitate, ideò etiam sine errore potest aliqua similitudine sensibus nostris representari, cùm iam certo scierimus omnem similitudinẽ, quam possumus excogitare ac fingere, nihil minus nobis referre quàm ipsum Deum. Alioqui si quis contenderit nõ licere vlla similitudine, quæ sunt diuina, concipere, simul reprehenderit scripturam sanctam quæ multis in locis, varijs ac miris similitudinibus, Deũ nobis effinxit. Apud Danielem, fingit Patrem Deum velut virum, antiquum dierum, sedentem in throno candido, indutum vestimento tanquàm niue, & capillis quasi lana alba. Qua figura declaratur eius æternitas, maiestas, sanctitas. Ioanni quoq; in Apoc. apparuit filius in similitudine agni, vt eius mansuetudo ac innocentia significaretur. Spiritus sanctus super Christum in specie columbæ, vt ineffabilem candorem ac puritatem

tatem declararet. Quod si non potest reprehendi scriptura, quæ talibus modis nobis Deum effinxit, cur quæso reprehendatur pi ctura aut sculptura quæ idem faciat edocta ab illa? hoc uero testi monio omnes hæreticorum cauilli & calumniæ retūduntur. Nō enim qui spiritum sanctum in specie columbæ depictū aspiciunt, ipsum esse columbam arbitrātur, aut Christum esse agnum, quia in agno picto, propter mansuetudinem, repræsentatur. Neq; qui ostendēdo picturam dicit, hic est Christus, vult significare quod illa pictura sit Christus, sed quòd repræsentet Christum, sicut cum Paulus dixerat, petra autem erat Christus. Nec est putandus vllus adeò stolidus, vt inter imaginem & prototypum, & quæ conueniant prototypo & imagini, non discernat. Hæc enim erāt argumenta hæreticorum antiqua, quæ à catholicis resoluta sunt, & in sanctis concilijs quàm latissimè confutata. Quare ad rem re deundo, Christus absque controuersia in facie hominis, aut infan tis, aut adolescentis, aut viri iam maturi, sicut reuera fuit, rectè pin gitur. Et Beata Virgo, & alij sancti viri. Angeli quoque velut pue ri, aut adolescentes propter puritatem, & semper viridem ac flo rentem ætatem, quibus adduntur alæ, vt volatus contemplatio num suarum indicētur: aut quia huc atque illuc assiduè, quasi cœ lestes volucres, emittuntur, & volitant, cum sint administrato rij spiritus: varijs quoque pinguntur coloribus, ob eorum va rias siue proprietates siue functiones. Nec mihi obiectes de præ cepto Ezechiæ, quod iusserit illud æneum serpētis simulachrum frangi. Nam ego econuerso arguam, quod patiente Dauide & Moyse, & tot sanctis viris regibus ac prophetis, permissum fuit adorare ad ipsum, & adoleri incensum vsque ad illud tempus. Quid enim fuit quod ait scriptura, aspicere ad eum, nisi quod dixit Dominus exaltare illum & adorare? Quòd ergo Ezechias frangi iusserit, id fuit, quia res vltra processerat quàm fas esset: prius enim adoratum est pro signo, & licuit: quia referebat Ie sum Christum crucifixū, postmodo verò cœpit adorari, sicut gen tes colebant sua simulachra, tāquàm in eo esset illa virtus sanādi, propter quod appellauit ipsum Nehustā derisoriè, id est ænulū. At modo cum iam res ipsa sit aperta, & nemo non videat quid in picturis repræsentetur per illas colēdum, nihil periculi est ab ido lolatria. Iacob nō absq; Dei spiritu erexit lapidē in titulū, & fudit oleū desuper, & agnouit ibi, domū Dei esse, nō quidē lapidē, sed illum qui in lapide significabatur adorans. Hinc ille pauor, & illa

4. Reg. 18.

cõfeſſio, Terribilis eſt locus iſte, nõ eſt hic aliud niſi domus Dei & porta cœli. Alias adorauit & faſtigium virgæ Ioſeph teſte Paulo. Quid igitur? fuit Iacob idololatra? Nec nos tamen latet olim Hadrianum Pontificem prohibuiſſe pingi Chriſtum in Agni figura. At proceſſu temporis, hic mos præualuit, vt ſic quoq; pingeretur, iam noto myſterio. Quid enim eſt abſurdi, ſi ſimiliter in pictura repreſentetur, ſicut in ſcriptura nobis eſt declaratus, cum picturæ ſint vice librorum idiotis? Dices, adhuc rudes eſſe nonnullos, & ignorare ſignificationem. Sed vix putandum, vt quiſquam agnum aut agni ſimulachrũ per ſeipſum dignum cultu exiſtimet. Quod ſi qui ignorent quid in eo ſignificetur, doceri debent à paſtoribus eccleſiarum, vt ſciant de imaginibus, & quod eſt vtilitatis capere, & quod eſt periculi, deuitare.

Hactenus ergo patet nihil contra hunc morem præcipere ſcripturas: quia enim ratio antiquæ prohibitionis ceſſauit, etiam prohibitio ipſa ceſſare debuit, iuxta iuris regulam. Sed vt huius moris inſtitutionem cognoſcamus, nec ſolum toleratum fuiſſe ab eccleſia & ſapientibus viris ac patribus, ſed ab ijs veniſſe, ac vehementer probatum, & omnibus modis cõfirmatum ſemper fuiſſe, quicquid in contrarium blatteret Eraſmi ſpiritus, Audi lector. Teſtatur Euſebius in ſua hiſtoria à Seth iuſto hunc morem cœpiſſe in picturis, colendi diuina. Memorat & factum piæ fœminæ quæ à fluxu ſanguinis liberata fuit à Chriſto, quod Ceſareæ Philippi, vnde ipſa oriunda erat, hoc in ſe Chriſti ſignum memorabili ac veneranda pictura expreſſit. Creditur & B. Lucas Euangeliſta Diuæ Virginis effigiem proprijs manibus, pluribus in tabellis pinxiſſe: quæ nunc etiam ſolenniter Romæ monſtrantur. Ioannes Damaſc. in ſuo de fide Orthod. elegantiſſimo opere, hunc morem ad imagines adorandi & crucem, ex maiorum traditione veniſſe, longo ſermone teſtatur. Hieronymus ad Crucis adorationem locum illum pſalmiſtæ non ineleganter aptat. Adorate ſcabellum pedum eius: quam expoſitionem Caſſiodorus ſequitur, & alij quidam non ignobiles autores. Beatus quoque Athanaſius memoriæ prodidit, Nicodemũ Chriſti diſcipulum, ipſius Domini venerandam imaginem ſibi ad memoriam & venerationem paraſſe, quæ cum à Iudeis contumelioſè foro transfixa eſſet, cruorem effluxit. Adhæc, in ſecunda Nycena Synodo, & poſtmodo in alijs ſub Gregorio ſecundo, & Tertio, & ſub Stephano, cum quæſtio hæc ab improbis & contentioſis adhuc moueretur ac refricaretur, manifeſtè Damnati ſunt reprobatores imaginum,

Pro picturis autoritates.

num, & sub hoc nomine Iconoclastæ, hæreticorum catalogum subintrarunt: sicut & in sexta Synodo declaratum fuit quàm manifestissimè ab Episcopis insignibus, numero trecentis & octo, qui magno consensu, confutatis ac explosis hæreticorum cauillis, anathemata pronunciarunt, qui contra venerabiles imagines obloquerentur, Adriano Papa Christi vicario consentiente, & confirmante, ac istam fidem explicite omnibus populis tradente. Mitto gloriosorum patrum testimonia, quæ illic afferuntur ad hanc rem confirmandam, videlicet Magni Athanasij, Basilij Magni, Cyrilli, Gregoriorum, Chrysostomi, & aliorum Græcorum: & ex nostris Augustini, Hieronymi, ac multorum patrum, qui verè ecclesiæ proceres vocari possunt. Diuus quoque Gregorius Serenum Massiliensem episcopum quod imagines submouisset è templo, propter idololatriæ periculum, seuerè corripuit, iussitq; vt suis locis reponeret. Non ergo vera sunt quæ inquit mendax Erasmi spiritus, quòd non sint institutæ venerabiles imagines à sanctis patribus. Illud quoque insigniter falsum quod ait Ecclesiæ proceres vnquàm imaginibus restitisse, nisi per proceres ecclesiæ, hæresiarchas (vt sepe solet) velit intelligi. Nam hi verè imaginibus restiterunt, quanquàm nonnulli in ea Synodo Nicena resipiscentes, catholicæ pronunciationi hæserunt: reliqui suis tenebris obuoluti, inter eos computati sunt de quibus dixit Dominus, minimi vocabuntur in regno cælorum. Etenim vnus horum procerum qui vehementissimè olim restiterunt imaginibus nostris, id est, Christi & sanctorum, Iulianus Apostata memoratur. Nam ex historia tripartita Sozomene loquente accepimus, dirum illum Tyrannum, eam imaginem, quam illa mulier in Cæsarea in Christi gloriam exhibuerat venerandam, amoueri, suamq; ibidem erigi statuam, illius loco, iussisse. Verùm non id passa diu est diuina iustitia, sed misso, non multo post tempore, cœlitus igni rapido ac vehementi, eam scelera-tissimi principis imaginem prodigiosè discidit, vt cum pars altera cum capite ac ceruice dissecta solo decũberet, alteram (vt Dei virtus à mortalibus agnosceretur) sic mutilam manere permisit, in ostentum & anathema: postmodo vero pietati fideliũ, placuit in eum locum summotam ipsius Christi priorem imaginem restituere. Alius autem ex huiusmodi ecclesiæ proceribus, nam tales vocat Erasmi spiritus proceres ecclesiæ, fuit ex Germania Felix quidam nomine, sed re infelix, qui similiter imaginibus vehementissimè restitit: qui tamẽ Caroli magni autoritate, coacta Sy-

nodo, in Frācofordia suam inde referens damnationem, infelicē suum conatum ostendit. Fuit & Leo tertius imperator, qui simil i furore sæuit in imagines, qui hanc ob causam à Greg. tertio, in synodo frequentissima, anathematis sententiam tulit. Fateor fuisse septimam synodum, vbi fuerunt damnatæ imagines: sed & illud cōfiteor, quòd ab uniuersa ecclesia synodus illa damnata est, quā summi Pontifices improbarunt, & anathemati subdiderunt æterno, vt eius autores non verè ecclesiæ proceres dici valeant, sed hostes: quos tamen, cum proceres faciat Erasmi sententia, quod experimentum aliud quærimus, eius spiritus, qui in eo loquebatur? Sed ne conquerantur impij, solum premi se pōtificum autoritatibus, & synodorum, & sanctorum patrum, nam hæc testimonia nihil sunt apud illos, qui ausi sunt vniuersam Christi ecclesiam (quod horresco referens) idololatriæ nota traducere insigni blasphemia, & ferè plusquam Satanica præsumptione. Postquàm perspicuè ostensum est hunc morem fingendi imagines, & ad eas adorandi, non repugnare sacris literis, nunc etiam clarè rationibus ostendendum est quantum hic ipse mos cultui diuino adijciat pietatis. Duæ sunt potissimum ratiões instituti huius. Vna est, quod sunt literatis scripturæ, id sunt idiotis picturæ. Sicut ergo piaculum esset delere scripturas, libros literatorum, sic & picturas, cum sint libri idiotarū teste Gregorio. Et Paulus dicat, sapientibus & insipientibus deberi, suo cuique modo, hanc notitiam eorum quæ Dei sunt. Quòd si quis dicat nonnullos ex idiotis abuti picturis in idololatriam, respondemus pari modo, multò plures de his prudentibus abuti scripturis in varias hæreses. Sicut igitur propter hos non sunt lacerandæ scripturæ, quia ex eis quidam in perfidiam delabūtur, quia non vitio scripturarum fit, sed suoipsorum: sic nec propter illos delendæ picturæ sunt, qui inde ad superstitionem quamlibet adducuntur: quia nec id à picturis venit, sed ab eorum stoliditate atq; amentia. Nūquid enim semper erimus stolidiores pueris, vt nesciamus distinguere imaginem, ab eo quod in imagine representetur? Altera verò, & magna causa, quòd ecclesia vtatur imaginibus, illa est, quia cùm homines simus, & sensibus discamus ac moueamur, (non enim sumus Angeli vt ijs non indigeamus) magna nobis in hoc per imagines contingit vtilitas, quòd quæ mente quasi sopita delitescunt, huiusmodi sensibilibus obiectis, & in ipsam mentem per sensus ascendentibus, excitantur: & fit rememoratio beneficiorum Dei, & eorum quæ promittuntur ab illo per mediatorem

Nota rationes pro imaginibus.

sanctum

ſanctum. Obiecta enim nobis Crucifixi imagine, cum in eam intuemur, recordamur inſignis clementiæ patris & miſericordiæ, & ipſius Chriſti noſtri incomparabilis charitatis. Vnde & ſpiritus ſancti bonitatem contemplamur, Hinc adorare compellimur totius trinitatis maieſtatem, prouidentiam, φιλανθρωπίαν: tum gratias agere, & ſimpliciter implorare veniam delictorum: excitamur & renouare vitam, & noſmetipſos inſtituere ad eam virtutum formam, quam in tam patulo Chriſti libro conſpicimus, addiſcentes humilitatem, paupertatem, obedientiam, patientiam, charitatem denique perfectam conſiderantes, minime conuenire membrum delicatum ſub capite ſpinoſo & flagellato. Hæc non tam facile, nec tam ſæpe venirent in mentem, præſertim mundi curis ac multis negocijs occupatis, ni paſſim ante oculos obuerſarentur picturæ. Nam quoties Beata Virgo, ſaltem obiter, ſalutatur cum recordatione tanti myſterij, Verbum caro factum eſt, quoniam de pictura ab angelo ſalutata nobis obijcitur? proculdubio id non facturis ſi nulla ad excitationem obijceretur externa imago. Et quum repreſentatur in præſepio natus adorãte Maria, & Ioſeph iuſto admirante, & contremiſcente & illachrymante præ gaudio, cũ in medio bouis & aſelli conſpicitur infans paruulus, vilibus conſtrictus faſcijs, fomentum & nutrimentum matris inquirens, quis animus, quæ mens, non hæc tunc fidei luce contempletur? non in varios & ſanctos erumpat affectus? Non hic locus commemorare quæ deuotus lector magis norit experientia, quàm ego valeam miſer vlla meditatione aſſequi. Sic & cætera Chriſti myſteria, vt cœna illa Dominica, triſtis agon, & reliqua ſuæ crucis initia, tum reſurrectio, aſcenſio in cælum, emiſsio ſpiritus ſancti, denique glorioſus eius ad iudicandum aduentus futurus, cùm picturis hæc decenter repreſentantur, quanta obſecro de fidelium cordibus excitant, quæ vehementer faciunt ad ſalutem? Certum eſt autem quòd idiotæ mercatores, milites, ruſtici, mulieres, pueri, & quicunque huius vitæ curis plus nimio diſtrahuntur, ſi hæc non diſcerent de frequentibus picturis, ac ſæpius ab his non admonerentur, vix vnquam ſuæ ſalutis autorem cogitarent. Docti autem ac prudentes etiam multum hinc accipiunt recordationis & incitamenti. Nam vt eleganter ait quidam, Segnius irritant animos demiſſa per aures, quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus. Hæc ſi Eraſmum non docebant ſcripturæ, aut eccleſiaſtici doctores, docere tamen poterant *Horatius.*

ſui

sui poëtæ, in quorum lectione, cùm bonam vitæ suæ partem consumpsisset (vtinam & totam, & nunquàm sacras literas attigisset) poterat enim meminisse Terentianum Chęream, à tabella turpi, cum contemplaretur ibi fabulam spurcam, scilicet Iouem in aureum versum imbrem per impluuium tectum in gremium Danaës descendere, vt potiretur eius complexibus, excitatum illo exemplo fuisse (vt ipse de se fatetur) in stuprum: vt iam intrepidus ac securus diceret. Si, qui templa cæli summo sonitu concutit illud egit, ego homuncio hoc non facerem? Voluit hoc in loco Poëta docere, quantum hæ picturæ valeant, vt per eas excitentur affectus. Sed alius etiam Poëta summus vt similiter hanc vim de picturis ostenderet, in hunc modum Aeneam de ipsius picturæ contemplatione affectum describit:

Vergilius. *Artificum ille manus inter se, operumq; labores*
Miratur, uidet Iliacas ex ordine pugnas:
Cōstitit, & lachrymās, quis iam locus (inquit) Achate,
Quæ regio in terris nostri non plena laboris?
En Priamus, sunt hic etiam sua præmia laudi,
Sunt lachrymæ rerum, & mentem mortalia tangunt.

Et post hæc, vt ostenderet internam foueri meditationem, externa contemplatione, atq; ipsa oculorum fixione, in hunc modum subdit:

Hæc dum Dardanio Aeneæ miranda uidentur,
Dum stupet, obtutuq; hæret defixus in uno &c.

Sed mittamus Poetas. Nam hoc grauioris testimonij est, quod philosophus planè videns quid valeant à picturis in animum impressiones, sapienter in suis politicis condi leges circa picturas admonet, ne permittātur lasciuæ picturæ, quæ excitare possent adolescentes in turpes mores. Sed respuunt quidam philosophos. Quid ergo? nunquid & ecclesiæ autoritatem, quæ confidenter in templis concinens, O crux aue spes vnica &c. ipsum Crucis lignum deosculandum offert & venerandum? At hoc est quod isti improbant. O filij Canaam. At in hoc est illorum impietas. Scriptum

ptum est enim in psalmis. Osculamini filium, id est, osculo adorate, vt ait Hieronymus. Hoc autem nō est putandum præceptum temporale, vt hoc facere debeant ij tantùm, qui dum ipse viueret, etiam ipsi viuebant in terris. Omnibus enim loquitur scriptura, & in omnibus sæculis. Nos igitur qui caremus eius carnali præsentia, quomodo osculari eum præcipimur, nisi vt ipsa ecclesia, Dei spiritu acta, commodissimè interpretata est? videlicet osculando vel eius crucem, vel eius imaginem? Nam vbi commodius & iustius, quam vbi nobis immensæ charitatis suæ profluuium ostēdit in suo sanguine? Oscula igitur ligno figimus & imagini non vt ea ligno reddantur & operi cuilibet manuum nostrarum, sed ipsi Domino, qui in ligno & imagine nobis representatur. quia enim non licet nobis illum habere & adorare præsentem, eo modò nobis ad solatium, quasi præsentem fingimus & adoramus, non lignum aut imaginem, sed ipsum, ipsum inquam verum & viuum, in imagine tamen ac ligno nobis repræsentatum Crucifixū. Qua propter & B. Ambrosius crassis huiusmodi hæreticorum mentibus, & rationibus obuiam iens, illas ijs verbis frangit. Inuenit Helena Crucem, adorauit: non lignum, qua hic gentilis est error, & vanitas impiorum, à qua Deus longè abesse voluit cultores suos, dicens. Non adorabis ea, neq; coles: sed illum adorauit qui pependit in ligno. Hæc ille. Hieronymus quoq;, vt ipse de seipso testatur, id etiam facto comprobauit, qui ante Crucifixi imaginem pectus tundere non cessabat, donec ipso Domino increpante, rediret tranquillitas: nec enim id semel contigit vt ex his simulachris prodierint diuinæ voces, De crucifixi enim imagine Neapoli, illud Christi oraculum Thomas noster audiuit: Benè scripsisti de me Thoma. Beata quoq; Birgitta Romæ in ædibus Diui Pauli, exinde similiter diuinū accepit eloquiū. Quod vsq; in hūc diē miro illius simulachri gestu, conspicientibus euidēter apparet. Ostēditur & Florētiæ alia Crucifixi imago, cuius caput in modū agētis gratias placidè inclinatum, visitur, sicut & sese ostendisse. B. Ioanni Gualberto creditur ob eam gratiam, quòd ille inimico, quē prostratum coram habebat in potestate, amore Iesu ab eo rogatus, pepercit. Sed hic, & alia quæ possent afferri, exempla, canes isti perfidi lacerant. Nam Helenæ historiam de Crucis inuētione negat Erasmus: oraculum Crucifixi ad Thomam, sæpe deridet. Hieronymi vitam conscribens, nihil de illo memorabile & gloriosum narrauit, præter solam eloquentiam. Ergo hæc non obijciuntur canibus. Noui perfidiam, comperi cæcitatem, qua Deus percussit

Psal. 2. *Nota.* *Ambr. in funerali Theo.* *Hieronymus*

uæ Virginis cũ ipso puero, & infante nato nobis, & dato nobis: & non(vt sæpe vidi & offensus sum) vnus aliquis sanctorum absque Christo, totam aram occupet in pictura, saltem propter idiotas & pueros, vt sciant quem imprimis habeant suspicere, & venerari. Item euangelicas historias, & quæ, vt certa, ab ecclesia recepta sunt. Non enim in causa religionis probatur quod quidam dixit. Pictoribus atq; Poetis.

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas. Horatius.

Quæ eñi ad cultũ Dei ptinẽt ita esse debẽt ab omni mẽdacio pura, vt est dignus qui colitur, summa puritas, ac summa veritas.

Quæ si, vt diximus, rectè custodirentur, nec vanitas vlla esset, nec erroris periculum aut superstitionis à picturis, sed contrà ad seruandam augendamq; pietatem multum vtilitatis & commodi

De peculiaribus gratijs Sanctorum.

Est iam insita pijs mentibus in ecclesia, siue à doctrina scripturarum, siue à spiritus interna inspiratione, certè multis euidẽtibus testimonijs, persuasio hæc, quòd quidam sanctorum peculiariter certis quibusdam gratijs polleant ac virtutibus. Item certis locis ac domibus, aut oppidis, aut ciuitatibus, aut prouincijs præfecti sunt. At hæc Erasmus in libro de modo orandi, quasi superstitiosa, & à paganismo accepta, suggillat in contumeliam ecclesiæ sanctæ. Quare, quòd hoc non solùm periculis multis comprobetur, verùm etiam & scripturis & rationibus, declarandum est. Et circa primum quidem, id est quantum pertinet ad certas gratias, mitto signa multa euidentissima, vt in igne quem Sancti Antonij vocant, quid prodigiorum frequenter appareat: hoc enim & Diuus Thomas testatur: & circa pestem, quid valeat S. Sebastianus & Rocchus: & similiter quædam sanctorum corpora, quantum afferant Dæmonibus cruciatum, nimis manifestum esse potest ijs, qui proteruire non velint, nonnulli quoq; contra maris tempestatem, alij super febrim ostendunt imperium. Deniq; certas peculiares gratias quosdam obtinuisse declarant mirabiles, qui patẽt, effectus. Sed nec incredibilia sunt, quæ & ratio ne ipsa & scripturis iuuantur. Hoc est enim quod ait Apostolus, Diuisiones gratiarum sunt, ministrationum, operationum, virtutum &c. Si hoc in terris, vt varia membra, varium quoque habeant

beant ministerium, & variam operationem: cur non & in cœlis? Cur dictum est Moysi, Vide, omnia facito secundum exemplar quod tibi ostensum est in monte. Et cùm Angelorum variæ sint functiones, teste Dionysio, cur non pari ratione sanctorum? Adhæc, si stella differt à stella non solùm in claritate, sed & in virtute, cum aliæ calorem, aliæ frigus, aliæ aliã temperiem afferant, nec eodem modo, nec eodem tempore, nec eisdem plagis omnes illuceãt, nec enim eandem viam pergunt, vnde nec omnium est mõstrare omnia. Est enim alijs Cynosura, & alijs helice, quid mirum si etiam varia officia dispensata sint in sanctis dei prouidẽtia, qui stellis comparantur? Præterea, cum teste Christo sit genus Dæmoniorum, quod non expellitur nisi ieiunio & oratione, quid prohibet sanctorum quosdam, qui circa hæc præ cæteris laborarunt, etiam præ illis istam gratiam obtinuisse? Ego verò quid mihi circa hanc rem occurrerit, quia hoc voui Deo & Christo, non tacebo. Iam est annus ferè sextus, cum è Tholosa redirem Lugdunum, inter eundum de sarcinulis cuiusdam comitis nostri Hyspani, viri probi, religiosi iuxtà ac docti, archetypon nonnullorum operum, quæ in hæreticos lucubraueram, quod illi ferendũ commiseram, ex improuiso cecidit. Iter autem duodecim ferè miliarium passuum transfegeramus ab vrbe illa, quãdo casum ipsum animaduertimus: tunc oborta mihi tristitia, quòd frustra tot vigilias elaborassem, si sic dimitterem, cœpi consilium, iam cõfectum iter celeri reuersione remetiri. Quod faciens, quotquot obuios offendebam, rogitabam, ne forte suas ad manus, aut notitiam tale opus deuenisset. Alij negare, alij deridere: quidam etiam asserere, se vidisse hominem qui illud manibus gestans Tholosam peteret. Hoc nuncio erectus in spem, vrbem illam repeto, ingredior, ac statim precone conducto, per totam vrbem buccinari facio, sub certis, nec læuibus pœnis: Si quis eiusmodi volumen teneret aut sciret, confestim domui præsidis D. Iacobi Minutij, cui tunc & notus & apprimè charus eram, renũciaret. Ego enim eius autoritate tũc vtebar, ob singularem eius erga me benignitatem, perquàm familiariter. Sed hanc circa rem frustra omnia. Nam die illo sic mihi inaniter transacto, coactus sum ibidem, & longam præ tædio noctem, ac penè insomnem ducere. Vt autem aurora illuxit, denuò ad iter, eo casu interruptum, accingor Lugdunum versus, atque sic proficiscens omni de spe deiectus, nullum vlterius viatorum interrogabam: quin etiam mandaui socio, ne & ille quenquam hac pro re rogans, tãquam iam deplorata & derelicta,

Nota qui accidit casum pie lector.

cta,cuiquam negocium faceret. Tacitus tamen animum conuertens ad Deum, ac mecum cogitans ad quem sanctorum me verterem, cuius meritis id fieri posset, vt opus nostrum reciperem: facilè primum. B. Antonius ordinis minorum occurrit, cui hoc à Deo datum esse, vbique constans est fama. Hac igitur fide fretus, in hanc sententiam votum in mea mente voui. Gloriosè Deus in sanctis tuis, qui nosti me proculdubiò credere, te per sanctos & amicos tuos plurima beneficia conferre mundo, quorum nonnullos certis gratijs & charismatibus præ cæteris glorificasti, per hanc te obsecro fidem meam, quam abs te accepi, donum tuum, qua etiam credo de Diuo Antonio, quæ rumor publicus & testimonium piorum de illo comprobat in rebus amissis recuperandis, Da mihi inuenire vigilias meas, quas pro tua sancta veritate syncærè contra incredulos elucubraui. Id enim si dederis votum voueo, in eo ipso volumine, quod mihi dabis per istius sancti gratiam inuenire, & vbi hæ variæ sanctorum virtutes aduersus impios defenduntur, hoc etiam tuum beneficium quod accepero, me in huius veritatis corroborationem commemoraturum. Vix hæc mecum tacitus murmuraueram, quum ecce viator nescio quis, nobis obuiam veniens, & minime rogatus vltro interrogat, num quos fortè amiserimus proficiscentes per viam, exaratæ papyri quinterniones: Annuimus, Petit signa, Reddimus, Conueniunt, Prodit puerum illos hesterna die repperisse. Rogamus, vt vbi ille habitet, indicet. Ait à recta via quam pergebamus, septem circiter miliaria distare domum pueri: Oramus, vt nos illuc vsque perducat. Quod tandem (certa tamen data pecunia) obtinuimus. Simul ergo pergentes ad locum peruenimus, puerum inuenimus, rem nostram saluam recepimus. Gratias egimus Deo & Beato Antonio, quos & aduoco in animam meam testes, si mentitus sim, aut si rem, non vt se habuit, simpliciter enarrauerim. Ecce satisfeci uoto meo iam. Scio tamen nihilomagis persuasurum me perfidis, qui vel hæc à me conficta, vel casu euenisse dicent. Dies autem, quando manifestabuntur omnia, perspicuè ostendet, nec me esse mentitum, & quod credo, de dispensationibus Dei in sanctos suos, esse verissimum comprobabit. Quòd verò pertinet ad secundum, quòd certi sancti alicubi peculiariter præsint, vnde & meritò ibi colantur absque vlla superstitione, primum ab Angelorum exemplo facilè suaderi potest. Si enim quilibet habet suum Angelum pro cura & custodia teste Domino, & Daniel Mi- Daniel. 10

chaelem principem populi vocat, & alium nescio quem præfectum Persis, quid miri, obsecro, id similiter dispensatum esse de
1. Mach ult. sanctis dei: certe Hieremias legitur in scriptura, quasi tutelaris po
Ad Ro. 10. puli Iudæorum Deus. Vnde Paulus adhuc reliquias fore Deo charissimas propter patres enūciat, ac pro illis ipsemet cupit anathema esse à Christo. Adiuuat & hoc ratio euidentissima, vt qui pro certa gente laborauerunt in terris, aut sanguinem suum fuderunt, aut quibuscum cognatione iuncti sunt, aut, à quibus etiam peculiari cultu honorati fuerint, ij etiam pro his peculiariter in cælis assisterēt. Neq; hic nos ab errore gentium acceptus est, vt Erasmus falsò pronunciat: non enim in hoc erat gētilū error, quòd arbitrarētur has curas ac præsidētias dijs distributas esse, sed quòd pro dijs veris, falsos Deos accipiebant, & in eos has esse distributas prouincias existimabant. Nos autem veros Diuos iā noscimus, de quibus scriptura ait, Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes: & alios super decem, alios super quinq; ciuitates præfectos agnoscimus ex euangelio. Credimus quoque non sine Dei spiritu, & angelicis internis inspirationibus hoc fieri, vt vel prouinciæ, vel vrbes, vel oppida, vel domus, vel particulares etiam personæ, certum aliquem Diuorum sibi, vt patronum & aduocatum comminiscantur, & procurent apud Deum: vt Parrhisiorum vrbs Dionysium & Genouefam: Veneti, Marcum: Florentini, Baptistam: & item alij populi alios sibi constituant pro se precatores atq; patronos ante altissimum.

Pro crucis uexillo circumuehendo ad terrorē dæmonum, & sanctiß. sacramento.

Similiter & uetusti moris est, vexillum Crucis ac Diuorum statuas circunferri per ciuitates, & oppida, & campos. Similiter & sanctum sacramentum. Hunc autem morem & Luthærus, & Erasmus vituperauerunt, tanquàm similiter profectum ab Ethnicis, qui olim Bacchum, Venerem, Neptunnum, Silenum cum Satyris, similiter conuehebant. Erasmus tamen ideò to-
Erasmus de leratum fuisse ait à patribus, quia cum non posset extorqueri, ve
modo orādi. tustum morem illum videlicet, de falsis dijs, extingui, censuerunt magnum esse profectum, si eius loco iste succederet. Quamobrē & si superstitiose hoc fieri fateatur, suadet tamen tolerandum, quia sine tumultu euelli non posset. Summa autem rationū ipsorum

rum hæc est, quòd hic mos non accipitur à scripturis. Erasmus adiecit, quòd nec est veteris instituti. Quo in loco, primùm uide secum pugnantem. Quomodo enim esse potest nouitius hic mos, qui, vt inquit, successit in locum moris illius veteris antiquorum gentilium, qui aliter extirpari non poterat? O insanum caput. Negat insuper infelix, hoc habere à scripturis documentum, immemor quòd & olim arcam Domini circunferrent, qua terror inimicis incuteretur: vnde aiebant: Venit Deus in castra. Et iterum Quis nos saluabit de manu Deorum sublimium? Quod ergo tunc faciebant in arca illa, nonne erat figura futuri? videlicet eius quod faciendum erat in arca vera, quæ est Christus, & sancti eius? Legitur, Dauid & omnem Israëlem ante arcam, quum de domo Aminadab efferretur, lusisse in citharis, & lyris, & tympanis, & Sistris & cymbalis, spectante Michol & deridente. Sed quid ait Dauid? Viuit Dominus, quia ludam ante Dominum qui elegit me potius quàm patrem tuum, & omnem domũ eius. Et scriptura quid supplicij ob hoc factum memorat in Michol? Igitur, inquit, Michol filiæ Saul non est natus filius vsq; in diẽ mortis suæ. Quid putamus hinc aliud significari, nisi quod similiter erũt steriles isti derisores, nec vllum fructum afferent de suo? Nolo autem nescias lector, quòd maligni Dæmones, qui hunc aerem caliginosum incolunt, quum circunfertur sacramentum, aut Crucis vexillum, aut imago. S. Virginis, aut sanctorum statuæ siue reliquiæ, miris modis terrentur, cruciantur, fugantur, ac, ne noceãt aeri, & aruis, aut hominibus, propter hunc honorem, quem Christo & matri, & sanctis eius exhibemus, vi diuina mirifice prohibentur. Quapropter (quia hæc ipsi vehementer nollent) talia in mentem suorum discipulorum inijciunt & suadent: ac, vt alijs idem persuadeant, eos impellunt. Sed viuit Dominus qui sterilem fecit Michol.

1. Reg.

Notet hæreticus.

Pro usu ecclesiæ statarum horarum canonicarum, & certarum laudum.

FVit & antiquissimi instituti, Christianos ac pios viros, statas horas in canticis, & psalmis, & hymnis spiritualibus terere: quod & priuatim quoq; multi consueuerunt. Vnde & corona beatæ Virginis, & Rosarium, & varia quæ vocantur officia, & orationes à deuotis, non sine commendatione à Pontificibus, decretis & diplomatibus assiduè in ecclesia orantur. Quod

quia similiter ac vehementer Satanæ displicet, idcirco hoc ipse vi tuperat per organa sua. Erasmus primùm cœpit hanc rem irridere eo prætextu, quòd qui psalmos, & diuina verba sic submurmurarent, aut canerent, plærunq; psytaci exemplo id facerent, non intelligentes quid dicerent: Qua de re cum taxatus esset à Sorbonica facultate, licet conaretur vt solet, mirificè tergiuersando verba à se temerè effutita, ad bonum sensum detorquere, tamen etiam contendens nequiuit cōtinere venenum. Dixit enim, Probabilius est talium maximam partem obnoxiam esse prophetico conuitio, Hic populus labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me. Quo in loco non solum temerè iudicat, verum etiam imperitè prophetico abutitur oraculo, quod illos corripit, qui potius intelligentes quæ dicerent, corde tamen ipso maligno discrepabant à dicto: quia cor habebant longe à Deo, eò quòd thesaurum suum, non in Deo, sed in terrenis haberent. Hoc est enim quod facit longè esse cor nostrum à Deo. At qui non intelligunt quas dicunt preces, modo probata sint verba ab ipsa ecclesia, non propterea cor longe habent à Deo, vt testantur scripturæ: nec propterea frustra rogant, quia ad intentionem ecclesiæ, & ad id quod verba sonant, dirigunt desiderium suum, Et spiritus ipse supplens intelligentiam, postulat pro eis inenarrabilibus gemitibus. Et sæpe accidit vt idiotæ, etiam Paulò ardentius orent, & propinquius accedant ad conspectum Dei, quàm literati, & super litera meditantes. Origenes quodam in loco, ne qui psalmorum verba ad Deum porrigunt eo deterreantur, quòd illa non intelligunt, exemplum attulit non inualidum. Ait enim: Sicut qui numos habet probatos, licet eorum valorem ignoret, vtiliter tamen dat eos dispensatori vt recipiat & expendat, pro eo quod valent: ita & qui psalmos, vel alias preces, etiam non intellectas fundunt, paratos habent angelos, qui illas offerunt coram Deo iuxta proprium valorem. Quòd item idiotas, & pueros, aut mulierculas etiam insectentur, quòd orantes ad Virginem dicant Pater noster, aut ad quendam sanctorum Aue Maria, est eorum strennuitatis. Debēt enim admoneri simplices, qui & in hoc quoque defendi possunt. Quid enim si eorum mens illa fortè sit, vt Virgo ipsa dominicam illam orationem ferat ad Patrem? Nec tamen possibile est ab Ecclesia auferre omnem idiotarum superstitionem: Sed in fide recta maiorum omnia emendantur. Ob hoc enim est sanctorum communio, quam credimus.

Nota ut intelligas illud hic populus lab. me hon.

C

Ad Ro. 8.

Nota.

Pro

Pro uotis peregrinationum.

ILlud etiam & pontificum literis,& more diuturno,priorumq; & sapientum virorum consensu probatum est,pium esse ac religiosum,peregrinationis incommoda,ad loca veneranda suscipere,& visitare:siue sepulchrum Domini,siue D.Virginis celebre aliquod sacrum,aut cuiusuis sanctorum Dei. Qui mos etiam magnis & multis confirmatus est signis,& prodigijs,& beneficijs quæ fideles hinc retulere. Verum & hūc morem qui cathedram Satanæ ascenderunt,similibus quibusdam technis detestati sunt. Dici enim non potest quam indignè hācrem deriserit Erasmus, tam in Moria,quàm in Colloquijs & Apologijs,quāquam & interdum sese defendens,pro more tergiuersetur. Sed vt magis hāc pietatē auferret,ausus est dicere nesciri nunc vbi fuerit sepulchrū Domini,imò vbi ipsa ciuitas Ierusalem,& nihil ibi ostendi sanctorum locorum non commentitium,sicut nec vbi fuerit Roma nunc certum est. O impudentiam singularem,tanquam non innumera appareant Romæ antiquitatum vestigia,& ex sacris literis non accipiantur totius terræ sanctæ loca distinctè descripta,& fluminibus,& montibus,& stagnis,& alijs quæ adhuc visuntur monumentis,vnde certò sciri possunt quæ vir iste incerta temuter asseruit. Mitto quæ.B.Hieronymus & discipulæ eius ad Marcellam de locis illis,& de sepulchro scripserunt,qui suis illa oculis perspexerunt. Et audet impius dicere hoc de sepulchro Domini,quod tanto tempore,certissimo Dei miraculo,seruatum est. Sed hoc a Satana didicit,quo locū in quo turpiter superatus est, ipse inuidus obscuraret,& scripturæ detraheret quæ prænunciauerat. Et erit sepulchrum eius gloriosum. Est igitur Deo gratum adire huiusmodi sancta loca,cum & à testimonijs scripturarū,& Pontificum literis,& piorum atq; sanctorum exēplis plurimam habeat autoritatem:præter innumerabilia signa quæ hanc deuotionem,multis iam elapsis sæculis,confirmarunt. Nec verò hæc ita accipi volumus,ut vel imprudentiā eorū qui hæc vouent,ea negligentes quæ magis curare debebant,vel auaritiā eorum,qui hanc fidelium pietatem fecere sibi quæstum,defendere videamur. Nihil enim penè tam sanctum est,quod nequeat circunstantia quadam improba coinquinari.

Eras. in colloq.

Isa. 11.

Nota.

Pro more ecclesiæ in accensione luminum in diuinis.

Est

EST item moris antiqui, cæreorum uti luminibus in Dei cultu, & sacris officijs. Hoc, vt olim Vigilantius derisit, sic nunc no ui isti sapientes vehementer insectati sunt. Erasmus etiam Hieronymi sententiam pro se citat aduersus hunc ecclesiasticum morem, eo in loco, vbi Vigilantio respondens ait, Cæreos non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris, sed vt noctis tenebras eo solatio temperemus, & vigilemus ad lumē, ne cœci tecum dor miamus in tenebris. Quòd si aliqui propter imperitiam secularium hominum, vel certe religiosarum fœminarum, de quibus ve rè possumus dicere, quòd zelum Dei habent sed non secundùm scientiam, hoc pro honore martyrum faciunt, quid inde perdis? Hæc ex Hieronymo Erasmus, sed iniquè ac subdolè, nō afferens totum locū, vnde poterat elici perfectè quid sentiret. Quod pla- Nota. nè vt cernas, aduerte. Duplex erat olim cæreorum vsus: alter mi nime sacer, sed ad sumministrationem solum luminis: qui vsus à secularibus obseruabatur, qui custodiebant vigilias in solennitatibus martyrum in ecclesijs. Ferebāt enim secum cæreos ad depel lendas tenebras noctis: Alter vsus erat sacer & mysticus, & ab Ecclesia ordinatus propter significationem. Hæreticus autem ille Vi gilantius ista confundens, omnia in superstitionem vertebat. Diuus autem Hieronymus hæc distinguens, circa primum vsum in hunc modum respondit. Cæreos non clara luce accendimus, vt frustra calumniaris. vbi nota lector, quod non potest Hieronymus ecclesiæ nomine respondere sic excipiens, quòd non accenderet clara luce cæreos. Id enim palam falsum erat. Nam mox idē ipse Hieronymus id confitetur, & defendit, vt videbimus: sed loquutus est in persona eorū qui ibant in ecclesias, in nocturnis tan tummodò vigilijs cæreos afferentes. Quod si quidam imperiti aut mulierculæ, etiam in ipsa luce, id agant pro honore martyrū, Matth. 26. quid inde perdis? Allusit ad Iudæ nequitiam, qui de vnguento à muliere in caput & pedes Domini effuso, dixit. Vt quid perditio hæc? miroq; artificio id obijcit in hæreticum Doctor eloquens, quùm ait, Quid inde perdis? Ac si dixisset, Tu nequior es quam Iudas: Ille enim, quanquam bonum opus reprehenderit, ob emo lumentum tamen proprium quod perire videbat, reprehendit, cum fur esset, & distracto vnguento sperabat aliquid in sua com moda retinere: tu autem gratis, ac mera inuidia, in opus bonum inueheris. Quod & magis declarans, subiecit. Causabantur quon dam Apostoli quòd periret vnguentum, sed Domini voce corre pti sunt. Neque enim Christus indigebat vnguento, nec Marty-

res lumine cæreorum, & tamen illa mulier in honorem Christi hoc fecit, deuotioq; mentis eius recipitur. Et quicunq; accendunt cæreos, secundùm fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo, Vnusquisq; in suo sensu abũdat &c. Vbi certè apparet Hieronymi sensus non improbantis factum velut superstitiosè, sed magis probantis vt bonum, cum id comparet facto illius Magdalenæ, de quo dixit Dominus: Bonum opus operata est in me. Si bonum opus, non ergo superstitiosum. Vnde & subdit, Idololatras nos appellas. Non diffiteor omnes nos qui in Christo credimus, de Idololatriæ errore venisse, non enim nascimur, sed renascimur Christiani. Et quia quondam colebamus idola, nunc Deũ colere non debemus ne simul eum videamur, cum idolis venerari? Illud fiebat idolis, & idcirco detestandum est: hoc fit martyribus, & idcircò recipiendum est. Nam & absq; martyrũ reliquijs, per totas Orientis ecclesias, quandiu legendum est euangelium, accenduntur luminaria iam sole rutilante: non vtiq; ad fugandas tenebras, sed ad signum læticiæ ostendendum. Nam & Virgines illæ euangelicæ semper habent lampades suas accensas. Et ad Apostolos, Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes. Et de Ioanne Baptista. Ille erat lucerna ardens & lucens: vt sub typo luminis corporalis, illa lux ostendatur &c. Hæc ille: Quibus quid poterat dici clarius, aut vberius, pro hoc more tuendo, per exempla, per rationes, per scripturas? Sed Erasmus in eodem loco putat Hieronymum perplexè locutum esse, ac pugnantia scripsisse. Quòd si ita erat, cur ea potius citat & probat ex Hieronymo, quæ erant contra Ecclesiam? Sed valeat infelix cum suo spiritu contradictionis. Admittit autem Hieronymus quod Idiotæ & mulieres accendentes cæreos clara die, etiam ad martyres, nesciãt plærunq; quid agant. Et fortè putant solatium præstare martyribus, aut animabus defunctis: ideo fatetur, quòd opus quidem ipsum bonum est, & ex zelo, sed non secundùm scientiam, quia alia mente & non secundum veram significationem cærei ab illis accenduntur. Sed confutentur qui scripturas quærunt, si doceri nequeant, per scripturas ipsas. Nonne verbo Domini iussum est ardere lucernam semper in tabernaculo à vespere vsq; ad mane? Quòd si responderint, id fuisse in typum futuræ gratiæ, Et nos replicamus, quòd nunc idem fit in typum futuræ gloriæ & adhuc in significationem præsentis gratiæ & luminis fidei, in qua stamus, Et antiquissimus est mos accendendi paschalem cæreum, cui adiunctus est hymnus Gregorij cum cantu deuoto & solẽni,

quo declaratur illustratio gratiæ per Iesum Christum. Sed quia hæc non cadunt in hæreticorum mētem, quibus lux ipsa fidei nō illucet, minime mirum si diligentes tenebras, veluti noctuæ, claritate luminis offunduntur, & offenduntur.

Pro solennitate festorum quæ induxit Ecclesia.

INsurrexere plures qui videntur furiosè clamare, vociferantes, Cessare faciamus omnes festos dies Dei à terra. Verū quia multi ex his non rationibus, sed furore contendunt, Erasmus autem subdolè magis quædam affert quasi disputās, alijs missis & in suo furore relictis, hunc nos potius adoriemur. Scribit enim ille in hunc modum: Turbam festorum dierum, quos vel Episcopi multitudinis affectibus indulgentes, vel Romani pontifices causis nō necessarijs, instituerunt, ipsi facile patientur abrogari. Quod genus sunt festum Conceptionis, & Natiuitatis virginis Matris, Itē præsentatiōis in templo, Et haud scio an expediret nullum omnino festum solenne indici, nisi cuius argumentum extet in sacris literis, diem Dominicum semper excipio. Et super. i. ad Corinth. vbi de pentechoste fit mentio, sic annotat. Non loquitur de festo opinor: & haud scio an festum Pentecoste id temporis notum fuerit Gentium auribus, præsertim cum Paulus ad Romanos tollat omne discrimē dierum, & infirmum vocat, qui diem cum die confert. Certè nullus ueterum interpretum, quantum equidem memini, facit vllam festi mētionem: Thomas satis frigide se hinc explicat. Hæc ille, & callidè cōtra veritatem sed perplexè, nec difficile vt expugnetur: Non enim tam nobiscum pugnat quàm secum, Et primò cùm dicit ex Beato Paulo omne discrimen dierum prohiberi, cur ergo ipse excipit Dominicam diem, & alia festa, quæ aliquod argumētū habeant in scripturis? Secundò quod Paulus ait: Manebo Ephesi vsque ad Pentecostem, cur non de festo possit intelligi, cū sic vbiq; pro festo in scripturis accipiatur? Nā & in Actis Apost. vbi legitur Paulū festinare vt diē Pentecostes ageret Hierosolymis, nō potuit ibi negare malignus, quin de festo loqueretur, cū ita scriptum sit, τὴ ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς. Sed audi Diabolum, qui cùm confiteri coactus esset ibi de festo loqui Apostolum, tamen noluit confiteri esse festum Christianorum, sed Iudæorū antiquum. O hominem cōtentiosum, O peruersum At Paulus cum prohibet obseruari dies, precise de Iudæorū obseruantia

In libro. de amab. Eccl. concordia.

1. Cor. 16.

seruantia loquebatur. Quòd autem festa nostra inceperint ab ipsis Apostolis, satis patet: primò ex Apoca. Ioannis, vbi Dominicam diem memorat, in qua fuit in spiritu. In historia ecclesiastica, legitur Ioannem Euangelistam & Philippum, & alios celebrasse pascha. Et quanquam paulopost magna controuersia oborta esset de die, qua esset celebrandum, hoc tamen semper constitit apud omnes, celebrandum esse: qui tamē multo melius quàm Erasmus, norant quid Paulus diceret, cùm abrogaret discrimen dierum. De Melitone Apostolorum discipulo etiam legitur scripsisse de Dominica die volumen vnum, & duo de Pascha. Paulus ergo vetus discrimen dierum tollit, nō nouum: quia praescriptum erat. Vetera nouis superuenientibus proijcietis. Iudaei enim celebrabant proprium pascba, ob beneficiū carnalis liberationis è manu Pharaonis. Nos Pascha nostrum ob aliud & spirituale beneficium liberationis aeternae de manu Diaboli, qui est verus Pharao, celebramus. Similiter & reliquae Iudaeorum festiuitates carnales erant, & ad illum solum populum spectantes: & ideò reijciendae, quia in Christo non est neque Iudaeus, neque Graecus, sed noua creatura in spiritu, ideo spiritualia festa sunt admittenda. Quod enim de illis carnalibus Iudaeorum loqueretur Paulus, ipsemet ad Colossenses declarat, dicens. Nemo vos seducat in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniae, aut sabbatorum, quae sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi. Et ad Galatas. Nunc autem cùm cognoueritis Deum, imò cogniti sitis à Deo quomodo cōuertimini iterum ad infirma & egena elementa? dies obseruatis & annos. & tempora & menses, &c. manifestè ergo detorquent Pauli sententias, qui palam de festis carnalibus Iudaeorum pronūciabat, quòd iam cessassent. Nam haec erant vmbra futurorum, haec infirma elementa, vt introducerentur spiritualia: quod latius patet. Et vide vt semper petit Dei matrem, cuius festa sanctissima vult aboleri, Conceptionis, Natiuitatis, praesentationis. Imò ait, Pontifices Romanos facilè passuros abrogari: quae tamen non humano spiritu sunt inuenta. Nam haec omnia habuere reuelationes. Et de festo quidem natiuitatis nullus negat: spero autem quod cito Deus probabit omnia. Non inficiabor tamen, ipsa conniuente ecclesia, tum in missas, tum in officia & laudes diuinas iniecta, quaedam simplicium zelo, sed non secundùm scientiam, quae animaduersione indigeant & correctione. Item noua festa & officia, magis ex priuatorum

Apo. 1.

Leu. 26.

Paul ad Col. 2.

Ad Gal. 4.

torum placito quàm ecclesiæ iudicio & autoritate esse introducta. Non enim debuit quicquam non constans, & certum celebrari, & diligenter cognitum, solenniterq; probatũ ab ecclesia. Et si quid est superfluum de sanctis tolli: & præ cæteris diẽ Dominicum obseruandum retinere: de cæteris posset haberi memoria in die illa, quæ tamen omnia Pontificum cognitioni & examini relinquo. Nunc enim aliud agendum, & circa hoc illud maximè curandum esset, ne diebus festis ludi, & lasciuiæ, & temulentiæ publicè agerentur: Neq; ocio inerti vulgus marcesceret, sed iuberentur fieri ecclesiasticas conciones, & omnes adesse, qui non legitime impedirentur: nec solùm cõcionibus, sed perpetuis horis. Sed proh dolor, nunc festis abutuntur homines ad luxuriã & lasciuiã: vt magis Veneri, & Baccho, & Cereri, & cæteris portẽtis sacrificent scelerosè atq; sacrilegè. Hic opus erat, hic inquam, necesse erat conqueri, & clamitare, non vt festa abolerẽtur, sed vt flagitia, quæ in festis nostro vitio admittuntur, profligarentur. Quod Deus aliquando faciat. Amen.

Inter cætera verò quæ solenniter ecclesia sancta celebrat, est ipsa passio Domini nostri, quæ luctu primò in ieiunijs, & cãtu lugubri præuenitur, & colitur quadraginta dierũ numero. Sed ecce canes, qui & hũc ritũ mordẽt. Erasmus, vt superstitiosum notat cõplorari Christi mortẽ: quia (inquit) Christus noluit suã mortẽ esse lugubrẽ, sed gloriosam: nec deplorari, sed adorari. De qua re, cũ à pluribus, & à Sorbona reprehensus esset, ita tergiuersatus est vt vix scire valeas quid sibi velit tãdẽ: ita falsa veris, & solidis inmiscet inania. Quãobrẽ paucis hic agã pro enucleanda veritate. Est fletus secũdũ carnem, & est fletus secũdũ spiritũ: ille prohibetur, hic iubetur. Christus de primo loquutus, dixit mulieribus illũ sic deflẽtibus: Nolite flere super me, sed super vos & super filios vestros. Lugebant enim Dominũ, quasi hominẽ miserũ ac morti destinatũ ob eius demerita, iuxta quod scriptum erat: Et nos putauimus eũ leprosum, & humiliatum, & percussum à Deo. Ideò dominus dixit, Sed super vos flete. Nam quod de illo putabant, in seipsas, & filios suos erat venturũ, scilicet verum iræ Dei flagellũ. De secũdo autem fletu dixit Dominus conquerens: Sustinui qui mecum constritaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni. His ergo præmissis facilè est resoluere huius viri argumenta contentiosa. Negat enim imprimis, Dies, & cantum, & verba esse luctuosa in quibus Christi passio ab ecclesia celebratur. Quid ergo est quod negare non ausit, hæc negans tam manifesta? Quid

enim

enim prætēdūt tot præcedentia ieiunia? quid vestes, & altariū ornatus squallidi, ac ministrorū: & quādo vestibus exuuntur aræ, & imagines operiūtur? Quid est quod silet hoc tempore Alleluya letitiæ vox, & hymnus angelicus Gloria in excels. nō canitur? & illo triduo omittitur doxologia, Gloria Patri & fil. & spirituisancto? Cātum quoq; esse luctuosum, quis non sentiat? Sed ait: Ecclesia nō Christi mortē luget, sed ex morte de victoria exultat, canit enim: Nos autem oportet gloriari in Cruce Domini nostri Iesu Christi, in hymno, Vexilla regis prodeunt. Et alio. Crux fidelis inter omnes arbor vna nobilis, triumphus celebratur. Et addit. Nō licere lamētari eum, qui spōte pro salute hominū patitur. Quòd si mater doloris gladium sensit, affectu naturæ id fuit, sed reluctata est spiritu. Discipulos autem ideò consternauit mors Domini, quia erant infirmi, & adhuc increduli. Et in Eucharistia fit mortis Christi annunciatio, nō luctus, Eucharistia autem vox est lætitiæ potius. Paulus enim dixit, annūciabitis, nō dixit, lugebitis. Quòd si Christi mors luctuosa est, etiam martyrum mortes lugendæ essent: quæ tamen sunt festa nostra, & natales, victoriæ, palmæ, triūphi appellantur, non mortes. Nec ratio nec natura dictat, vt Christi mortem, quæ iam tot sæculis præcessit, & iam resurrectione deuicta est atq; absorpta, perpetuo luctu prosequamur, sicut olim mulieres Adonidem. Quis enim probet, qui tritaui mortem fortiter in bello pro patria cæsi, post ducentos annos adhuc pullatus lugeat? Hæc sunt quæ hic homo pro suo dogmate tuēdo adducit: quæ licet colorem aliquem habere videantur veritatis, sæuitiam tamen & impietatē fouent, & omninò inualida sunt. Primò enim quid obstat luctui quod canit ecclesia. Nos autē gloriari &c? Nā hoc imprimis Chistianum est gloriari in luctu. Nunquid non iccircò erant infirmitates ac tribulationes, quia in eis gloriabatur Paulus? & non erant lachrymæ illæ, de quibus ait Propheta. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes, die ac nocte, quia panes illi fuisse dicuntur? Canit quidem ecclesia, (vexilla regis prodeunt &c. Et, Crux fidelis inter omnes arbor vna nobilis. At gemebunda canit hæc & cantu lugubri, admiscens cum luctu solatium: quoniam videt & in passione triumphum. Alioqui negemus Christi Crucem fuisse illi pœnam, quia fuit victoria. Negemus vllum esse euangelicum luctum, quia euangelium gaudium nunciat. Derideamus contemplatores scripturarum, qui in eis contemplantur ecclesiam, quasi viduam & lugentem: quæ oblatum sibi sponsum, deplorat vsque quo ipse tandem aduenieus abster-

1. Cor. 11.

Psalmus.

gat ei lachrymas,& recipiat in cõclaue & cubiculum suum. Deni〈que〉 comedamus & bibamus, quia Iesus resurrexit gloria nostra & in cælis est,& de eius morte etiã gaudeamus, quia nobis prodest: quia verò ille doluit, & quòd pro nobis doluit, nihil nobis doloris excitet sed semper gaudium. Quis carnaliũ hominum,& epicuræorum, qui summum malum in dolore ponũt, nõ hæc malit? O hominem prorsus expertem Christianitatis, nec valẽtem, turturem & columbam, gemebunda & plorabunda offerre animalia Deo, in odorem suauitatis. Sed ait non decere eum lamentari, qui sponte patitur & pro salute omnium. Falsum omnino, imò vel ex hoc ipso debet augeri lamentum, quòd innocẽter, ac libẽter passus est propter dilectionem illam erga nos eximiam, Et hoc etiam auget ex parte luctum, quòd pro nobis, qui nocẽtes eramus, hæc pertulit. Quãobrem qui Christi dolorem pro se assumptum cõmemorans, non etiam spiritu condolet, conuincitur & indignus eur doloris & crucis fructu, vt vehementissimè ingratus. Quod item ait, matrem doluisse naturæ affectu, verum est. At quod addit, spiritu reluctatam esse, falsissimum. Quin potius caro ipsa reluctabatur, nolens illum dolorem, spiritus autem promptus fuit, sicut & in filio, caro quidem reluctata est, secundum quam deprecabatur. Transeat à me calix iste. Spiritus autem promptus fuit, secũdũ quem dixit, Surgite eamus hinc, vt cognoscat mũdus, quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Discipuli quo〈que〉 non minus, imò magis doluissent de Christi morte, si perfectè spirituales fuissent, agnoscentes mysterium, quòd & ipsi simul cum alijs, & sua ipsorum peccata affixerunt Dominum suum Cruci. Vnde Christus dixit: Veniet tempus cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc lugebũt. Quòd verò Eucharistia gratiarũ actio sit, nihil prohibet esse cum luctu. Forte Erasmus putabat Christianum luctum esse desperationem quandam, aut quid insanum & turbulentum, sed non est ita. Quod item ait: Paulus dixit, Mortem Domini annunciabitis, non dixit lugebitis, quàm friuolũ est, imò pro nobis facit. Quis enim potest annuntiare acerbissimam Christi mortem & non dolere, si illum diligat? Addit, Mortes Martyrum festa sunt, natales & palmæ &c. Fateor. Sed

Nota. non vidit infelix differentiam inter Domini mortem, & martyrum. Dominus enim non accepit in sua morte gloriam vllam, vt deberet celebrari tanquam festum: Non enim magis anima eius facta est beata, & nihilominus corpore suo caruit illo triduo. Quamobrem recipitur ab ecclesia, non vt festiua

res,

res, sed vt acerba & amara mors eius propter illum, atque ideo merito luctuosa: quanquam enim fructus eius mortis sit festiuus, seruatur tamen suo tempori celebrandus, in festo resurrectionis, quia mors eius, resurrectionem nobis est operata. At martyres in sua morte acquirunt æternam gloriam, ideò sit festum in die mortis eorum, quia natalis est. Et nihilominus quia præcessit passio, etiam hoc obseruatur in vigilijs, quum conlugemus, & silet Alleluya, & Gloria in excelsis, & cætera quæ letitiæ signa sunt. Hæc non miror oblitum fuisse Erasmum. Nam exuens ille habitum & luctum monachorum, à quibus hæc diligenter custodiuntur, vnà exuit & pietatem & amisit oculos. Deniq; quod affert de morte Christi, quòd tam longè præcesserit, & ideò non sit lugenda, verè mentem hominis carnalis detexit: si enim secundùm carnem cogitaremus, verè sic esset: quoniam caro mouetur præsentibus, parum admodum sentiës quod antè præcessit: & in hoc valet eius exemplū de Tritauo, qui in bello occubuit. At nos de luctu loquimur qui à spiritu excutitur. Spiritus enim assiduè repræsentat nobis Christi mortem, præcipuè in sacrosancto mysterio, multisq; de causis dolendam esse docet. Ideò dixit Dominus, Hoc in mei memoriam facietis. Ideò & in lactucis agrestibus comedi præcipitur agnus, id est, in amaritudine & dolore. Assiduè enim, quantum ad effectum, moritur pro nobis Christus, & salutem æternam illi acceptam ferimus, vt par est, nec possumus non dolere, cogitantes quòd nos, nos ipsum afflximus, nos ipsum dedimus Cruci: qui datus est velut seruus κακοῦργος pro noxa, cum tamen nos essemus peccatores & debitores. Hoc igitur Erasmi iniquum dogma, non solùm suggillat Ecclesiæ morem, sed etiam omnium sanctorum ac piorum vitam, quæ non fuit aliud quàm gemitus & luctus vt essent socij passionum Christi, vt possent simul gloriari cum Paulo in multo spiritu dicente: De cætero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini nostri Iesu Christi in corpore meo porto. Hoc corporaliter datum fuit & insigniter Francisco & Catharinæ Senensi, & alijs suo modo, de quibus omnibus scriptum est: Euntes ibant & flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Quanta verò circa hoc meditati sunt sancti Dei homines? Lege Bonauenturam, Bernardum, & mille alios, qui in crucis meditatione fecerunt sibi lachrymas

chrymas suas panes die ac nocte, non solùm compatientes cum Christo, verum etiam cum Diua Virgine, cuius tūc animam pertransiuit gladius. Bernardus enim circa hoc dignam aureis scribi literis sententiam protulit dicens. Non decet sub capite spinoso membrum esse delicatum.

Bernardi pulchra sententia.

Et hæc satis pro certa Sanctorum gloria, veneratione, & inuocatione: Quæ autem de uotis solennibus & aliis quæ ad cultum similiter Dei pertinent & Sanctorum alio, particulari libello contra hos impios, & nimis temerarios latius disputo, ac ni vehementer fallor, concludo.

Benedictus Deus.

τέλος.